



1889.

1593.

SPECVLVM

QVÆSTIONVM MORALIVM, IN VNIVERSAM ARISTOtelis Philosophi summi Ethicen,

M. IOHANNE CASO OXOnienſi, olim Collegij diui Iohannis præcurſoris ſocio Authore,

NVNC DENVO RECOGNITVM, ET *à mendis pleriſque repurgatum.*

CVM INDICE VERBORVM ET rerum præcipuè memorabilium locuplete.



FRANCOFVRTI,
Ex Officina Typographica Nicolai Baſſæi.
M. D. LXXXIX.

14063

749a 1952

ILLVSTRISSIMO VIRO DOMINO ROBERTO DVDLEIO, Comiti Leycestriæ, Baroni de Denbigh, Aureæ periscelidis & Sancti Michaelis Equiti aurato, Seneschallo Hospitij sereniſſimæ dominæ Reginæ, Magistro equorum Regiæ maiestatis, eidemq; sereniſſimę Reginæ Elizabethæ à consilijs, & almę Oxonienſis Academiæ Cancellario digniſſimo, Domino suo colendiſſimo.

ANNO PRAETERITO (*insigniſſime Comes*) *Summam quam in vniuersam dialecticam conscripsi (primitias studiorum meorum) tuo honori obtuli. Tum equidem pollicitus sum me duos alios libros in lucem emissurum, quorum alter morum præce-*

pta alter totius naturæ mysteria comprehenderet. Illum Minerua mea iam tandem peperit, hunc breui (si Christus parturienti faueat) es& editura. Sæpè ac seriò nunc mihi cogitanti, cuinam illum adhuc quasi vagientem (vt sospes ab inuidiæ dentibus seruetur infans) commendarem; inter multa hæc tria maximè suaserunt, vt de tuâ solùm honorificentiâ cogitarem. Vnum es& nouum hoc præli beneficium, quod te authore nostra Academia nuper recepit: Alterum es& incredibilis tuus erga nos amor, quem mirificè gratissimus tui aduentus confirmauit: Postremum es& aureũ illud quasi calcar quod (cum hîc aderas) mihi priuatim in hoc genere studiorum laboranti, suauissimis verbis tua sapientia addidit. Prælum hoc nouum (cuius author existis) hunc nouum de moribus libellum pressit. Ne ergo author libelli præli authori videatur ingratus, tibi primùm eiusdem fructum ex animo propinauit; cuius si tu solùm saporem probes, suspensam hederam non requirit. Altera causa, nempè perpetuus tuus in Academiam fauor, nõ me solum sed nos omnes ad tui honoris studium & amorem idque ex officio pertrahit. Hoc autem vti spero tum amplè perspexeris, cum præclara & anti-

Tres causæ dedicationis.

qua

qua monumenta nostrorum fundatorum (quæ sunt quasi expressa vestigia omnium in illis virtutum) videris. Illos (vir honorifice) illos inquam habitu regio & pontificio ornatos, per nos illorum adoptatos filios sic te salutasse putes. Nos (Augustissime Comes) diuinitus olim impulsi hæc ampla literarũ sacraria struximus, opima vectigalia, optima statuta dedimus, filios mille & quingentos plus minùs adoptauimus. Omnia adhuc superstites benè ac prudenter composuimus, morientes autem maiores tuos lumina reipub. & columina Academiæ nostræ elegimus: tum illis, & per illos nunc tibi omnia pro sapientia tua moderanda tradidimus. Declinantia omnia bis terue conseruasti, gratias immortales agimus: conseruata multis & magnis impetratis priuilegijs confirmasti, maiores agimus & habemus. Hanc vocem (vir inclitissime) non à me fictam sed ab illis verè factam fuisse cogita, beatos senum spiritus nobiscum tibi congratulantibus hîc adfuisse puta, & sanè etsi illorum cineres ad tempus insepulchris dormiunt, animi tamen in cœlo cum deo viuunt. Miraris fortasse (vir summe) quò tendat hæc mea tam vehemens oratio. eò certe, vt intelligas non minore laude illos omni posteri-

Laus fundatorum.

Prosopopœia fundatorum gratulatoria.

steritati esse commendandos, qui sapienter defendunt veteres, quàm qui magnificè nouas ædificant Athenas. At vestræ adhuc nullũ senserunt vulnus, te viuo profectò nullũ. At sicut in bona valetudine constituti medicum sæpè accersunt, vt illius arte tanto bono diutius perfruantur: ita nos quidem ad te in prosperis quasi ad asylum concurrimus, vt tuâ solius ope ab omni metu liberemur. At nullius hîc est omninò metus; te certè patrono nullus. Verùm quoniam multi nescio qua mente in nostras immunitates tanquam ranunculæ sæpè coaxarunt, subuerendum est, ne quasi aquilæ aut vultures auiculis vim tandem intendant ac deprædentur. Sed Christus nostram Elizabetham serenissimam principem diutissimè conseruet, quæ nobis de suis à consilio viris duos patres heroas Leceſtrensem & Burghleium concessit; quorum senatoria authoritate ac prudẽtiâ naues hæ nostræ, id est Oxonium & Cantabrigia in tutissimum honoris portum peruehantur. Date idcirco veniam (sapientissimi viri) vt vestra nomina in marmoreis quasi tabulis immortalitatis pro viribus insculpam; quippe non minus laudis vos in augendis & conseruandis his datis beneficijs meritos fuisse puto, quàm

Oxonium & Cantabrigia sub Elizabetha Regina florent. Laudantur Cancellarij vtriusq; Academiæ.

quàm qui olim florentes rerum omnium copiâ & vbertate eadem fundauerunt. Sunt enim non minora monumenta famæ illis relicta, qui defendunt data, quàm qui noua dederunt beneficia: Præsertim si vobiscum defendant & cõseruent ea, in quibus semina & flores rerumpub. eminent. Nihil hîc dico de immenso fructu quem non solùm nos vestri alumni, sed vniuersa respubl. Anglicana ex hoc tanto in Academias fauore habet. Hoc tamen facilè perspici potest, si quantum lapsum, quantam ruinam, quantam vertiginem rerumpub. adferat defectio & deuastatio academiarum seriò ac impensè consideretur. Propono Græciam olim omnium nationum in orbe terrarum beatissimam, quæ collapsis & sepultis Athenis in plusquam barbaricas tragœdias incidit. Alia hîc apud Scythas, apud Africanos, & Indos recenserem (si non horreret animus) miseranda exempla. Ignoscite quæso (venerandi Patres) si propiùs accedens nostram Hyberniam (terram profectò omnium longè saluberrimam) proponam, in qua (vt expertus loquar) sunt feracissima quidem ingenia; ferocissima tamen in nonnullis partibus facta, eâ potissimum causâ (si vestrâ cum veniâ dicam quæ sentio) quòd in tam

Defectio Academiarũ est Mater ignorantiæ, Barbaritatis & seditionis.

beato solo nullum Musarum collegium, nullum philosophiæ seminarium floreat: Arte enim non Marte emolliuntur mores. Quid moror? Cum olim ciuili discordia, vt ferunt Annales, antiqua & celebris illa Academia Bangorien-sis cecidit, VVallia gens quidem nobilißima magnum vulnus & veluti Eclipsin suæ lucis & dignitatis sensit. Sed quid ago? nos quidem sub vestris quasi clypeis tecti in vado sumus, nec non telis id est libris armati sub vestris quasi alis in acie philosophica triumphamus. Non de nugis, non de antiquitatis titulis & vmbris inanis gloriolæ contendimus; quippe nunc vtrimq; in vtriusq; corpus numerosè in-serti vna, vt ita dicam, Academia sumus, Oxo-nia Cantabrigiensis, & Cantabrigia Oxonien-sis: studio fortasse æmulationis ardemus, sed contentionis nullâ faculâ incensi exardemus. Nam quæ causa litis, quæ bilis causa inter soro-res esset? præsertim cum vnam matrem An-gliam dulcißimam, patres duos eosdemq; reges fundatores multos eosdemq; omnes aut in eccle-siâ pontifices, aut in ciuitate proceres habue-rint: hoc vnum addo, cum vos duos etiam sapi-entes Cancellarios in omni procella suæ pacis & securitatis summos patronos habeant Cæte-rùm

Lege Humphredum Lhudum. Causæ multæ amoris, discordiæ verò nullæ inter Academias.

Lege annales nostros, lege Midendorp. de Academijs.

rùm non est quin fatear iuuenilem ardorem animi in vtraq; Academia nuper decertasse, vtrum in perdiscendis artibus plus Aristotelis magnum acumen, quam Rami fluens ingenium præualeret. Sed istam, vt spero aposta siam à veteri, vera, & sapienti philosophandi consuetudine senilis experientia tollet: imberbis enim ætas id sæpè agit quod rectè fieri canities negat. Hoc quidem verum esse flos vtriusq; Academiæ tum tandem senserit, cum fructus ex flore bonarum artiũ colligeretur. Faxit deus vt intuentes sæpe nostra insignia, perdiscamus sequi maiorum vestigia: Insignia sunt liber, qui sapientiam; septem signacula, quæ septem artes; & deniq; tres aureæ coronæ, quæ artium fines & præmia significant. His præmijs iam, viri honoratißimi, per vos sub verè augusta & gratiosa principe cumulatè perfruimur. Quare vt illi omnia propter maiestatem; ita vobis hæc parua bonarum literarum dona propter insignem erga nos amorem studiosè offerimus. Parua quidem sunt. si cum vestris in nos meritis ac beneficiorum magnitudine conferantur: ea tamen quæ vestras laudes & virtutes tanquam exempla imitanda posteris relinquent & eloquentur. Sed communi hac cau-

Iuuenilis ardor Ramũ induxit, seni lit grauitas tandem deponet.

Nota.

Insignia Academiæ Oxonienſis describuntur.

sa relicta, ad postremam venio, quæ est, vt pau
cula de meipso locutus, te orem, Mæcenas am-
plissime, vt lumine honoris tui illustretur hoc
speculum laboris mei, id est vt liber hic meus,
quem tibi commendo, à te benevolè susceptus,
liber & immunis fiat. Sermo ille brevis & sa-
piens, quem vltrò bis habuisti mecum, Londini
primùm cum librum tuo honori dederim, & ite
rum Oxonij cum in medicina respondérim, me
quasi stimulus ad hoc opus perficiendum im-
pulit. Cum ergo sis author quòd scripserim, sis
quæso patronus & fautor vt non deficiam.
Christum testor, nec spe quæstus, nec gloria com
motum me quicquam scribere aut scripturum.
Hoc solum contendo, vt tot annorum experi-
entia, quam in veteribus philosophis perlegen-
dis didicerim mecum in puluerem non commu-
tetur; vtq; studiosi iuuenes vtriusq; Academiæ
à Ramo ad Arist. id est à riuo ad ipsam scatu-
riginem bonarum artium reuocentur. Ra-
mum hîc non condemno, nam doctus fuit; Ari-
stotelem autem extollo, nam summus extitit.
Sed fortasse minoris æstimabitur hoc opus me-
um, quod veteres Aristotelis interpretes in eo
sequar: verbo respondeo quòd sicut dulce & sa-
lutare vinum ex vetustis & annosis vitibus

premi

premi quidem possit, quo reficiantur corporis vires; ita non ingratum philosophiæ nectar ex priscis & antiquis rerum scriptoribus hauriri possit quo mentes hominum delectentur; idq; tum multo maximè, cum reiectis facibus, ex animo grato (quod quidem contendi facere) propinetur. Sed hîc finem facio (Mæcenas optime) cœleste numen suppliciter orans, vt tibi vitam cum sanitate corporis longam, honorem cum stabilitate virtutis firmum, fortunam cum affluentiâ rerum optimarum prosperam, finem deniq; cum salute mentis beatissimam concedat. Vale, Oxoniæ Nonis Martij, Anno 1585.

Tui honoris obseruantissimus

IOHANNES CASVS.

AD

AD STVDIOSOS IVVENES VTRIVSQVE ACADEMIAE.

Philosophia amor sapientiæ. Libr. Metap. ca. 1.



OMEN PHILOsophiæ (benigne lector) semper augustum ac penè diuinum fuit. Si enim nihil aliud sit philosophia, quàm ardēs studium seu amor sapientiæ, nescio sanè an quicquam ab homine vi naturæ desiderante scientiam, vel ad mentem excolendam illâ rectiùs expeti, vel ad voluntatem dirigendam illâ melius exoptari debeat. Quippe si Deus sit cuius centrum vbiq;, cuius circumferentia nusquam est, vt ait Empedocles: si Deus sit summum bonum ac infinitum verum, vt docet Aristoteles: Si sola philosophia ratione mētem humanam Deo infinito vero per cōtemplationem: voluntatem Deo infinito bono per actionem adhærere moueat, quanta sit vis tam excellentis sapientiæ, quan-

Empedocles.

Obiectum mentis verum, obiectum voluntatis bonū.

TABVLA VIRTVTVM ET VITIORVM OMNIVM.



SENECA LIB. II. EPIST. XVI. ad Lucilium.

ILlud ante omnia vide, vtrum in philosophia, an in ipsa vita profeceris. Non est philosophia populare artificium, nec ostentationi paratum. Non enim in verbis, sed in rebus est.



quan
hoc l
dis) c
eiuſ
ra e
vero
bon
dur
tan
nis
ſtan
cur
lau
ad
ſop
ſtri
rem
ner
titu
cem
tes,
gru
lauc
ris,
pra
ſede

quantus ſplendor ac fructus, facilem ex hoc loco (ſi nihil prætereà ſupereſſet laudis) coniecturam facias. Verùm cum duæ eiuſdem habeantur partes, quarum altera eſt in obſcuritate rerum poſita, quæ de vero: altera in probitate morum, quæ de bono differit: quamuis vtraque ſit admodum vtilis, frugifera & fructuoſa, multò tamen feracior eſt, vt vtar verbis Ciceronis, quæ in officijs verſatur, à quibus conſtanter honeſteq; viuendi præcepta ducuntur. Aliæ quidem artes humanæ ſuas lauros hederaſque habent, ſed ad hanc vt ad reginam deamq; omnium (teſte philoſopho) referuntur. Eſt enim origine illuſtrior, fructu vberior, fine beatior: authorem enim Deum, obiectum bonum, finem actionem virtutis (quæ eſt ipſa beatitudo) habet. Reliquæ ſanè rem aut vocem tractant, vt rectè ſapere: at hæc virtutes, vt iuſtè viuere perdiſcamus. Voce congrua, Attica, ſubtili cauſam poſſe tractare laudabile eſt illud quidem: numeris, figuris, ſonis, euentis rem poſſe diſtinguere ſupra modum optabile: at veluti ad Ianum ſedere, veraſque opes mentis cuilibet volen-

Lib. 3. officiorum c. 1.

Lib. 1. ca. 2. Ethic. Philoſophiæ moralis autor, obiectũ, finis.

Breuis comparatio artium à ſuis obiectis.

lenti diuidere ac impartiri, nescio sanè an diuinum dicã, scio certè quòd excelsum huiusq; solius partis proprium haberi debeat. Est enim norma morum, virtutum magistra, gnomon vitæ, actionum regula: hinc nomen Ethices traxit, vtpote quę morbos animi dispellere, affectus moderari, rationē dirigere, vitam totam quasi gemmis ac ornamentis virtutum perpolire docet. Vt enim corporis mala salutari medicinâ, ita animi vitia morali philosophiâ curantur ac leniuntur. Nollem hîc vt quispiam carpendi studio delectatus putet me tantum humanæ philosophiæ ascribere, vt diuinæ subscribere obliuiscar. Scio equidem, nec non libenter agnosco, hanc, de qua agimus, centesima parte cum illa non esse conferendam. Lucem enim in sole, lumen in stella video: dominam suspicio & admiror, ancillam tamen non contemno. Nescit profectò omninò distinguere, qui in altera Theoricas & infusas, in altera Politicas & acquisitas virtutes demonstrari nescit. Illam ergò solam necessariam ad salutem, hanc tamen inprimis vtilem ad vitam & ciui-

Philosophiæ moralis laus.

Philosophia humana diuinæ ancilletur: & vtrinsque cõparatio.

tatem

tatem esse puto. Qui igitur vtriusque studium coniungit, vt altera alteri inseruiat & ancilletur, non minùs rectè & sapienter agit meo iudicio, quàm qui annulum ex auro splendido & gemma pretiosa conficit. Nam vt aurum gemmæ nihil dignitatis detrahit, etsi sit minoris pretij: ita humana philosophia diuinam non obscurat, quamuis minorem lucem ac laudem habeat. Vanum est quod solet hîc obijci & obtrudi, nempè caduca cum æternis, fucata cum veris, incerta cum necessariis, humana cum diuinis coniungi non debere. Quasi verò omnes scientiæ à Deo fonte, veluti imbres, non fluant ac instillẽtur in humana pectora: si omnes (quod negari non potest) inprimis hæc morum ac virtutum nobilissima scientia. Non ergò lumen cum tenebris, cœlum cum terra confundimus, si hanc partem philosophiæ vt ancillam cum rerum diuinarum studio copulemus. Contumaces enim sæpè aculeos ac stimulos rationis sentiunt, cum peccati veneno infecti articulos fidei non audiunt: non quòd vires in verbo desint, sed quòd virus peccati

Philosophia humana & diuina auro & gemmæ comparantur.

Nota. Scientiarũ author Deus est, qui lumen Rationis & fidei dedit.

cati suffocârit. Hoc ergò est quod suadeo, hoc vehementer vrgeo, vt tam casta, tam officiosa virgo, qualis est morum philosophia, diutiùs contempta & conculcata non iaceat, vt non solùm in Academicis spatijs ac subsellijs disputet, sed etiam in moribus animisq; hominum ad virtutis studium cultumque triumphet. Philosophia ad vsũ vitæ conferenda. Hoc enim nunc est, & olim fuit philosophorum institutum, qui de hac parte scripserunt, vt non intellectus solùm optima præcepta meditando fieret sapientior, sed vt vita etiam optimorum vestigia & exempla imitando fieret illustrior. Te ergo (Bone lector) quicunq; es, rogo & obtestor, vt has meas lucubrationes in morum philosophiam sic legas, sic interpreteris, vt intellectui consilia contra ignorantiam, vt voluntati alexipharmaca cõtra licẽtiam me propinâsse putes. Agnosco equidem Apollinis lyram me nunquam tetigisse, mallem sanè confiteri veram ignorantiam, quàm profiteri vanam scientiam. Cæterùm ad Cleanthis lucernam tuâ solius causâ laboriosiùs in hoc opere euigilaui. Si igitur vnquam quod

opto

opto per librum ad coronam, per templum virtutis ad templum honoris veniras, hanc meam industriam (quâ vt comite in via vteris) ne contemnas. Multi vt vides vltrò & amicè quasi tesseras suarum voluntatum in tabulis his meis reliquerunt, meq; ad aleam melioris sortis multis doctisq; versibus mouent & adhortantur: sortem meliorem certè non quæro, nam sorte mea cõtentus viuo: tibi solùm in omnibus vigilijs studijsque meis & prodesse & placere studeo. Vt igitur illi stimulis adhibitis me sibi deuinctissimũ reddiderunt; ità si tu quo animo & cui hæc scripserim seriò & amicè consideres; alacriorem ad maiora suscipienda, & suscepta perficienda reddes. Sed vt vnde suscepta est, ibi terminetur oratio, res de qua scribo est morum philosophia, id est (teste Cicerone) dux vitæ, virtutis indagatrix, expultrix vitiorum, morũ magistra, quâ nullum aut maius, aut melius à Deo homini conceditur beneficium. Hæc diuiditur ab Aristotele in Ethicam, quæ de morum genere: in Politicam, quæ de ciuitate: in Oeconomicam, quæ de familia:

Nemo ad templum honoris nisi per templum virtutis apud Romanos venit.

Ethica. Politica. Oeconomica.

Monastica. in Monasticam, quæ de priuata ac solitaria vita disserit. Decretum est ex singulis partibus primarias quęstiones decerpere, easdemq; more veterũ philosophorum, at sine tædio, opponentis ac respondentis conflictu examinare. Facilis erit ordo: nam in omnib. expositionem, distinctionem, argumentum habes: in expositione textũ, in distinctione artem, in argumento fraudem aduersarij videas. In verbis parcus, in rebus multus esse contendo. Vocem lege, rem discute: tum si placet de sensu vtriusq; iudica.

Vale.

PROSOPOPOEIA LIBRI ad Lectorem.

Recta sequi, vel pura loqui, vel vera tueri,
Omnibus ad cœlos vna parata via est.
Sic doceo patriam, sic me pater antè docebat:
Si tibi non placeo, nolo placere mihi.

IOHAN-

IOHANNES VNderhil Vicecancellarius Oxon.

Doctus es? ergo Casi moralia laudibus effers:
Barbarus es? morsus non timet ille tuos.
Liber enim à vitijs liber est qui prodit, & omnes
Virtutum numeros philosophando docet.
Non dedit hoc seclo prælum Oxonienſe priorem,
Doctrinâq; dabunt secula nulla parem.

LAVRENTII HVMFREDI,

IN SPECVLVM MORALIum Quæstion. Ioan. Casæi, præmonitio.

Rvrsus Casæus variato prodit amictu
In scenam: rursus perpolit ille scholas.
Gaudeo: quòd tali membro schola nostra fruetur,
Quo totum Corpus pulchrius esse queat.
Londini cœpit logicos excudere libros,
Talibus ex scatebris nobilis vnda fluit.
Coticula est acuens animos Dialectica: nodos
Soluit, & emuncti est Regula Iudicij.
Iam verò Speculum nostris proponit ocellis, Speculum
Quod verbis nitidum est, ordine perspicuum.
Hoc speculum vobis nunc Oxonienſis alumnus
Porrigit, En præli dat quoq; primitias.
Ex Speculo pateris formam speciemq; tueri,
Et turpes maculas tergere: Socraticum est.

Moralium

Est speculum morum, vitæ præclaris imago,
O quantum distant hæc duo, Vita, logos?
Disserimus logicè, sic disceptamus acutè:
Est hominis proprium cum Ratione loqui.
Sed nunc Casæus verbalis desinit esse,
Hæc docuisse sat est, hæc didicisse satis.
Nunc opus est maius, nostros cupit esse Reales:
Laus est, virtutem moribus exprimere.

Quæstionum.

Sic moralis eris, si non Quæsitor at Actor,
Quære, sed vt cesses quærere: Viue magis.

Eudæmonidas.

En schola Xenocratis, Quid virtus? sæpe requirit:
Quando, inquit Sapiens, illius vsus erit?
En schola nostra sonet virtutem, at viuere discat:
Attica Gens dicit, Turba Lacæna facit.

Cautiones quatuor.

Sed quatuor recolas, quicunq; hæc Ethica voluis,
Vt spinas vites, percipiasq; Rosam.

1. Fœlicitas Aristotelica.

Finis Aristoteli fixus non vltima meta est,
Progredere vlterius, ni miser esse velis.

Ioan. 17.

Nosse Deum Patrem Christumq;, hæc vita beata est,
Hoc solum summum saluificumq; bonum.

2. Lib. Arbitrium.

Naturæ palpo ne sis, sed deprime cristas,
Seruum est, ni Christus liberet, Arbitrium.

3. Operum Iustitia.

Fac, operare: operum meritis ne adscribe salutem,
Sola Fides, & non Ethica iustificant.

4. Opera & suffragia pro defunctis.

Hic tua facta feras, post imminet Hora metendi,
Defunctos Manes nil releuare potest.
His vbi Aristoteles vester contraria scripsit,
Consule Casæum, Gratia sitq; Deo.

THO-

THOMAS BICKLEVS
Doctor Theolog.

Quid quæris Iuuenis? mores haurire pudicos?
De his q; loqui docet vt doctus Aristoteles?
Hoc dat vtrumq; tibi non casus sed Casus, huius
Vitam lingua refert, viuit vt ipse docet.
Scire loqui liber hic de moribus instruit omnes,
Moribus antiquis viuere rite iubens.

ARTHVRVS VVELDARDVS
Doctor Theolog.

Optima quisquis amas degendæ dogmata vitæ
Perspicere, atq; animo fixa tenere tuo:
Huc ades; En, Speculo vt paruo Casus Oxoniensis
Subijcit illa oculis perspicienda tuis.
En, Speculum vt paruum, sed quo non clarius vllum est,
Ingentis monstrat sedulitatis opus.
Quicquid enim sophiæ moralis ab æthere summum
Socratis in terras transtulit ingenium:
Quicquid Aristoteles illius ab ore disertus
Accepit, libris inseruit q; suis:
Id totum paruo in Speculo magna arte politum
Conclusit Casus hic, conspicuum q; dedit.
Hinc Casus aduersis iactatus casibus olim,
Non casu euasit clarus & eximius.
Hinc tandem, & meritò, Casus hoc cumulatur honore,
Fiat vt Oxonicæ gloria magna Scholæ.

GVILIELMI COLI DOCTORIS Theol. Octostichon.

Disseris argutè, reserasq; obscura disertè,
Verborum & rerum pondera quæq; tenes.
Clarus Aristoteles studio sudauit in isto,
Quem cuncti primas obtinuisse ferunt.
Sed tamen in multis sphinx est, ænigmata fundens,
Quæ tandem auspicio sunt patefacta tuo.
Sit tuus iste, precor, patriæ labor vtilis vsq;
Hoc cupis ex animo, prætereaq; nihil.

MARTINVS COLIPEPERVS Doctor Medicinæ.

Cvr latuere casâ tenui tua dogmata Case,
Case, tua meritus non latuisse. casâs
Luce, foroq; scholisq; hæc sunt Moralia digna,
Luce, scholis, claro dignior ipse loco.
Sin tua, Case, tibi securos det casa somnos,
Inq; casa musa plus tibi Case vacet,
Perge diu esse quod es, scribendo docendoq; clarus,
Sic casâ in hac nunquam Case latendo, lates.

EDMVNDVS LYLIVS Doctor Theolog.

Mvsa diu sterilis tandem est enixa gemellos,
Ingenij fœtus (Case diserte) tui.
Cernimus optatos maturo tempore fructus,
Quos paris, & sophiæ nobile texis opus.

Scili-

Scilicet antiquis quantum Stagirita sophistis,
Moralis quantum praestitit arte Plato:
Tantum Philologos splendens tua fama modernos
Vicit, & inuitis obstruit ora viris:
Dictio clara, stylus facilis, contractio suauis,
Ordo, modus, methodus, pondera, cuncta placent.
Abdita delituit syluestribus obruta spinis,
Et prope dumetis septa sophia fuit.
Occuluit fontes limosis fœda lacunis
Barbaries studijs insidiosa bonis.
Inuida posteritas nimium nouitatis amica,
Praestantes veterum spernere cœpit opes.
Pollentes veterum gemmas, praclara sophorum
Dogmata, priscorum mellea scripta patrum.
Hos aperit fontes, has clara in luce reponit
Gemmas ingenio Casus & arte valens.
Doctior an melior, logicisne instructior armis,
Lis est, an morum maior in arte Charis.
Hæc qui vilescant promat sua, fonte relicto,
Cui libet huic riuis ora rigare licet.
Credite (vos iuuenes) quorum est iam messis in herba,
Debetur priscis laurea prima sophis.

OLIVERVS VVITHINGTONVS Doct. Medicinæ.

QVæ multis sophiæ studij docuere periti
Libris, hæc paucis continet istud opus.
Mille locis quæ sparsa legas, collecta videbis,
Hinc simul atq; semel singula nosse potes.

Macte animi nunc Case: liber te vindicat omni
Hic tuus inuidiâ, lausq; perennis erit.
Quiq; tibi nocuere prius nocuisse pudebit,
Euersamq; tuam qui voluere scholam.
Quam sit at illa ferax, hodie quàm læta triumphet,
Aedita nunc vel me scripta tacente docent.
Ovtinam tales vellent progignere fructus,
Inuidiæ morsu qui nocuere tibi.
Iam cesset liuor, cessent maledicta, sed ipse
Ne cesses quæso scribere plura: vale.

IOHANNES DELABERVS Doctor Medicinæ.

CLarus Aristoteles, tibi Case recondidit artis
Arcana, & solum te reserare iubet.
Nemo ergò melius diuino munere pandit
Abdita: nec nodos explicat vtilius.
Plaudite nunc igitur Iuuenes mysteria prostant,
Discite fœlices scripta polita viri.

ANTONIVS AILVVORTH PVblicus Medicinæ Professor.

VIta beata sua laude est præstantior omni,
Digna magis sacro semper honore coli:
Laude an honore decet morum celebrare magistrum,
Qui summi ostendit præmia certa boni?
Virtutis qui monstrat iter, pretiumq; perenne,
Et vitij æternum dedecus esse docet?
Ergo tuus tibi constat honos doctissime Case,
Laudari meritus non patietur honos.

Non

Non vitiosus eris, si laudem Zoile carpis:
Sed vitium es, si te iustus adurit honos.

FRANCISCVS VVALLIS
præses Collegij Diui Iohannis præcursoris.

LEctor habes fratres donatos luce gemellos,
Fœlicem tali dicito prole patrem.
Cogitat hic plures, effœtaq; corpora reddet,
Viuat vt in natis secula longa suis.
Hæc monumenta tuo nuper sata Case cerebro,
Quantam mox sobolem sint paritura vide.
Nam benè moratos alios, qui moribus ipse
Conspicuis splendet, reddere iure potest.
Sancta fides, vitæ probitas, illæsaq; fama,
Clara magis scriptis sunt documenta tuis.

CARMEN IOHANNIS READI in morum Philosophiam Ioannis Casi.

SVnt læti fructus magni castiq; laboris,
Atq; fauos dulces sedula præstat apis.
Fertilius in studijs labor est: dialectica nobis
Iam genuit mores, sarcina prima nouam.
Altera iam proles communes exit in auras:
Case, tenes portum, quò tibi cursus erat.
Magnus Aristoteles, Mundi stupor, Orbis acumen,
Naturam, Mores, maxima, mira docet.
Naturam princeps: Mores accepit ab illo
Qui Mores cœlo deuocat, inde docet.

Socratis inuentum Stagirites perficit, illum
Hic Casus magna sedulitate docet.
Si quis inest candor, linguis, animisq; fauete,
Haec merces tanti sola laboris erit.
Durus erit, si quis segetes proculcat in herba:
Si fiat, Zephyri verba caduca ferent.

ETHICI, ET HERCVLEI PARTus Magistri Iohannis Casi Genethliacon, auth. Nicolao Balgaio.

ERgo ὁμότεχνος erit, solus mihi Casus in vrbe?
Atq; erit hic vindex solus Aristotelis?
Quanto ego sum fœlix collegâ? Quantus in illo
Impiger est animus, tædia dira vorans?
Bis decies redijt circumfluus annus ad ortum,
Ver toties terras pinxit honore nouo:
Dum grauido gestans opus istud pectore, Casus
Parturit: ô proles lenta, sed Herculea.
Nam velut in magni cœlestes Herculis ortus,
Nox trinas fertur continuasse vices:
Sic liber, Alcidæ vires habiturus & arma,
Cœlitùs & sensim concipiendus erat.
Siq; animo vatis sit verus & ἐνθεος ardor,
(Quale animo vatis numen inesse ferunt)
Herculeo plus quàm fato, Ramëia monstra
Ingenij fœtu, Case, fugabis ouans.
Hoc si præstiteris, maior tuus Hercule partus
Lentior vt fuerat, latior esse potest.

Tho-

THOMAS DOCHEN.

VNus Aristoteles conscripsit multa, sed illa
Non satis à multis cognita scripta viris.
Altera pars studio facta est obscura librorum,
Deuius auerso vt tramite lector eat.
Altera pars cæcis tractans contecta latebris,
Materiæ abstrusa est pro ratione suæ.
Maxima pars, moremq; hominis, geniumq; secuta,
Presso aut perplexo est enucleata modo.
Ducere in apricum multi studuere priorum,
Antè quod obscurâ texerat arte senex.
Hæc quoq; nostrorum plenis successibus ætas,
Cœptum indefessis mentibus vrsit opus.
Et benè successit: nam non satis obuia dudum,
Iam recitat memori quilibet ore puer.
Hæc tibi cum paucis, tam clari gloria facti,
Cæse venit longos concelebranda dies.
Accepit magnam per te dialectica lucem,
Iam pridem studijs facta diserta tuis.
Ethica consequitur, cultuq; adiuncta sorori,
Diuitias Domini prædicat vsq; sui.
Da comites reliquas, si fas est, Cæse sorores:
Vna sit erga omnes officiosa manus.
Hoc nos, hoc nostram te poscere credito matrem,
Et sine coniunctas pondus habere preces.

ROBERTVS CRANE QVONdam socius Collegij Baliolensis.

CAsus quid dubitet studium committere prælo?
Charta perit casu quæ lacerata iacet.

Inui-

Inuidus at forsan rabido te perdere dente
Vellet, si posset, non valet ille tamen.
Ergo quæ restant obscuris lecta tenebris,
Case precor calamo scribito, sicq; vale.

DE MORALIVM QVAESTIONUM speculo, à Iohanne Caso, in artibus magistro, diligentissimè descripto & concinnato, Tho. Dropi Magdalenensis Carmen.

QVantum luce præit pallentia cornua Lunæ,
Armatus radijs Phœbus in orbe volans:
Tantum inter reliquas celsum caput erigit artes
Ethica, Pierij gloria prima soli.
Hæc Themis, humanæ pandens oracula vitæ,
Et quæ sit iusti semita recta docens.
Hæc Helice, vectis sinuosa per æquora mundi,
Commonstrans Summi littora fausta Boni.
Affectus, æstus, fastus, fremitusq; furentes,
Euripos varios, quos vaga corda cient,
Tranquillat, sedat, leni moderamine placat,
Aut rigido imperio frænat, & arte domat.
Cautibus è duris genuit quos Caucasus horrens,
Immanes Thracas, indomitosq; Scythas,
Instruit, immutat, concinnat, perpolit, ornat,
Læuigat, illustrat, Dijs facit esse pares.
Atticus hinc Socrates, sapiens ab Apolline dictus,
Hanc fertur primùm condocuisse suos.
Post senis Actæi Stagirites æmulus ardens,
Ausus eam in denis accumulare libris.

Hos

Hos iam leuato Speculo doctissimus offert
Casus, Aristotelis fidus vbiq; comes.
Quo benè declarat quanto veneratur honore
Antiqua à doctis tradita scripta viris.
Quo benè declarat, quàm non placet illa moderna
Cacosophia recens, Misosophia nocens.
Quisquis ad Aonios discursas impiger hortos,
Mitibus in studijs tempora multa locans;
Ethicon hoc Casi Speculum spectato politum,
Ingenij specimen non mediocre boni.
Lumen ineſt, & flumen ineſt, & numen in illo,
Ordinis, Eloquij, Dædaliæq; Deæ.
Omnia perfectè definit, diuidit aptè,
Inuenit ingenio, iudicioq; locat:
Præcinit ornatè, clarè distinguit, acutè
Obijcit, argutè soluit vbiq; griphos.
Adde quod eſt Speculum, Speculum pol pulchrius, in quo
Vita duplex viuo picta colore micat,
Altera contemplans, tranquilla per otia vernans,
Altera agens, turbis turbida sæpe suis.
Eſt Speculum, in quo virtutum, Charitumq; relucent
Semina, radices, germina, fructus odor.
Perlege quicquid ineſt, lectum, mihi crede, placebit,
Lectum, crede mihi, commoda multa feret.
Perlege quicquid ineſt, sic linguâ nempe disertus,
Iudicio prudens, moribus almus eris.
Tu quod agis, satagas, peragas, doctissime Case,
Assiduè Musis inuigilato bonis.
Da nobis, patriæq; tuæ, populisq; remotis,
Ingenij, Genij, pignora plura tui.

In-

Incâna hercle tuos peruoluent sæcla labores;
Perpetuoq; tuum nomen honore colent.
Vosq; Calenensis soboles deuota Mineruæ,
Et benè moratæ casta propago Deæ;
Ne Casum vestrum casus deuerrat iniquus,
Cœlestem precibus sollicitate patrem.

RICHARDVS EEDES AEdis Christi.

IN Speculo quicunq; tuo defigit ocellos,
Case: quòd emendet, quodq; sequatur, habet:
Quodq; datur paucis, sic discet doctior esse,
Vt nequeat pariter non magis esse bonus.
Te solum, decet hinc oculos auertere: ne sis
Narcissi in morem captus amore tui.

Idem in Zoilum.

Lumina dum Zoilus Speculum in morale retorquet,
Se videt, & mores non probat ipse suos:
Qui placet ipse sibi, dum se non aspicit ipse:
A Speculo morum, ne videatur, abit.

BARTHOLOMAEVS VVarner.

CLauis Aristotelem reserans, sensumq; recluſum
Ostendens, posset dicier iste liber:
Nam sic exponit, sic explicat omnia, cunctis
Sensus Aristotelis notus vt esse queat.
Inuidet & carpit quod non capit inuidus, & se
Hinc probat ignarum, quòd minùs ista probet.

Bis sex authores author coniunxit in vnum:
Vt simul hos omnes, qui legit ista, legat.

MICHAEL GREENE.

EVge liber, libro non concessure priori,
Euge minor natu, non tamen arte minor.
Lima fuit linguæ prior: hac incûde sed omnis
Cogitur in dubias impetus ire vias.
Case, nec est casus mores formare, nec artis:
Est sacris dignum moribus illud opus.
Qui tibi cum placidi semper faciles q; fuere,
Materies operis est ea digna tuis.
Fortunate senex, ergo tua fama manebit:
Hi tibi magna satis sunt monumenta libri.
Nulla tuas laudes excindent sæcula, nomen
Nulla tuum, quæ non terra loquetur, erit.

MARTINVS READVS.

SI præclara loqui, si quæ sunt vera tueri.
Vt q; probata bonis sit tua vita, velis:
Hunc lege: (Deme sacros) non est mihi cognitus alter,
Qui melius tradat talia tot q; liber.

MIRA, GVARDA.

SCripsit Aristoteles, virtus quæ scriberet, ipsa
Extrueret laudis si monumenta suæ.
Illud Aristoteles, quod Casus, scriberet, ipse
Si scholia ingenio scriberet apta suo.
Debet Aristoteli virtus insignia, Caso
Debet Aristoteles serta, trophæa, decus.

In-

Ingenio, menti, physi, Logicæ, Ethicæ, Physis:
Attulit, auxit, alet, serta, trophæa, decus.

RODOLPHVS RAVENS.

ZOile quid turges? rumpas licet ilia, casu
In Casum nullo vis violenta cadet.
Tu citiùs libro dentes colliseris isto,
Cuius in archetypo nomina Casus habet.
Quisquis enim mores hominum spectabit acutè,
Fit bonus hinc melior, fit malus antè, bonus.
Ne quid mira canam, tu rectè intellige Casum.
Nec si discupias, Zoilus esse potes.

SABINVS CHAMBERVS.

INclytus ille Casus logicæ qui præbuit arti
Lumina, cùm tenebris semisepulta fuit:
Vt fausto tumidos reparet medicamine mores,
Egregiâ denos edidit arte libros.
In quibus explicuit, facili breuitate loquendi,
Quæ facienda bonis, quæ fugienda malis.
Præmia quæ repetit studij, sunt gratia vocis,
Cum precibus mentis: quæ dare nemo neget.

I. VVILLIAMS COLLEGII omnium animarum socius ad authorem.

MOres, ingenium, saphiam, docet, exprimit, auget,
Prudens, pura, pius, vita, loquela, labor.
Hæc tria Case tuo nectuntur iuncta libello,
His tribus addo salem mentis, & artis opus.

Prisca

Prisca nouis, vitiosa bonis, æterna caducis
Coniungis, Speculo discutienda tuo.
Quos metuis metuisse pudor, spreuisse decorum,
Edomuisse parum est, edocuisse decus.
Lux, decus, auxilium, studiosis, artibus, orbi,
Fulge, viue, vige, macte labore, vale.

RICHARDVS HARLY.

IN Speculo discit moderari fœmina vultum,
In speculo sparsas colligit illa comas.
Stulta quid in nigro te spectas fœmina vitro?
Vitra tibi Casus lucidiora dedit.
Siue velis animi seu frontis tollere rugas,
Nulla queunt simili tollere vitra modo.

Aliud.

Iure vocas Diui te Præcursoris alumnum,
Primus apud nostros Ethica nam q3 doces.

GRIFFINVS POVVELL EX collegio Iesu.

LIuida mordacis fregisti spicula Momi,
Vt nequeant Speculum lædere Case tuum.
Inuide confractos deponito Zoile dentes,
Iam lacerare nequis, lingua recisa tua est.

IOHANNIS PRIME IN MORALem Philosophiam Iohannis Casi.

DIscipuli Casum si qui coluére Magistrum,
Quos fecit, Morum præmia Casus habet.

SPECVLVM MORALIVM QVAESTIONVM AVTHORE Magistro Iohanne Caso Oxonienſi olim Collegij Diui Iohannis Præcurſoris ſocio.

Educatio. Doctrina.

An plus valeat educatio, quàm doctrina.

NE VITA HVMANA infinitis malorum ſcopulis obiecta, careret ſubſidijs, philoſophi olim inprimis educationis curam habendam eſſe ſeriò ac diligenter ſuaſerunt. Eſt enim educatio prima, ſecunda, tertia pars vitæ, ſine qua omnis doctrina, authore Seneca, eſt veluti armâta iniuſtitia. Vt ergo ruit ædificium, ſi ſtabile non ponatur fundamentum, ita canones & precepta morum diſcutiuntur incaſſum, ſi educationis non perdiſcatur principium. Sapienter quidem Horatius,

Educatio-nis bonæ neceſsitas.

In lib. de breuitate vitę.

Nunc adbibe puro
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer:
Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem
Teſta diu.

Ne

Ne igitur Iuuenes hunc librum de moribus conscriptum quasi antidotum in sinu, aut ignem in silice circumferant, ne eiusdem præcepta, quæ sunt veluti salutaria pharmaca, animi vulneribus minùs aptè accommodent, ne denique tam castam scientiam illotis (vt aiunt) manibus temerè & inconsideratè contrectent, ab hoc fundamento & seminario morum, nempe ab educatione primum exordiendum esse putaui. Sic prænoniti cauebunt fortasse Iuuenes, ne lasciuis oculis intuentes Dianam à sæuis Actæonis canibus lacerentur, hoc est ne æstuantes affectibus (quibus plerumque hæc ætas scatet) vitiorum sordibus coinquinẽtur. Vt enim cibus non prodest, si stomachus sit plenus veneno: ita morum præcepta non proficiunt, si animus sit coôpertus vitio. Qui hortum amœnum ac frugiferum habere studet, necesse est primùm venenatas & malè olentes herbas radicitùs euellat: ita qui animum moralis philosophiæ institutis imbuere contendit, necesse est primùm helleborum corruptæ naturæ sumat, quo omnes animi latebræ & re-

Educatione affectus superandi.

recessus à contagione dissolutæ vitæ expurgentur. Hoc autem fieri non potest per solam doctrinam: quippe multi quidem præclarè sapiunt, sed pauci sunt qui præclarè viuunt. Doctus Cæsar, at tyrannus: doctus Alexander, at superbus: nõ ergo tantùm valet eruditio, quantùm præualet educatio. Illa aurem pertundit, hæc mentem instruit: illa discitur sæpe sine vsu, hæc nunquam habetur sine fructu: illa multis perniciem peperit, hęc suis semper salutem dedit: illa fluit ac refluit, hæc constat stabilisque manet: illa in bonis & malis floret, hæc solùm in alumnis virtutum lucet: illa cum vita vt vmbra labitur, hæc post mortem ad cœlos nobiscum tollitur: illa animum solùm ornat, hæc animum & corpus virtutis imperio subijcit: illius contemptio stultũ, huius neglectio pernicioſum efficit: est ergò quòd rectè concludam plùs quidem valere educationem quàm doctrinam. Hortanda est igitur studiosa Iuuentus, vt affectus supprimere, libidinem refrænare, radices vitiorum euellere, ignorantiam fugere, parẽtes ac præceptores audire, illorum præcepta

Educatio cum doctrina collata ei præfertur. Rationes affatim collectę quibus probatur plus valere educationẽ quàm doctrinam.

cepta discere, bonorum exempla imitari studeat. In hoc enim solo vis educationis consistit, vt audiendo bona viuere contendas benè. Educatio in quo consistat.

Educatio est vel
- Naturalis, quę est infantis tam in sanitate totius corporis, quàm in singularum partium concinnitate diligens conseruatio.
- Ciuilis, quæ est vel
  - Publica per magistratũ.
  - Priuata per patrem aut præceptorẽ, quæ proprièhic intelligitur.

Plus valet educatio ad studium virtutis quàm doctrina, propter
- Dignitatem subiecti: voluntas enim educationi, intellectus doctrinæ subijcitur.
- Excellentiam obiecti: bonum enim respicit educatio, verum autem respicit scientia.
- Nobilitatem finis: Nam educatio benè & beatè nos viuere, at doctrina nos scire tantùm ac philosophari docet.

Opp.

Si non sit morum directio nil valet educatio: sed per solam doctrinam est morum directio: ergo sine doctrina nihil valet educatio.

Resp.

Morum directio contingit bifariã, vel per
- *Doctrinam, quæ præcepta solùm virtutis tradit.*
- *Disciplinam, quæ ad obseruationem præceptorum & actionem virtutis vrget. Illa adiuuat vt remota causa, hæc perficit*

Morum directio per Doctr. Discipl.

vt medicina: illa nos scire facit modum viuendi, hæc ipsum habitum ingenerat: magis ergo valet educatio, quæ animum ad actionem virtutis confirmat, quàm doctrina, quæ hominem in contemplatione solùm virtutis instruit.

Opp.

Lib. 1. Ethic. 9. Quicquid expellit morbos animi, & sanat hominem, maximè valet ad studium virtutis: sed teste Aristot. morum philosophia expellit morbos animi & sanat hominem, cum sit medicina animi expultrix vitiorum: ergo maximè valet ad studium virtutis: & ex consequenti magis quàm educatio.

Resp.

Doctrina est medicina, Educatio medicinæ applicatio. Aliud est medicina, aliud medicinæ applicatio. Fatendum est morũ philosophiam esse quidem medicinam eandemq; expultricem vitiorum, at nõ sine applicatione, quæ est educatio. Est enim doctrina morum salutaris medicina, est verò educatio vitæ humanæ ad virtutis normam conformatio.

Opp.

Topicorum 3. Bonum quo antiquius, eo melius: sed instructio ad bonos mores est bonum antiquius quàm educatio, ergo est melius, & proinde magis valet ad studium virtutis. Maior est Aristotelis tertio Topicorum, Minor probatur quia ad virtutis normam morum non potest esse cõformatio, nisi præcedat virtutis scientia: frustra enim conaris benè educare, nisi viam virtutis possis demonstrare.

Resp.

Resp.

Maxima illa Aristotelis intelligenda est in bonis eiusdem speciei ac ordinis aliam non habentibus differentiam quàm diuturnitatis ac certitudinis. Quoniam igitur scientia, & educatio non sunt bona eiusdem speciei ac ordinis, cum illa sit bonum mentis, hæc moris, argumentum ab eo loco ductum in his non tenet.

Bonũ quò antiquius, eò melius, quomodo intelligendum.

Scientia bonum mẽtis.

Educatio bonum moris.

Opp.

Quo aliquid certius eo melius: sed scientia est educatione certior, cum sit solùm in his quæ aliter se habere non possunt, ergo & melior: & proinde magis valet quàm educatio, quæ est mutabilis & voluntaria. Ma. est Aristotelis Top. 3. Cap. 1. Minor est eiusdem 1. Demonstrat.

3. Topicorum 1. libr. Analyt.

Resp.

Certius aliquid dicitur dupliciter, vel quoad

- Demonstrationem rerum, & sic scientia res omnium certissima habetur primo libro Demonstrationis.
- Conformationem morum, & sic virtus omni scientia certior & constantior dicitur primo Ethicorum capitulo sexto. eodem modo nos de educatione, quæ solum virtuti innititur respondemus.

Scientia certior quoad demonstrationẽ rerũ.

Educatio quoad conformationẽ morum.

Cap. I.

An omnia appetant bonum.

Bonum.

Finis consideratio excitat ad bene agendũ. Lib. 1. Metaphy.

QVoniam nulla re magis allicitur homo ad benè beateque viuendum quàm spe certa & expectatione finis (est enim ardens quasi sitis insita nobis & appetendi scientiam & acquirendi bonum) præclarè quidem Aristoteles à scopo & fine humanæ vitæ hoc opus inchoat, vt acriùs nos incitet ad officiũ, & faciliùs pertrahat ad virtutis portum: sic enim ait, omnis ars, omnis doctrina, omne studium & institutum ad bonum aliquod refertur. Per artem opus, per doctrinam contemplatio, per studium & institutum intelligi mihi videtur actio.

Triplex genus vitæ describitur. Vita Mechan. Politica. Theoric.

Cum enim triplex humanæ vitæ sit genus, primum in opere vnde Mechanici, alterum in actione vnde Politici, tertium in contemplatione vnde Theorici, ac sapientes dicimur. Appositè hæc tria generatim insinuauit philosophus, de quibus posteà copiosè ac speciatim agit. Sed ne longiùs errem à proposito, non est tacenda

da communiter recepta opinio, nempe quòd sub his tribus nominibus omnia (quæ in vniuerso subsistunt) intelligantur: vnde emergit hæc quæstio: An omnia naturæ vi ac impetu ad bonum tendant & moueantur? Etsi fateor equidem hoc verum esse quod aiunt, nimirum bonum seu finem omnia appetere: tamē per hæc nomina, nō Thesin sed Hypothesin, non rasam tabulam omnium, sed vitā hominum Arist. intellexisse puto. Verùm quoniā sub hominis appellatione res omnes quæ eius imperio subijciuntur solent intelligi, quoniamq; hîc summum bonum à philosopho id definitur, quod omnia appetunt, rectè à Thesi ad Hypothesin, id est à confusa quæstione ad certam & definitam fluere potest interpretatio. Omnia ergo appetunt bonum: per omnia ens totum: per appetere, naturæ vim & potentiam: per bonum, finem & perfectionem intellige. Distinctius (si velis) hoc modo, per omnia quatuor rerum ordines ac gradus: per appetitum nunc ipsam naturam, nunc potentiam naturæ, nunc influentiam cœli: per bonum aliquando opus, ali-

Summum bonū quid.

Quatuor rerum ordines & gradus qui sint.

quando actionem, sæpe contemplationem demõstro. Res in primo gradu sunt inanimæ, vt cœlum & elementa; in secundo sunt res animatę, vt plantæ; in tertio sunt sensus participes, vt belluæ: in postremo sunt ratione præditæ, vt homines & intelligentiæ. Hanc veluti scalam olim contemplantes philosophi, deum esse viderunt & docuerunt, in quo omnes omnium rerum essentiæ admirabili quodam modo nexuque vniuntur, ac in perpetuum tanquam in infinito ac summo bono conseruantur. Vt ponuntur iam quatuor rerum gradus, ita quadruplex distinguitur appetitus, qui vulgô naturalis, vegetabilis, sensibilis & rationalis dicitur. Primò res primi gradus vt elementa, secundò res secundi ordinis vt plantæ, & sic deinceps, tertiò res tertij, quartò res quarti ad bonum & finem referuntur. Ad bonum & finem dico, quia bonum & finis conuertuntur; est enim finis, cuius causâ cætera omnia fiunt, qui vt est vltimum quod acquiritur, ita est semper primum q̃ proponitur, iuxta illud: finis est primũ in intentione, & vltimum in executione.

Deum esse docuerunt Philosophi.

Appetitus quadruplex ad quatuor rerum ordines accommodatus.

Finis quid. Finis primũ in intentione, vltimum in executione.

Huius

Huius disputationis vsus est, vt in omni actione omniq́ conatu Biantis audiamus consilium, Respice finem. Respice finem.

In hoc opere considerari debent quinque.

- Operis huius Autor, Causa mouens, Subiect. Ordo, Finis.
  - Autor, qui fuit Aristotel. summus ille philosophorum princeps.
  - Causa efficiens mouens, nempe Nicomachus filius.
  - Subiectum, nimirum vita hominis virtute excolenda, quę est aut
    - Mechanica, cuius finis est opus.
    - Politica, cuius finis est actio.
    - Theorica, cuius finis est contemplatio.
  - Ordo, qui est disciplinæ, non naturæ: nã humanarum actionum non potest esse demonstratio.
  - Finis, qui est præceptis & exemplis bonos & beatos reddere.

Omne sumitur aut

- Finitè pro ente vt antè exponitur in qua druplici rerum subsistentium gradu.
- Infinitè & confusè, pro ente tã rei quam rationis, & sic aliqui exponũt hunc locum, docẽtes quod & entia rei vt suprà, & entia rationis suo queq; ordine referantur ad finẽ: verior tamẽ meo iudicio est prior interpretatio, cũ entia rationis ab homine solo fabricata ad finẽ rationę hominis dirigant. Nota.

Appetitus distinguitur vt suprà.

Bonorum aliud est

- Naturale quod est vel
  - Internũ, vt forma, exẽpli causa, anima.
  - Externum, vt actio formæ, exempli causâ, scientia.
- Morale. Bonum Naturale, Morale.
  - Per se q̃ est aut
    - Medium, vt virtus.
    - Vltimum, vt fœlicitas.
  - Per accidens q̃ est vel
    - Bonum fortunæ, vt diuitiæ.
    - Bonũ corporis, vt sanitas & apta membrorum cõpositio.

Opp.

Qui sciunt malum esse quod appetitur, appetunt illi malum: sed incontinentes sciunt esse malum quod appetitur: ergo incontinentes non appetunt bonum. Maior patet ex Arist. in 5. lib. cap. 9. vbi probat neminem sibi iniuriam facere, quia omnes iniuriam malum esse iudicant. Minor constat in 7. lib. vbi inter iracundum & incontinentem hoc ponitur discriminis, quòd iratus propter impetum passionis, quæ meliora sint non videt, incontinens autem seu mollis meliora videt, sed deteriora sequitur.

Resp.

Incõtinens habitu rationis meliora videt, impetu affectionis deteriora sequitur.

In molli seu incontinente spectari debent duo.

- *Habitus rationis, quo naturaliter videt meliora quæ relinquit.*
- *Impetus passionis, quo violenter incitatus deteriora repetit, sic quasi per trãsennam, bonum vt aiunt videt, inflammatus tamen voluptatis facibus, malum pro bono accipit, videt ergo quod bonum est ex habitu rationis, aut appetit quod malum est, idq; vt summum bonum ex cæco impetu affectionis. Idem dicendum est de illis qui violentas sibi manus inferunt.*

Opp.

Quicquid bonum appetit, finem appetit, nam bonum & finis conuertuntur, sed voluntas finem non appetit, ergo nec bonum: minor patet, *quia voluntas quæ appetit est infinita, fœlicitas autem quæ appetitur est finita,*

nita, sed inter finitum & infinitum nulla est proportio: ergo voluntas bonum non appetit.

Resp.

Voluntas bifariam cõsideratur, aut

- *In essentia perfectionis, & sic est infinita habet q; suum finem Deum à quo & esse & bene esse habet.*
- *In regula virtutis, & rationis, & sic in hac vitâ est fœlicitate terminata.*

Voluntas quomodo finita, quomodo infinita.

Opp.

Appetitus contingit ex defectu optati & desiderati alicuius boni, sed sunt multa quæ nullum defectum boni sciunt, vt Deus & beati spiritus, ergo omnia non appetunt bonum: maior est philosophi in primo Physico. Minor est eius in primo libro de Cœlo cap. nono.

Appetitus est ex defectu boni desiderati.

Resp. duplex.

Appetitus illic intelligitur naturalis, qui est in imperfectis tendentibus ad summum bonum, at hic generatim nomen appetitus accipitur, non solùm pro motu ad perfectionem, sed etiam pro essentiâ & influentiâ mouente & conseruante omnia, & sic Deus appetere bonum id est conseruationem rerum omnium dicitur. Alij volunt excipi ab hac propositione summum bonum, vt in multis vniuersalib. pronunciatis apud Aristotelem: exempli causâ, omne corpus habet locum, excepto primo mobili: quicquid scitur per causas scitur, excepto principio: omne relatum habet correlatum, excepto summo genere: similiter omnia bonũ appetunt excepto summo bono, probabile est vtrumq; responsum, at primum melius esse videtur.

Intelligendum de appetitu naturali.

Opp.

Opp.

Voluntas potest appetere vel nõ appetere, cum sit secundum philosophum libera voluntas animi, ergo omnia ex necessitate non appetunt bonum.

Resp.

Voluntas aliquid semper appetit, nõ fato, sed naturæ vi.

Vt vis lucendi solem, ita vis appetendi voluntatem sequitur, & quamuis secundũ philosophum ad hoc vel illud fatali necessitate non cogitur, non tamen quiescit, sed vi naturæ ad aliquod obiectum semper mouetur.

Cap. II.

An sit vnus rerum agendarum finis?

Finis rerum agendarum vnus.

Per res agendas virtutes inprimis intelliguntur.

ATheſi iam tandem ad Hypotheſin prolapſus Ariſtoteles humanum appetitũ ſeptis quibuſdam rationis circumſcribere contendit: conatur enim hoc loco vnum & vltimum rerum humanarum finem ante oculos ponere, vt tam ſtudio virtutis, quàm pręmio fœlicitatis allecti, ad ſcopum vitæ (quæ eſt ipſa beatitudo) feſtinemus: per res agendas, virtutes maximè: per finem vnum ſolam beatitudinem intelligit: quam intuentes vt ſignum, cupientes vt præmium, & directiùs progredi, & velociùs ad optatum

tum portum ferri possimus. Nam vt viâ cognitâ citiùs iter conficitur, ita hoc fine veluti mentis luminibus perspecto, longè meliùs vita ad summum bonum dirigitur. Nemo rectè pingit si non sit exemplum, nemo directè telum mittit si non videat scopum, nemo castè viuit si non speret præmium. Segnis enim & otiosa est vita humana, opus est ergo præmijs vt moueri, opus est stimulis vt incitari possit. Consultò igitur Aristot. finem vltimum quasi motricem causam bene viuendi nobis proponit, quem si ignoremus, inanis esset omnis nostra appetitio, vana esset omnis nostra de bonis moribus consultatio, otiosa esset omnis optimarum rerum electio, stulta futura esset omnis studiosa actio, insana esset omnis tantorum discriminum solius virtutis causâ in hâc vitâ susceptio. Quorsum enim hæc omnia fierent? quorsum susciperentur, si non esset virtutis palma, id est beatitudo? rectissimè ergo vnus rerum agendarum finis proponitur vt idem à quolibet (currente stadium virtutis) comparetur. Nam vt in Olympicis ludis

Finis considerandi necessitas & vtilitas.

Ratio cur philosophus primũ de vltimo fine agit.

Honorem cupienti affectus superandi.

dis is solùm donatur coronâ qui certat & vincit, ita Oliuam virtutis id est honorẽ is solùm meretur qui omnes affectus superat. Concludam cum philosopho hunc finem omnium esse nobilissimum, & proinde nobilissimam esse hanc artem cui subijcitur. Sed quoniam in epistolâ ad lectorem de hoc argumento diximus, libentiùs hoc loco id ipsum prætermittemus.

Ars optima cuius finis optimus.



Argu-

Argumenta quibus probat vnum esse finem sunt à
- Similitudine sagittarij intuentis signum.
- Euentu consequente
  - Vt in suppositione antea probatur.

Argumenta probantia vnum esse finem.

Opp.

Contemplatio virtutis in 10. Ethico. Perpetua contemplatio primæ causæ in 11. Metaphysico. perpetua actio virtutis hoc loco vltimus finis dicitur: ergo sunt plures fines vltimi.

Resp.

Vt intellectus agens & patiens speculatiuus, & practicus, non naturâ sed respectu differunt, ita fœlicitas actiua & speculatiua non re, sed ratione distinguuntur, vtraq; enim in habitu virtutis & ornatu mentis quoad essentiam manet; quare etsi modus & existentia vtriusq; in subiecto mutetur, idem tamen habitus & essentia vtriusq; immutabilis est & subsistit. De Metaphysico autem fine respondeo, quod hic non intelligatur, hic enim de fine coniuncto non separato agitur.

Fœlicitas actiua à fœlicitate contemplatiua re & essentia non differt.

Opp.

Finis vnius scientiæ non est rerum omnium agendarum finis, sed beatitudo est finis vnius scientiæ, nempè ciuilis, vt in hoc loco docet philosophus, ergo non est finis omnium.

Resp.

Quamuis sunt particulares quidem fines rerum omnium omniumq; scientiarum, vt rectè loqui & scribere in

Fines medij complures, vltimus tantum vnus.

re in grammaticâ, ornatè dicere in Rhetoricâ, subtiliter disserere in Dialecticâ, vnus tamen vltimus finis omnium esse potest, ad quem reliqui vt lineæ vnius circuli ad centrum referuntur. Quòd verò hic vltimus finis huic scientiæ solùm ac distinctè subijciatur, contingit propter dignitatem & excellentiam eiusdem, quippè vt reliqua omnes scientiæ in genere ac ordine veri sub Metaphysica, in ratione probabilis sub Dialectica; ita in genere ac ordine boni sub Ethica continentur.

Omnes scientiæ diuerso respectu sub dialectica, Metaphysica & Ethica continentur.

Opp.

Malum bono opponitur, ergo vt est summum bonum, ita erit summum malum, & proinde erunt duo fines.

Resp.

Malum opponitur bono, & vt est vnum bonum ita est infinitum malum, vt placet Pythagoræ: attamen malum finis esse nō potest, sed potiùs priuatio finis: est enim officium finis perficere, at mali officium est corrumpere, & perfectione omni priuare.

Opp.

Non minus natus est homo ad sciendum verum, quàm ad agendum bonum, ergo vt summum bonum est finis rerum agendarum, respectu voluntatis, ita summum verum erit finis rerum sciendarum respectu intellectus. Prima pars antecedentis probatur ex Arist. ca. 10. lib. 10. Metaphysico.

2. lib. Ethic. Malum non est finis sed priuatio finis.

Resp.

Resp.

Vt voluntas Metaphysicè refertur ad infinitum simplex & incommutabile bonum; ita intellectus refertur ad infinitum simplex & incommutabile verum, quod verum & bonum idem est principium causa & motor omnium, nempè ipse deus qui ab Arist. definitur motor primus, vnus, simplex, infinitus, immensus, incommutabiliter manens sine tempore, qui mutare potest omnia, ipse verò mutari non potest: de hoc fine hîc non agitur.

Voluntas ad bonum, intellectus ad verum refertur.

Deus ab Arist. describitur.

Opp.

De obiectis tam voluntatis quàm intellectus, nempè de bono & vero agit Aristot. in Ethicorum 1. & 6. ergo de hoc duplice fine agitur.

Resp.

De obiectis tam voluntatis quàm intellectus nempè de bono & vero agit quidem Aristoteles, in locis citatis, sed alio quidem sensu, hic enim de illis agit vt ad Politicam vitam vsumq; spectant, illic vt in deo essentialiter vniuntur, hîc vt acquiri possunt in hac vita, illic vt apprehendi possunt in æternitate, voluntatem enim perpetuam & mentem æternam ac immortalem libr. 3. de Anima & 5. cap. ponit Aristot. vnde necessariò sequitur vt sit æternum obiectum vtriusq; ne inter subiectum & obiectum nulla fieret proportio.

Cap. III.

An sit rerum in hac scientiâ demonstratio? An Iuuenis sit idoneus auditor?

Artis huius Ordo Auditor.

DVO in hoc capite à philosopho explicantur, ordo & auditor artis: ordo, ne cognito iàm fine anceps & incerta sit via progrediendi; auditor, ne inaniter à quolibet tam fructuosa aut tractetur aut perdiscatur scientia, ordinem præscribit facilem, est enim disciplinæ, quippè accuratum & limatum disputandi genus in hac parte philosophiæ negant dissimilitudo morum in diuersis locis; multitudo rerũ & consuetudinum; magna incertitudo euẽtuum, à quibus in hac vita homines plerumq; pendent; imbecillitas & error hominum, & denique varietas actionum humanarum; quæ vt ait Arist. in textu certâ demonstrationis lege coërceri nequeunt, sed attende, quãuis ob has causas non sit vt in mathematicis demonstratio, est tamen nunc ab exemplo, nunc ab inductione, nunc ab euẽtis

Ordo disciplinæ. Rationes ordinis in libris Ethic. obseruati.

tis alijsque similibus locis certa, & efficax persuadendi ratio. In Ethicis enim, non tam docere intellectum, quàm mouere voluntatem quærimus. Nam intellectus demonstratione, voluntas inductione vincitur. Percepto iam ordine quis sit aptus & idoneus auditor breuiter dicamus. Audiunt hanc sanè multi, sed benè & efficaciter audiũt pauciſſimi. Audire enim hoc loco non est auribus verba tantùm percipere, sed altiùs de præceptis virtutis meditari, adeoque voce, vitâ, exemplo, alijs prælucere. Imberbis ergo iuuenis ab hac scholâ pellitur, delirans senex non admittitur, ille enim experientiam non didicit, hic affectibus quasi furijs agitatus re pueraſcit: hinc rectè illud, senex bis puer, non solùm quia viribus, vitâ, ingenio deficit, sed quòd in cymbâ Charontis positus, morum philosophiam benè non audiat. Iuuenis ergo hîc non tam ætate quàm moribus intelligi debet. Nam vt ante periodum illius ætatis raro cernitur constantia: ita canitiem capitis semper non sequitur affectuum anchora & moderatio. Quarè non annorum paucitate

Ethica cum intellectum informatũ, tum voluntatem reformatã cupit.

Quis aptus & idoneus auditor huius artis.

Audire quid, hoc in loco.

Vox, vita, opus, concurrunt in honesta vitâ.

Iuuenis & delirans senex audiores inepti.

Senex bis puer.

Iuuenis ætate, moribus.

Canities sapientem senem non facit.

aut multitudine, sed morum inconstantiâ & leuitate hoc loco iuuenem definio. Quippè si verè dicam quod sentio, non fuit omnino decretum philosopho omnem hominem ante trigesimum quintum annum quo termino clauditur iuuentus, ab hoc gymnasio explodere atq; arcere. Nihil minùs meo quidem iudicio sensit, nihil minus suasit. Nam intra circulum tot annorum & affectus supprimi, & experientia acquiri, & ingenium perfici, & imperium rationis ac virtutis rectè teneri possit: hic ergo sensus est ni fallor, iuuenem excludi, id est, omnem hominem, qui seipsum non vincit, id est, vt iterùm dicam, qui affectibus nimium succumbit, qui vitijs inseruit & mancipatur. Sapienter ille,

Status quæstionis propositæ.

Iuuenis quis excludatur ab auditione moralis philosophiæ.

Fortior est qui se quàm qui fortissima vincit, &c.

Auditio ethices omnibus vtilis.

Hanc igitur audiat iuuenis, audiat etiam & senex: audiat ille vt medicinam, audiat hic vt vitæ regulam: est enim vtilis & bonis & malis, bonis vt semper virtuti studeant, malis vt ab extremâ miseriâ tandem resiliant.

Non

Non potest esse in hac scientia demonstratio propter { Dissimilitudinem morum, Multitudinem rerum, Mutationẽ legum, Incertitudinem euentuum. } quæ omnia sæpè mutantur & ob eandem causam accuratè demonstratione explicari nõ possunt. } Demonstratio cur hîc esse nequeat.

Impedimenta quò minus aliquis sit idoneus auditor moralis philosophiæ, sunt { 1 Defectio ætatis, 2 Peruersitas opinionis, 3 Ignorantia rerum, 4 Inconstantia morum, 5 Fluxus & refluxus affectuum, 6 Affluentia vitiorum. } Auditionis idoneæ impedimenta sex.

Opp. De ordine.

Omnis scientia quæ est de certissimâ materiâ demonstrationibus confirmari potest, sed moralis philosophia est de certissimâ materiâ, ergo demonstrationibus confirmari potest.. Maior est Aristot. libr. primo Demonstr. minor est in decimo capit. primi libri Ethicorum, in quo loco hæc sunt verba, nempe quòd, Nulla in re mortalium tanta insit firmitas, tanta constantia vt ijs in rebus, quæ virtute geruntur, & iterum in libro secundo, capit. sexto, dicit philosophus quòd virtus sit certior omni scientiâ. Virtus est omni arte certior.

Resp.

Vt in his locis de firmitate & constantiâ virtutis, ita in secundo capit. 2. libri hæc in contrario sensu habentur verba: vt autem in rebus salubribus, sic in actionibus Contraria loca conferuntur & reconciliantur.

nibus ijs omnibus quæ conducunt nihil inest firmitatis, nihil stabilitatis & roboris. Quare obseruandum est non tam quid dixerit, quàm quid senserit in his locis Aristot. In prioribus ergo locis intellexit miram influentiam virtutis in habitu confirmato, & sic firmior & certior est, omni arte, non quod demonstrationem rei, vt concludatur, sed quoad inclinationem & directionem animi, vt in honestis vitæ actionibus confirmetur, alter locus de actionibus humanis (quæ sunt incertæ) intelligitur.

Virtutes artibus quomodo sint firmiores, quomodo minus firmæ.

Opp.

Illa scientia quæ definitiones & proprietates habet, demonstrationibus vti potest, sed morum philosophia & definitiones & proprietates habet: ergò demonstrationibus vti potest: maior patet quia definitio & proprium sunt principia demonstrandi. minor constat, quia virtutes vitia, & affectus in hac scientiâ definiuntur eorumq; proprietates explicantur.

Resp.

Scientiæ certæ dicuntur trifariam vel quarum

1. Principia nullo modo mutari aut impediri possunt: sic Metaphysica, Physica & mathematicæ certæ habentur.
2. Principia sunt quidē certa per se ad effectū producendum, per accidens tamen mutari possunt, vt constellatio destinata ad hunc vel illum effectum, alterius tamen vi obtundi potest.
3. Principia incerta sunt & in effectis suis

suis producendis frequenter impedita vt voluntas, appetitus, intellectus, & harum scientiarum analytica non potest esse conclusio, definitiones quidem & proprietates traduntur, sed materiales vt aiunt respectu subiecti in quo insunt, non formales & per se respectu definiti: quippe virtutes, vitia, affectus, accidentia sunt & per subiectum definiuntur ac demonstrantur.

Opp.

Iuuenes sunt idonei auditores speculatiuæ scientiæ, ergo multo magis sunt idonei practicæ & moralis: antecedens probatur quia animus iuuenis est rasa quasi tabula apta ad omnem formam capiendam: Argumentum sequitur à maiore seu fortiore. Nam contemplatio & melior & certior actione dicitur lib. 10. Ethicorum.

Resp.

Duo præcipuè impedimenta sunt, quò minus iuuenis sit tam idoneus ad audiendā philosophiam morum quàm ad contemplationem rerum; quia principia morum dependent ab experientiâ, quâ caret iuuenis, sed principia speculationis non dependent: iterum quia in animo Iuuenis multa repugnantia & infesta reperit morum philosophia, nempè affectus & voluptates, sed non reperit quicquam sibi contrarium ipsa contemplatio. Quarè etsi sit difficile cōtemplatiuam scientiam discere, est ta-

Iuuenis cur sit minùs idoneus auditor ethicæ quàm theoricæ.

men difficilimum morum philosophiam audire, id est sequi, eiusdemq; præceptis obtemperare.

Opp.

Ante Periodum iuuentutis acquiri potest fœlicitas quæ est finis huius scientiæ: ergo iuuenis est idoneus auditor: antecedens probatur quia docet philosophus quemlibet posse beatum effici.

Resp.

Si circuitum ætatis spectes, non negamus quin iuuenis possit esse beatus sed quia rarissimè sibi constat hæc ætas, in textu hoc ipsum illi negatur.

Cap. IIII. & V.

An voluptas, honor, diuitiarum affluentia, aut virtus, sit beatitudo?

IAEdium vel potiùs infinitum esset omnes omnium de beatitudine sententias ac opiniones hîc percensêre. Nam rectè Aristot. curare quod quisq; loquatur dementis esset: Pyrrho omnino fœlicitatem sustulit: Porcus ille Aristippus voluptatem esse putauit: diuitias Crœsus & Midas pro summo bono habuerunt. Periander honorem, Socrates scientiã: ideam Plato, Zeno virtutem; Dion prudentiam, sapientiam Bias, vsum

Multiplex opinio de fœlicitate.

&actio-

& actionem virtutis noster Aristoteles po suit. Quid multis? quot homines tot capita & sententiæ. Nam ægri in sanitate, in libertate oppressi, imbecilles in viribus, in honoribus ignobiles, scopum & portum humanæ vitæ esse somniamus. Quot capĩta, tot sensus.

Quædã ergo principum philosophorum ex turbâ & syluâ omniũ sententiæ de beatitudine hoc loco refutãtur, quarum prima est quòd voluptas, secunda quòd honor, tertia quòd diuitiæ, quarta quòd virtus pro summo bono haberetur. De primâ quid dicam? est vox pecudis non hominis; quî enim fieri potest vt Sardanapalus omnium libidinũ ac voluptatum charybdis fœlix euadat? si enim voluptas sit nihil aliud quàm esca serpentis, quàm cicuta virtutis, quàm spuma & sperma veneris, quàm sentina, & (vt loquitur orator) tæda omnis turpitudinis, si sit, vt concludam cum philosopho, cõmunis quasi pestis nobis cum beluis; qui fieri potest vt sit proprius finis ac summum bonum hominis? sperne ergo voluptates: nocet enim empta dolore voluptas. De secunda opinione non est quòd multis disputem,

Quatuor primariæ opiniones de vltimo fine refelluntur.

I. Voluptas cur non sit summum bonum. Descriptio fœdæ voluptatis.

Nam

2. Honor non est summũ bonum. Lubrica est scala fortunæ.

Nam quãuis sit ambitiosa hæc ætas mundi, tamen Cæsar cum pompâ, Alexander cum sceptro cecidit: rectè ille, regnabo, regno, regnaui, sum sine regno: lubrica est scala fortunæ, & comes regni semper inuidia est, quo altiùs scandis eo grauiùs cadis. Nam

Icarus Icarijs nomina fecit aquis.

3. Diuitię non sunt summum bonum.

Honor inquit philosophus est in honorante, at fœlicitas est in ipso beato, non est ergo honor beatitudo. Tertia opinio perniciem Midæ peperit, nam impetrato vt quicquid tangeret in aurum mutaretur, fame tãdem exêsus perijt miserrimè. Ista iam siti pecuniarum æstuant & laborant plurimi, qui aureum Nilum nocte somniantes, pro auro & argento quę sunt nihil aliud, quàm naturæ stercora, in omnem scopulum rapiuntur: sapienter Ouidius,

Itum est in viscera terræ, &c.

Rationes cur diuitiæ non sint beatitudo.

Vno verbo sic ago: diuitię sunt bona fortunæ, in diuitijs nulla est constantia, cùm diuitijs malè vti possimus; multis pernicie m, omnib. penè periculũ creant diuitiæ, ergo in eis non est beatitudo. Quarta opi-

nio

nio grauis est, nam Stoïcorum est: nempè quòd virtus sit summum bonũ hominis. Nescio sanè in quam lancẽ pondus rationis inijciam, dicã tamen cum Aristotele, quod amicus sit Zeno, qui virtutẽ: amicus Plato, qui Ideam: magis autem amica veritas, quæ perpetuam virtutis actionem pro fœlicitate humana accipit. Nam etsi virtus sit pretiosior auro, etsi virtus sola post funera viuat, tamen si illam in habitu non in actu, si in quiete non in motu, si deniq; in sinu non in manu teneas, certè vt parum prodest alijs ad exemplum, ita sibi deest ad nomen beatitudinis aucupandum. Cum ergo aliud sit virtus, aliud actio virtutis, illam vt medium, hanc vt præmium: illam vt radicem & causam, hanc vt fructum & finem ponimus. 4. Virtus non est summũ bonum.

Voluptas quid?

Voluptas est naturalis & insidiosa affectio animi, orta vel ex memoriâ, vel ex præsentiâ, vel expectatione veri aut apparentis boni, quâ delectantur sensus, diffunduntur spiritus, demulcetur appetitus, cui vt ait Arist. difficilius est resistere quàm furori. Voluptas quid.

Volu-

Voluptas non est fœlicitas,
- Quia est naturalis affectio,
- Quia est communis homini & belluæ,
- Quia potius ad malum quàm ad bonum incitat,
- Quia sæpius corrumpit, quàm cõseruat.

Honor quid?

Honor quid.

Honor est debita reuerentia tributa alicui in testimonium virtutis, aut summæ dignitatis.

Honor non est fœlicitas.
- Propter incertitudinẽ eiusdem, cum sit bonum fluens & externum.
- Propter periculum quod sæpè ex eo contingit.
- Propter relationem ad aliud bonum quod per se expetitur.

Honor est per essentiam & subiectiuè in honorãte, est autem per causam & obiectiuè in honorato.

Diuitiæ.

Diuitiæ quid.

Diuitiæ sunt externa bona labore parta, timore conseruata, dolore perdita, quę in bonis ornamenta virtutis, in malis instrumenta sceleris esse possunt.

Non sunt fœlicitas.

Diuitiæ non sunt fœlicitas.
- Quia fluunt & refluunt,
- Quia bonis & malis competunt,
- Quia plures ad perniciem, quàm ad virtutem rapiunt.

Virtus quid?

Virtus quid.

Virtus est habitus voluntarius & electiuus,

ctiuus, in mediocritate positus, prout prudens præscribit agendi circumstantias.

Virtus non est fœlicitas.
- Quia eius essentia nempè habitus in dormiente esse potest, id est in nihil agente: at fœlicitas sic inesse non potest.
- Quia virtus expetitur propter actionem eiusdē, quæ actio beatitudo dicitur.

Generalis distinctio quâ ostenditur quod bona externa non sunt fœlicitas.

Probatur quòd bona externa non possunt esse beatitudo, (Non est fœlicitas.)
- Ratione possessionis, quia propriè nostra dici non possunt.
- Ratione acquisitionis, quia per iusta media semper non acquiruntur, sæpe enim per vim & fraudem comparantur.
- Ratione dependentiæ, quia ad alia semper referuntur.
- Ratione insufficientiæ, quia appetitus illis non clauditur: Iuxta illud. Crescit amor nummi quantū ipsa pecunia crescit.

Opp.

Omne bonum quod propter se & non propter aliud expetitur est summum bonum, sed voluptas tale est, ergo est summum bonum. Maior est Arist. in textu. Minor est in cap. 8. lib. 1. Rhetorices.

Resp.

Duo spectantur in homine.
- *Ratio seu intellectus, & sic dirigitur ad virtutis actionē, q̄ est vera beatitudo.*
- *Affectio seu appetitus, & sic rapitur sæpè ad voluptatē, quæ vltimū bonū dicitur inter affectus, de quib. illic agit Arist.*

Distinctio Thomæ, Bona externa non sunt beatitudo.

Opp.

Opp.

Id summum bonum est quod summam delectationem habet quod q3 omnes appetunt, sed voluptas summam habet delectationem eandemq3 omnes & singuli appetunt: ergo est summum bonum. Prima pars maioris est Arist. 10. cap. libr. 1. vbi docet quod fœlicitas sit quiddam maximè delectabile & amœnum: secunda pars est in definitione vltimi finis. Prima pars minoris probatur, quia nihil est delectabilius quàm voluptas, quæ est essentialiter delectatio. Secunda pars constat, quia sapientes & ignari omnisq3 conditionis homines voluptatem sitiunt.

Resp.

Bonum quadrifariam dicitur.

Voluptas non est essentialiter delectatio, sed causa delectationis quæ à sapiente non vt finis, sed vt bonum concomitans exoptatur; est enim bonum efficiens fœlicitatis vt virtus, bonum adiuuans vt fortuna, bonum concomitans vt voluptas, bonum terminans appetitū, vt ipsa beatitudo, quæ sola propter se & vi suâ expeditur.

Opp.

Honor est finis ciuilis vitæ, vt habetur in hoc 5. cap. ergo est fœlicitas.

Resp.

Finis aliquando pro præmio cap.

Finis in textu illo pro præmio capitur.

Opp.

Omne proprium inest suo subiecto, sed honor est proprium fœlicis: ergo inhæret fœlici, & proinde falsum est quod in textu habetur, nempe quod honor sit in honorante,

non

non in fœlici. Maior est regula dialectica, minor est in 11. cap. lib. 1. Ethico.

Resp.

Honor accipitur bifariam, vel pro
- Applausu externo, & sic est in honorante.
- Affectu interno fœlicis, & sic est in honorato.

Honor duplex.

Opp.

Id magis videtur esse fœlicitas quod secundum essentiam mutari aut impediri non potest, quàm quod possit, sed virtus neq; mutari quoad essentiam nec impediri potest (actio verò virtutis potest) ergo virtus magis videtur fœlicitas esse, quàm actio virtutis. maior constat, quia fœlicitas debet esse perpetuum, constans & incommutabile bonũ. Minor probatur quia esse virtus quoad actum & existentiam mutatur, quoad habitum & essentiam tamen mutari non potest, & sic intelligitur philosophus in 2. Ethico. vbi docet virtutem esse medium quoad nos.

Resp.

Actio duplex virtutis.
- Transiens, quæ mutari & impediri potest sublatis obiectis, quibus vt medijs vtitur, & talis actio non est fœlicitas.
- Immanens, quæ est firma, perfecta & immutabilis bene operandi intentio seu meditatio, & talis nec impediri nec mutari potest.

Opp.

Bonum quod per se sufficit est fœlicitas, sed virtus est

bonum quod per se sufficit, ergo est fœlicitas. Maior est Aristot. in 1. libr. Ethico. Minor constat libr. 2. capit. 7 vbi virtus per se expeti dicitur adeoq; hominem perficere, quicquid enim per se perficit illud sufficere videtur.

Resp.

Virtus in Actu. Habitu.

Cum dicit Arist. virtutem perficere hominem eundemq; optimum reddere; intelligit virtutem in actu, non in habitu constitutam. Actus verò virtutis duplex est, aut externus per obiectum, aut internus per consilium, patientiam, & similia quæ semper fœlicem esse declarant, etsi nullum externum opus sequatur.

Opp.

Bono nil melius teste philosopho in 3. Topico. sed virtus est bonum, ergò virtute nil melius est, & ex consequenti fœlicitas non est bonum melius.

Resp.

Bono nil melius quoad essentiam.

Respondet Boëtius quòd bono perfecto nil melius sit quoad essentiam, potest tamen aliquid esse melius bono quoad existentiam. Quare etsi concedit ille fœlicitatem non esse essentialiter bonum melius virtute; est tamen contingenter melius, quia magis perficit subiectum. Si vrgeas quòd fœlicitas sit etiam essentialiter bonum, fateor id quidem in genere boni, sed non in relatione subiecti. Nam virtus & fœlicitas subiectum vt accidentia respiciunt.

Cap.

Cap. VI.

An veritas sit præferenda authoritati & amicitiæ? & An Idea Platonis sit fælicitas?

VEritas simplex & nuda est, sed efficax & magna: splendet cum obscuratur, vincit cum opprimitur; hinc vt pacis templum in media vrbe extruxerunt olim Romani: ita veritatis statuã in suis vrbibus olim coluerunt Aegyptij. Nomen enim pacis semper excelsum, & numen veritatis semper diuinum extitit. Sit ergò amicus Plato, sit etiam amicus Socrates, magis tamen amica veritas omnibus & singulis esse debet. Huius vi impulsus Aristot. vt hîc ait, suum magistrum (diuinum illum Platonem) de Ideis & abstractis rerum formis disputantem reijcit & refellit. Vt enim iurè amicitia sine virtute, ita nõ minus iustè authoritas sine veritate contemnitur. Ex occasione istius sententię quidam interpretes hîc non ineptè quærunt: An veritas authoritati & amicitiæ sit semper præferenda? Aliud est de causâ agere quæ mouetur, aliud de opinione Platonis, quæ refelli-

Veritas plurimi facienda.

Amicitia sine virtute, & Authoritas sine veritate contemnenda sunt.

fellitur. Quare da veniam lector si nunc parum à proposito ac instituto digrediar. ideo enim hoc facio, vt meam de refutante & philosophante Arist. opinionem habeas, & vt vno verbo id ipsum expediam, in refutando Camelum, in philosophando omnium principem esse puto. In refutando Camelum dico, quia illos calcibus inuidiæ petit ex quorum vberibus nectar philosophiæ suxerat: in philosophando principem, quia sic de naturæ viribus arcanis differit, vt nemo acutiùs, sic demonstrat vt nemo accuratiùs, sic defendit vt nemo fortiùs. Quarè vt in refutationibus aliorum illum vix salutandum: ita in demonstrationibus rerum illum præ alijs ambabus vt aiunt vlnis amplexãdum esse suadeo. Si refellat (ni malè animaduerterim) aut mutat verbũ, aut inuertit sententiam, aut fingit nouum: & quasi Hercules cum Pygmæo, sic (vt concludam omnia) Aristot. cum vmbra de lanâ caprinâ certat, verbi causâ hoc quod dico verissimum esse intelliges, si lib. primum de anima, lib. primum Metaphysices, lib. denique secundum Politicorum legas & diligen-

Fraus Aristotelis, quâ cum alios refellit, vtitur.

ligenter conferas,in his enim dentatus alios mordet,& ex antiquorũ ruinis (quasi ex flammis) triumphum ante victoriam petit.Egregium sanè & præ cæteris carbone dignum est hoc exemplum,quo vtitur in præceptorem suum Platonem,quem Psittacum profectò hoc loco (id solum quod optat)resonantem facit. Nam vbi docuit Plato fœlicitatem esse Ideam,quasi voluntatem in aëre,vacillantẽ in mente,fluctuantem in æternitate? Liquidò constat vbi docuit esse duplicem Ideam, alteram coniunctam, quam contemplationem primæ causæ, alteram separatam & Metaphysicam,quam causam primam mentemq; diuinam appellauit:illam fœlicitatem in hâc vitâ, hanc in futurâ esse constituit: hâc positâ iam sententiâ (quæ est certo certiùs Platonis) quorsum rem tot verbis quasi funestam aggrauat Arist.? quorsum de accidente sine subiecto disputat? quorsum an Idea sit vniuersale aut singulare,an sit in substantia vel accidente? An sit æterna vel caduca? An sit coniuncta vel separata contendit? frustra venatur, qui tandem capit muscam, multa

Duplex Idea. Coniuncta. Separata.

Quæstiones inutiles.

verba & argumenta audio, quæ tamẽ Platonem (contra quem insinuauit se dicturum) omnino non feriunt? sed hæc omitto, & ad primam quæstionem redeo, in qua quis dubitat, nisi sit imprudens & curiosus, An veritas sit anteponenda amicitię & authoritati? est enim veritas bonum per se, at amicitia & authoritas bona per accidens dicuntur. Nam siue propter delectabile, siue propter vtile, siue propter honestum amicitiam intelligas, certum est amicos nullũ fructum ex animorum consensione metere, si nodo nexuq; veritatis illorum animi non deuinciantur, vera enim amicitia tùm frangitur, cum amicus per insidias fallitur: præterea authoritas ab vnius aut alterius imperio & vitâ pendet, adeoq; sæpe cum affectibus conjungitur, at veritas æterna est & nullis animi perturbationibus commouetur. Postremò amicitia & authoritas ad paucos pertinent, sed veritas ad omnes, nemini enim licet mentiri, nemini alios fallere. Rectè Seneca, omnes in linguâ, mente, manu, veritatem habere decet.

Veri-

Veritas est anteponenda amicitiæ & authoritati propter

- Dignitatē subiecti: Nam veritas est in intellectu, amicitia verò & authoritas in appetitu.
- Aeternitatem principij. Nam solùm à Deo fluit, amicitia verò & authoritas sæpè ab humana voluntate dependent.
- Stabilitatem & constantiā boni. Nam veritas est virtus per se, amicitia & authoritas per accidens.
- Excellentiam medij. Nam veritas per contemplationem primæ causæ quæ est simplex & æterna veritas, mentem ad fœlicitatem dirigit, at amicitia & authoritas id non præstant.
- Communitatem & simplicitatem naturæ. Nam veritas & ad omnes pertinet, & omnibus vacat affectibus, at amicitia & authoritas nec ad omnes spectant, neq; omni carent affectu.

Fœlicitas est duplex.

- Diuina vel
  - Abstracta & infinita, quam Plato primam Ideam & causam omnium appellat.
  - Coniuncta & subiectiua, quam secundam Ideam & cognitionē primæ causæ in nobis constituit, illam in æternitate, hanc in mortalitate nostra acquiri posse iudicauit.
- Humana vel
  - Actiua, de qua Arist. in hoc primo libro.
  - Cōtemplatiua de quâ in decimo libro egit.

Opp.

Quicquid odium parit postponendum est ei, quod homines in studio virtutis consentire facit: sed veritas odium parit, amicitia verò homines in studio virtutis continet; ergò veritas postponenda est amicitiæ. Maior est Aristot. in magnis moralibus, minor ex trito prouerbio pendet.

Resp.

Veritas quo modo odiũ dicatur parere.

Odium non est effectus veritatis, sed mali & corrupti hominis, cuius vlcera lãcea veritatis tacta recrudescunt, quare etsi obsequium amicos veritas odium pariat, non est tamen postponenda veritas obsequio, cum nõ ex actione virtutis, sed ex corruptione hominis illud malum contingat.

Opp.

Quicquid magis conseruat rempublicam est magis præferendum; sed amicitia magis conseruat rempublicam quàm veritas, ergo est anteponenda veritati: maior cuiuis patet, minor probatur ex octauo libro Ethicorum vbi docetur, quod legumlatores magis versentur circa amicitiam, quàm circa iustitiam, quia per illã magis conseruatur ciuitas; si ergo præferenda sit amicitia iustitiæ, quæ est omnium virtutum regina, multo magis est anteponenda veritati, quæ multis gradibus iustitiâ habetur inferior. Huc addi possunt argumenta à testimonio Ciceronis, qui in libro de amicitia docet ipsam omnibus rebus humanis esse anteponendam; illud etiam quòd amicus sit alter ego, sed quilibet tenetur seipsum maximè præ-

præferre & conseruare: ergo potiùs tenetur amicitiam quàm veritatem defendere.

Resp.

Negandum est magis conseruari rempublicam amicitiâ quàm veritate. Nam vinculum amicorum in studio virtutis conspirantium est ipsa veritas: nõ enim æquo animo pateretur amicus amicum errare, falli, decipi. Vbi dicit philosophus quòd magis versentur legum latores circa amicitiam quàm æquitatem, non ciuilem, sed naturalem iustitiam intelligit. Argumenta à testimonio Ciceronis affluentiam dictionis, non consequentiam rationis habent; aut si magis placet sic respondeo, quòd amicitia sit omnibus rebus humanis anteponenda, id est, omnibus rebus fluxis & caducis: id etiam quòd quilibet teneatur maximè seipsum præferre & conseruare, sub conditione virtutis. Nam malum & turpe agere nemini licet, & si exquisitissimi cruciatus & tormenta proponantur: vt testis est Arist. in lib. 3. cap. 1. Ethico.

Iustitia Ciuilis, Natur.

Malum nullo modo admittẽdum.

Opp.

Authoritas mutauit tẽpus obseruandi sabbati, authoritas quoq; mutauit tempus & modum recipiendi cœnam domini: ergo videtur esse præferenda veritati, quæ aliter instituit.

Resp.

A secundum quid ad simpliciter (vt aiunt) non sequitur argumẽtum. Ad exempla (quæ proponuntur) respondent docti, quòd cæremoniæ & circumstantiæ vt tempus, ordo & locus authoritate mutari possint, res ipsa verò

Circumstãtias mutare potest authoritas, substantiã non potest.

Pascha & Pentecoste mutationē sabbati insinuarunt.

atq; substantia non possint: neq; in his pugnat authoritas cum veritate, cum non in tempore quod mutatur, sed in re ipsa, quæ habetur, veritas eluceſcat: præterea sacrosancta illa salutis nostræ mysteria nimirum paschatis & pentecostes, quæ in dominicis diebus contigerunt, mutationem sabbati apertissimè insinuarunt.

Opp.

Deus est summum bonum vt docet Arist. in 1. de cœlo cap. 9. & etiam in 11. Metaphysicorum, sed per infinitam & separatam Ideam nihil aliud intelligit Plato quàm deum: ergo iniustè hoc loco reprehenditur ab Arist.

Resp.

Idea fœlicitas politica non est.

Concedo consequens & consequentiam: veruntamen si per Ideam intellexisset Plato politicam fœlicitatem, quàm intellexisse illum vrget Arist. tum proculdubiò iniusta non fuisset eiusdem refutatio.

Cap. VII.

An fœlicitas sit sufficiens bonum? Quid fœlicitas, & quid fœlix?

REfutatis priscorum philosophorum erroribus, redit iam tandem ad institutam de summo bono disceptationem, primumque quærit, An fœlicitas sit sufficiens bonum? Atten-

tende (studiose lector) quòd de bono Politico & humano, non de Theorico & diuino hîc habeatur oratio: est enim Deus solum, infinitum, simplex, æternum, & (vt verbis interpretum vtar) omnisufficiens bonum, quod incommutabiliter manens sine tempore mutare potest omnia, ipsum verò mutari non potest, à quo (vt concludam cum philosopho) omnia, quæ sunt in rerum naturâ & suum esse & benè esse habent: cum ergo hoc loco fœlicitatem, quæ est actio virtutis, bonorum omnium & perfectissimum & diuinissimum esse dicat, intelligendus est de illis solùm bonis, quæ in circuitu ac studio huius vitę per studium virtutis aut possidentur aut possideri queunt: in hoc enim trāsitu & mortalis vitæ circulo, quæ gemma pretiosior virtute? quæ palma gloriosior fœlicitate esse aut fingi potest? Opes enim fugiunt: Nam

Bonum 2. Politicum Theor.

Deus summũ bonum theoricum.

Fœlicitas summum bonum politicum & humanũ.

Opes, vires, forma, & vita fluunt, sola beatitudo permanet.

Tantalus à labris sitiens fugientia captat
Flumina.

Vires consenescunt, nam senex bis puer: forma vt folium defloresçit, nam ruga senilis erit? vita non erit permanens,

nens, nam morientes nascimur; quis ergò status, quæ quies; quis scopus & portus vitæ nisi sola beatitudo? rectè Mantuanus.

Est honor, in portum cum puppis ab æquore venit,
Laudibus inceptum continuatur iter.

Si igitur fœlicitas sit ille finis qui appetitur propter se, adeoq, ad alium nullum in hac vitâ aut fructu vberiorem, aut dignitate meliorem referatur, perspicuum est rectissimè summũ ordine, perfectione sufficiens & absolutè bonum in hac vita nominari; præterea cum seipso sit contentum hoc bonum, cum in eodem cætera omnia huius vitæ bona conglobentur, cum nullis ictibus fulminibusque aduersæ fortunæ concutiatur, cum hoc solo bono appetitus rationis, voluntatis sitis extinguatur, si omnib. numeris perfectum sufficiensq; appellemus, nemo iure reprehenderit. Postremò quoniam est in hoc bono quies perpetua sine motu, summa delectatio sine molestiâ, insignis constantia sine leuitate, diuinus honor sine miseriâ, rectè optimum vitæ terminum & actionum humanarum vltimum ac sufficiens

Docet pluribus rationibus fœlicitatem esse sufficiens bonum.

ciens bonum nominemus. Hinc definitur actio animi perpetua in vitâ perfectâ, per actionē motum virtutis, per animum intellectum & voluntatem, per vocem hanc (perpetuam) in agendo constantiam, per vitam perfectam, in perseverando anchoram patientiæ & prudentiæ intelligit philosophus, quasi diceret, fœlicitas est actio, id est, in subiecto immanens secundum essentiam, transiens in obiectum secundum existentiam, animi id est intellectus & voluntatis humanæ, perpetua id est perfecta ab vsu rationis, in vita perfecta, id est secundum imperium rationis & virtutis directâ & gubernatâ: immanentem actionem esse dico quoad essentiam, quia si naturam spectes in bonis solum internis ponitur, transientem etiam addo quoad existentiam, quia si vsum spectes in bonis externis cernitur, actionem animi, id est tam intellectus, quàm voluntatis interpretor: Intellectus respectu rationis, voluntatis respectu potentiæ ac libertatis. Quod hæc interpretatio sit & rationi & authoritati Aristot. maximè consentanea, cōstat ex verbis philosophi in 8. cap.

Fœlicitas quid sit fusius explicatur.

Fœlicitas est actio immanens respectu subiecti, transiens respectu obiecti sui.

cap. istius lib. vbi bona animi solum necessaria ad fœlicitatem esse concludit, reliqua tamen vt ornamenta requirit, & in 10. vbi docet externa bona sublata fœlicitatem labefactare quidem, sed non tollere, & delere, tum enim inquit maximè splēdescit fœlix, cum maximas ærumnas, & tragœdias fortunę perferat. In calce huius capit. definitur etiam fœlix qui est vndique quadratus homo in arce quasi virtutum vigil, constans, sapiens, vigil ne securitatis, constans, ne leuitatis, sapiens ne temeritatis alijs exemplum prębeat: quid multis? fœlix est vir perfectus morib. qui iustè viuere & benè mori seriò ac semper meditatur.

Fœlicem ærumnæ non deijciunt.

Fœlix quid.

Beatitudo probatur in textu Arist. bonum esse sufficiens.

- Ab imperfectione aliorū finium quæ ad fœlicitatem vt ad suum terminum referuntur.
- A distinctione boni per se quale est virtus, propter se quale est fœlicitas, per accidens quale est bonum naturæ & fortunæ.
- A continuatione eiusdem, cum sit perpetuum & incommutabile.
- A perfectione & quiete, quâ per illam fruitur beatus.
- A remuneratione quiâ fœlicitati honor, virtuti laus solum debetur.

Bo-

Bonum sufficiens est vel
- Absolutum, diuinum, & incommutabile, & sic Deus solum bonum sufficiens dicitur.
- Comparatum seu humanum, quod respectu omnium bonorum in hac vitâ est perfectissimum, & sic fœlicitas est bonum sufficiens ob illas causas quas modò diximus.

Fœlicitas est vel
- Diuina quæ ante distinguitur.
- Humana quæ est
  - Simplex.
    - Actiua quæ hic definitur.
    - Contemplatiua quæ in 10. lib. tractatur.
  - Aggregata, quæ est potius totius ciuitatis, quàm vnius hominis, & hæc in libris politicorum traditur.

Opp.

Requirit philosophus in textu vt fœlicitas non solùm fœlici, sed etiam parentib. liberis, coniugi, amicis & ciuibus sufficiat: at fieri non potest vt vnius bonum tot satisfaciat, ergo fœlicitas non est sufficiens bonum vt Arist. requirit.

Resp.

Intelligendus est philosophus de actione transeunte in qua fœlix dee esse suis non debet. si modo detur facultas, at si desit obiectum quò minùs agat magnificè, non minùs tamen fœlix in essentia esse dicitur: dependet enim fœlix à virtute non à fortunâ. Nam ab illâ habitum, ab hac ornatum habet.

Fœlix à virtute habitũ, à fortuna ornatũ habet.

Opp.

Requirit bona tam externa, quàm interna Arist. ad fœlicitatem, ergo non est sufficiens sine illis.

Resp.

Resp.

Externa ornant fœlicitatem, non cõstituunt.

Requirit externa non ad essentiam, sed ad existentiam & ornatum vt diximus.

Opp.

Si bona externa non requirantur necessariò ad fœlicitatem de qua agimus, tum nihil esset discriminis inter actiuam & contemplatiuam fœlicitatem, sed aliquid est discriminis teste philosopho, ergo requiruntur.

Resp.

Actiua fœlicitate prædit⁹ nõ semper agit, sed agere potest.

Maior falsa est: nam nõ requiritur, vt actiuâ fœlicitate præditus semper agat, sed vt agere decorè possit si detur occasio. Simili modo non requiritur, vt homo contemplatiuâ fœlicitate agere possit, cum in solâ contemplatione ex officio vitam solitariam degat. Alij respondent inter fœlicitatem actiuam & contemplatiuam nihil esse discriminis quoad essentiam.

Opp.

Actio virtutis est laboriosa, ergo non est sufficiens bonum: Antecedens probatur in 2 lib. Ethico. vbi docet philosophus esse laboriosum inuenire medium & admodum difficile esse studiosum: Argumentum sequitur, nam si sit laboriosa, actio erit quoq; molesta, & ex consequenti fœlicitas non erit sufficiens bonum.

Resp.

Radix virtutis amara, fructus dulcis.

Laboriosum est quidem inuenire medium, sed inuenienti longè pulcherrimum, ita vt actione virtutis nihil delectabilius esse possit, radix virtutis amara est, fructus dulcissimus vt docuit Isocrates.

Opp.

Opp.

Anima est bonum, sed fœlicitas appetitur propter animam, ergo fœlicitas appetitur propter bonum & proinde propter finem, quod si concedatur sufficiens bonum esse non videtur. Maior est Arist. in 1. Metaphysic. vbi docet bonum & vnum esse in omnibus: minor in 10. Ethico. confirmatur, vbi docet fœlicitatem expeti propter animam.

Resp.

Mutatur suppositio boni: Nam anima bonum secundum esse suum à deo acceptum dicitur, fœlicitas verò bonum perficiens extrinsecus & non constituens definitur: appetitur quidem fœlicitas propter animam, non vt illam finem & obiectum habeat, sed vt illam suam sedem & obiectum ornet.

Anima quo modo sit bonum.

Anima est sedes fœlicitatis.

Opp. contra definitionem fœlicitatis.

Opus & operatio differunt, vt domus & ædificatio; sed fœlicitas in textu opus hominis dicitur: ergo male definitur actio seu operatio.

Resp.

Vt oratio à Rhetoribus opus & instrumentum dicitur oratoris: Opus, quia ab oratore fit & constituitur: instrumentum, quia eâdem in omni agenda causa vtitur: ita fœlicitas à philosophis & opus & operatio nominatur, opus quia multis actionibus fit & acquiritur, operatio quia in perpetuum agendo bene continuatur.

Opp.

Intermittitur actio virtutis, sæpè enim edimus, ludimus & dormimus, ergo fœlicitas perpetua actio rectè nō definitur: hoc argumentum videtur confirmari à philosopho in hoc libro vbi docet per dimidium vitæ nos à miseris non distare.

Resp.

Fœlix semper agere potest.

Quemadmodum accidens semper inesse dicitur, non quòd semper inhæreat, sed quòd semper inhærere possit: ita fœlicitas actio perpetua definitur, non quòd beatus semper agat, sed quòd possit & velit agere si detur occasio,

Edit, ludit, dormit fœlix.

edit, ludit, dormit fœlix, nam homo est, non tamen hinc minus fœlix aut miser dicitur, quippè in his mens semper & benè occupatur, vt ergo sol influit, etsi nube à conspectu nostro aliquando obscuretur: ita animus beatus perpetuò agit, etsi corpus somno obruatur. Dicendum ergo est beatos à miseris per dimidium vitæ non distare, non quòd non sint beati, sed quòd distare in opinione multitudinis nō iudicentur, quæ (cum rudis sit) habitum & immanentem actionem virtutis in somno penitus extingui & deleri putat.

Fœlicis animus perpetuò agit.

Opp.

Actio intellectus ad verum, actio voluntatis ad bonum solum tẽdit, ergo fœlicitas quæ est solum bonum malè definitur actio vtriusq;.

Resp.

Diuerso respectu actio vtriusq; definitur vt antea videre licet.

Opp.

Opp.

Exitus vitæ incertus est, vt ait philosophus in textu: ergo vita perfecta nulla est.

Resp.

Exitus vitæ anceps & incertus est, si perpetuo virtutis studio non gubernetur, cōcedimus infinitis scopulis miseriarum obnoxiam esse hanc vitam. At vt sapienti nihil fortuitum, ita beato nihil miserum contingit. Nam vt sutor bonus ex malo corio optimum calceum facit: ita beatus ex malis euentis rerum, optimam vitam agit: mala enim tolerat vt bonis perfruatur.

Hæc vita infinitis scopulis obsessa est.

Fœlix malis benè vtitur.

Cap. VIII.

An tria bonorum genera ad fœlicitatem requirantur?

TRia bonorū genera distinguuntur a philosophis: corporis animi, & fortunæ: corporis vt vires: animi vt virtutes: fortunæ vt opes. Quæstio iam est, an ex his tribus bonorum generibus cōstet beatitudo. Mirum est profectò quid tandem aliquot interpretes in hanc sententiam impulerit, vt somniarent Aristot. hoc loco docuisse, hæc tria bonorum genera ad essentiā fœlicitatis necessariò

Omnia bonorum genera ad essentiam fœlicitatis non requiri.

sariò requiri, præsertim cùm solc clarius sit, illum nunquam hoc animo cogitasse: hæc enim sunt verba, Cum ergo bonum in tria genera sit diuisum, sintq; alia bona fortunæ, alia animi, alia corporis: Animi bona verissimè & maxima bona nominamus. & iterum in decimo hæc habet verba, Perspicuum est si euenta fortunæ sequamur, eundem nos sæpe aliàs beatum, aliàs miserum esse dicturos, ita beatum Camelionti similem nec satis firmum affirmabimus: & paulò post res aduersæ labefactant beatam vitam, sed non tollunt. postremò magnum scelus esset, rem omnium maximam & præstantissimam fortunæ ascribere. Infinitum ac molestum esset omnia (quæ passim sunt) loca sententiasque adducere, quæ apertissimè conuincunt bona naturæ & fortunæ ad essentiam fœlicitatis non requiri, fragilis natura est, leuis & inconstans fortuna. Si adsint ornare possunt, si desint necessariò non requiruntur. Lacertus Milonem perdidit, ambitio Cæsarem, nimis alter naturæ, nimis alter fortunæ credidit. vetus est illud, fortuna nunquàm perpetuò est bona,

Cap. 8. li. 10.

Aduersa fortuna labefactat fœlicitatem sed non tollit.

na,

na. At vrges ex Arist. neminem qui moriens, incidit in Priami calamitates esse beatum, licet per totam anteactam ætatem vixerit omnium beatissimus. Respondeo cum Aristot. id verum esse si generoso pectore eas quæ eueniunt calamitates non perferat, si mala fortunæ & naturæ in vsum virtutis non conuertat, hoc est, si cedat affectibus, si in extremâ fortunâ clypeum patientiæ abijciat & desperet: huc omnia quæ huic interpretationi videntur infesta loca referri debent, præsertim illud in fine octaui cap. vbi verba sunt ista: Neq; enim planè ad beatitudinem aptus est is, qui omnino deformis sit, aut ignobilis, aut vitam in solitudine degat, aut sit sine liberis, ac multo minùs forsan si cui sunt liberi improbissimi, vel amici boni è vitâ excesserunt, hunc locum si conferas cum alio in 9. cap. facilimè intelliges, vbi sic se habent verba: Reliquorum bonorũ alia adesse necesse est (intelligit bona animi) alia sunt adiuuãtia & vtilia qua si instrumẽta (intelligit bona corporis & fortunæ) verbosior nec non molestior in hac re fortasse videor, sed hoc eo consilio

Patientia est fœlicitatis Anchora.

Bona necessaria, adiuuantia.

Vrget Buridanum & Scotum.

feci, vt probem vaniſſimè cæcutire, vel potiùs inſanire illos interpretes, qui auſi ſunt affirmare Ariſt. fœlicitatem eſſe nullam, adeoque in rerum naturâ apparere nuſquàm. Quî fieri poteſt inquiunt, vt in vno puſillo homine omnia tam animi, quàm corporis & fortunæ bona conglobentur? Reſpõdeo vix aut ne vix quidem fieri poſſe. ſed quid hinc? ergo fœlix eſſe non poteſt: erras toto cœlo, ſic enim non demonſtrauit Ariſt. hanc enim eſſe eſſentiam arguit, quæ in conſtantiâ bonorum animi, non in affluentia rerum caducarum ponitur, diuitiæ, amici, liberi beatum non faciunt. Naturæ error, morbus & deformitas miſerum non definiunt, beati enim à ſolâ virtute, miſeri à ſolo vitio denominantur.

Virtus ſola beatos, vitium ſolum infortunatos facit.

Diſtinctio bonorum.

Bona reſpiciunt fœlicitatem, aut quoad
- Eſſentiam, & ſic ſolum bona animi requiruntur.
- Exiſtentiam & ornatum, & ſic bona corporis & fortunæ requiruntur.

Opp.

Fortuna non eſt, ergo bona fortunæ non ſunt: antecedens probatur à philoſopho in Phyſicis, vbi docet, fortunam eſſe contrariam naturæ, & ab Auguſtino in libro re-

retractationum, vbi docet esse contrariã prouidentiæ diuinæ.

Resp.

Fortuna sumitur aut

Pro cæcâ rerum humanarum dominâ quam deam finxerunt Poetæ, & sic impium est illam ponere.

Pro incertâ & incognita rerum causâ, per accidens, & hæc non respectu dei præscientis omnia, sed respectu hominis ignorantis multa dicitur. Hinc illud in 6. Ethicor. vbi plus ignorantiæ ibi plus fortunæ, quare etsi respectu naturæ & prouidentiæ omnia sunt certa & necessaria, multa tamen respectu ignorantiæ ac cæcitatis nostræ contingentia & fortuita sunt, & sic bona fortunæ hîc dicuntur.

Opp.

Illa sunt necessaria ad fœlicitatem, quibus sublatis non est fœlicitas, sed sic sunt quædam bona naturæ vt forma hominis, vt vita, vt sanitas: ergo bona naturæ requiruntur necessariò. Maior probatur ex definitione necessarij, minor constat in secundo physicorum vbi docetur quòd natura appetat formam vt finem & per cõsequens vt bonum. De vitâ & sanitate, an sint bona naturæ nemo dubitat: si ergo forma hominis sit bonum naturæ, & sublatâ formâ non sit homo, sequitur etiam sublatâ formâ tolli fœlicitatem.

Resp.

Vt homo in tractatu de relatis quiddam aduentitium esse dicitur domino & seruo, licet sine homine nec dominus nec seruus esse possit, ita anima & forma hominis quiddam aduentitium fœlicitati esse dicitur, etsi sine anima fœlicitas esse non possit. Nam sicut homo non est de essentiâ relationis, ita anima non est de essentia fœlicitatis. Aliud ergo est esse essentiæ in principio, aliud est esse existentiæ in subiecto, principium fœlicitatis est virtus, in quâ conseruatur: subiectum fœlicitatis est animus, in quo comprehenditur. De sanitate & vitâ respondeo, quod adiuuent si adsint, quod non tollant si absint, quippe in animo (qui est æternus) beatitudo inest.

Anima quo modo fœlicitati accidere dicatur.

Opp.

Nulla est actio virtutis vt probatur in 2. libr. Ethico. sine obiecto: sed fœlicitas est actio virtutis, ergo non est sine obiecto: quod si non concedantur omnia, sic arguo: obiecta virtutum sunt aut bona naturæ aut fortunæ: ergo bona naturæ aut fortunæ necessariò requiruntur.

Virtutis sunt obiecta naturæ & fortunæ bona.

Resp.

Ad maiorem respondeo quod sit immanens aliquando actio virtutis, quæ est veluti quædam reflexio eiusdem in seipsam, sed esto quòd sint obiecta singularũ virtutum moralium in quibus illarum actiones versantur, non tamen rectè infertur quod bona naturæ & fortunæ necessariò requirantur, quippè vt est duplex actio virtutis immanens & transiens, ita est duplex obiectum internum, quod immanentem: externum, quod transientem perficit. Internum est vt consilium respectu sapientis, exter-

Actio Immanens virtutis quid.

num

num est vt periculum respectu sortis, sic temperans interne voluptatem, externe cibum & potum respicit.

Cap. IX.

An fœlicitas sit donum Dei?

NObilissimum bonum à nobilissimâ causâ fluit, aliter inter causam & effectum non esset dignitatis proportio. Motus cœli simplex & æternus est, quid ita? quia primus motor simplex & æternus habetur: hinc Arist. si qd inquit à deo hominib. detur, maximè cõsentaneũ est fœlicitatem dari: si rationem quęras, respondet quia reb. humanis melior est & præstantior. Tœdium esset si omnia testimonia, quæ in hanc sententiam scribuntur è diuersis operibus Aristotelis accumulare & adferre cõtenderem. Lectorem ad decimum Ethicorum & ad 12. Metaphysico. refero, in quibus summum bonum summumq; verum infinito ac ęterno vtriusq; principio acceptum iri viderit, sed huius inquit Arist. disputationis ac temporis hæc non sunt, quasi diceret nõ nego fœlicitatem esse donum dei, sed hic locus postulat, vt segniores

Fœlicitatem à deo donari.

Ratio cur philosophus de fœlicitate actiuâ agit.

ad studium virtutis incitem, ne dum putent à deo solum concedi, in otio sine curâ, in vitio sine fructu vitæ consenescant. Nemo artifex natus, & nemo inuitus fœlix, artes tamen à deo sunt, à deo etiã beatitudo fluit: vis vno verbo expediam omnia? fortunæ ascribere fœlicitatem scelus est, humanis dare viribus sceleratum, cęterùm requiro hîc studium, requiro industriam. Nam vt in Olympicis ludis non formosissimus quisque aut robustissimus coronâ donatur, sed qui in certamen veniunt: ita fœlicitatis compotes non sunt, qui dies noctesque virtutis remis non incumbunt. Vetus est illud

Industrius esse debet qui fœlicitatem vult assequi.

Dulcia non meruit, qui non gustauit amara.

tritum quoq, & hoc, deus otiosos non diligit. Quare vt paucis concludam singula, fœlicitas vt palma homini proponitur, sed sine industriâ hominis non acquiritur. Indignus est dato beneficio, qui danti manum non porrigit, iure profectò est miser qui datum à deo bonum sedulò ac diligenter non quærit. Nihil hoc detrahit diuinæ maiestati, quæ vult vt amemus ne ingrati, quæ iubet vt agamus ne ignaui simus.

simus. Sicut ergo medicina non sanat, nisi æger accipiat, ita hoc donum non prodest, si quis datum recuset. Nemo enim ad vitam beatam cogitur, trahitur fortasse, cogitur autem nemo. Nam præmijs trahi, stimulis nos cogi dicimus. Nemo cogitur esse beatus.

Donum dei est vel
- Absolutum sine medio, vt creatio ex nihilo, donaq; diuini spiritus quæ Arist. non intelligit.
- Respectiuum cum medio & conditione, & sic hominibus studiosis virtutis, non otiosis à deo datur fœlicitas: nam ad acquisitionem eiusdē requirit modum, tempus, voluntatem, industriam, naturam, non ergo negat Arist. diuinitus dari hoc bonum, sed vult etiam studiosè illud per industriam acquiri.

Opp.

Quicquid est in rarò contingentibus & extrinsecus euenit, causam ipsam fortunam habet vt probatur ex definitione fortunæ 2. physico. sed fœlicitas humana est in rarò cōtingentibus & etiam extrinsecus euenit, ergo fortunam sui causam habet quod est contra Arist. in textu.

Resp.

Quamuis rarò contingit fœlicitas, adeoq; sit accidens subiecto, nō tamen à fortunâ prouenit, quia ab operante vt finis intenditur, fortuitus enim effectus non intenditur, exempli causâ, fodiens terram aliquando incidit in serpentem, intentio est terram fodere at non incidere in serpentem. Fortunæ effectus ab operante non intenditur,

Opp.

Opp.

Fœlicitas in textu quiddam diuiniſsimum appellatur: ergo à ſolo deo homini conceditur.

Reſp.

Fœlicitas quomodo quiddam diuiniſsimũ.

Diuiniſsimum appellatur non abſolutè, vt eſt in deo, ſed partim effectiuè, vt à deo fluit, & partim obiectiuè quia per illam deo maximè aſſimulamur.

Opp.

Lib. de partibus Animantium. 2. de cœlo.

Anima hominis eſt proximum ſolum, & immediatum donum dei, nam teſte philoſopho cœlitus venit & à materiæ potentia non educitur, ergo fœlicitas quæ eſt eiuſdem perfectio ſolum à deo eſſe videtur. Argumentum ſequitur quia dans formam dat omnia conſequentia formam.

Reſp.

Quædam conſequuntur.

Simpliciter & neceſſariò, & ſic dans formam dat omnia conſequentia formam.

Contingenter & fortuitò, & ſic dans formam, puta animam, non dat omnia conſequentia formam puta fœlicitatem.

Opp.

Lib. 12. metaph. & lib. 3. phi.

Poſſe & velle in deo idem ſunt, vt ſapienter docet Ariſtot. ſed poteſt beatum in hâc vitâ proximè & immediatè facere: ergo & vult: quibus conceſſis videtur impium partim deo, partim homini fœlicitatem aſſcribere. Minor patet in 7. phyſico. vbi probat primum motorem eſſe infinitæ potentiæ.

Poſſe & velle in deo quomodo ſint idem.

Reſp.

Poſſe & velle idem ſunt in deo, ſi eſſentiam deitatis, non

non si prouidentiam ordinis ac dispositionis spectes, certum est posse illustrare mundum sine sole, sed non vult; posse gubernare orbem sine lege, sed non vult; posse saturare hominẽ sine cibo, sed non vult; placet ei in suâ prouidentiâ ordine & medio vti, non quòd non possit agere sine medio, sed quòd non velit quicquam fieri sine ordine. Quare respondeo etsi potest deus beatum in hâc vitâ proximè & immediatè facere, si infinitam potentiam spectes, non tamen hic vult si ordinem & prouidentiam cõsideres: non est ergo impium maximè deo vt principio primo, proximè homini vt instrumento fœlicitatem asscribere.

Thomæin summa contra gentes, & super magistrum sententiarum, Deus non agit sine medio, vt nos doceat ordinẽ in actionibus nostris obseruare.

Cap. X.

An sit dicendus fœlix in hâc vitâ?
An fœlix possit esse miser?

SOlon interrogatus à Cræso quisnam fœlix videretur? mihi Tellus inquit Athenienſis, qui filias castissimas habuit, qui diu integerrimè vixit, qui pugnans pro patriâ fortissimè interijt. Secundò interrogatus num post Tellum aliquem Cræso beatiorem nôsset, imò inquit Cleobem & Bitonem, qui velutiHippocratis gemini se mutuò semper dilexerunt, matremque inopem, se

nem,

nem, infirmam tanquam boues coniugati ad Iunonis templum traxerunt: iratus tum Crœsus, auro, gemmis, purpura splendens in solium ascendit minaci vultu, tertiò iam quærit an aliquem Crœso beatiorem cognosceret, ô rex Lydorum

Fœlix nemo ante obitũ, inquit Solon Crœso.

respondet Solon:

Vltima semper
Expectanda dies homini est: dicíq; beatus
Ante obitum nemo supremaq; funera debet.

Hanc vocẽ contempsit Crœsus, at postea in bello à Cyro & vinculis captiuus, ad incendium ductus, spectantib. Persis maximâ quâ potuit voce ter dixit, O Solon, Solon: miranti ac sciscitanti Cyro quis hominum aut deorum is esset Solon, vnus sapientum inquit Crœsus, quem olim vaticinantem hoc malum ego rebus secundis tumidus & inflatus stultissimè contempsi: hoc audiens Cyrus, Crœsum non solùm liberauit, sed etiam apud se in maximo semper honore habuit: ita sapiens vnâ sententiâ regem alterum seruâsse, alterum prudentiorem reddidisse videtur. Sed quorsum hæc? vt nimirum intelligas in hâc viâ, quâ tendimus ad sepul-

O Solon, Solon.

pulchrum multos esse lapsus, in hac luce quâ ad tempus fruimur densas esse tenebras, sed attende. Vt in euentis rerum maxima est omnium vicissitudo: ita in effectis virtutũ nullus est error & inconstantia. Verus ergo Solon, verus Arist. nam ille de miseriâ huius vitę, hic de virtutis anchora disputauit: si bona fortunæ spectes, mille sunt casus, at si bona animi perpendas, vnus & certus est vitæ humanæ scopus; placet tamen Aristot. vt ait Aquinas cum Solone ludere, eiusdemq; sententiam (vt modo Platonis) in vmbram, cum qua decertet commutare: constantiam enim virtuti non negauit Solon. Nam Telli fortitudinem, Cleobis & Clitonis pietatem commendauit, Cræso autẽ periculosè in Oceano diuitiarum exultanti cautelam sapienter dedit, sed his omissis dico beatum in hâc vitâ dicendum esse. Semper in his libris Politicam non Theoricam fœlicitatem intelligo. Si enim non esset in hâc vitâ dicendus fœlix, dic mihi, non inanis esset omnis labor & appetitus in hâc vitâ nostrâ? iterum non otiosa esset legum cõstitutio vt ciues bea-

Multi sunt lapsus istius vitæ.

Solon & Arist. reconciliantur.

Fœlix antè obitum dici potest aliquis.

Ab absurdis probat fœlices dicẽdos esse in hac vitâ politicè.

beatos faceret? adhuc non ridicula esset denominatio fœlicis, cum res nulla sit quæ nomini respondeat? adde, nónne misera esset conditio hominis si nauis in quâ vehitur tot tantisque fluctibus agitata, nullam tandem virtutis anchoram, nullum portum haberet? postremo est nullus magnes, vis nulla virtutis quæ trahit ad se hominem? an nemo castè, nemo sobriè, nemo studiosè viuit? An sumus omnes Camelionti similes? quorsū proponitur præmium si nemo capiat? quorsum laudatur virtus si nemo cupiat? quorsum docetur beatitudo si nemo sapienter viuat? fateor esse nævos in vultu veneris; fateor esse affectus in animo fœlicis; fateor beatum telis fortunæ configi, affligi morbis, multis extremis malis vulnerari; non tamen labascit, imò tum maximè lucet atq; triumphat: rectè ergo concludit Aristot. hoc ca. quod fœlix miser esse non possit, miser enim est expers ingenij, abiectus animi, plenus peccati: at fœlix est sapiens, fortis, semper studiosus virtutis; ergo fœlix miser esse non potest; præterea si hoc cõcedatur studioso virtutis vt semper

Fœlix non potest esse miser.

Miser quis? Antithesis inter beatũ & miserum.

per in fugam abigat fortunam, nedum eiusdem procellas vincere beatus potest, quippe semper sapiens est, & quæ sors tulit æquo perfert animo. Nam si bona & fortunata sint vitam amœniorẽ, sin aspera & iniucunda lõgè beatiorem reddunt: vt enim flamma suppressa euolat, ita animus beati omnes miserias superat.

Fœlix est dicẽdus in hâc vitâ propter
- Stabilitatem virtutis, cui innititur.
- Perpetuitatem actionis, quâ in obiectis virtutis vtitur.
- Constantiam rectæ rationis, quâ vita dirigitur.
- Excellentiam mentis, quæ multis actionibus virtutis confirmata, facilè non corrumpitur.

Fœlix aliquis in hac vita cur dici possit.

Miser sumitur tribus modis, aut
- Pro inope & indigente pecuniâ, & sic contingit aliquando beatum appellari miserum.
- Pro homine abiecti animi, & sic non potest esse miser.
- Pro homine mancipato sceleri, quę significatio propria est miseriæ, & sic fœlix non potest esse miser.

Opp.

Nemo vidit mortalium cuius certus est finis: ergo in hâc vitâ non est dicendus fœlix.

Resp.

Crux & eculeus, vt sæpè diximus, beatum non vulnerant, hîc enim non lapsum hominis sed statum fœlicis ponit.

Finis hominis incertus, fœlicis certus est.

ponimus; aliud est esse hominem, aliud est esse beatum hominem, hominis quidem incertus est finis, sed fœlicis hominis, quæ in perpetuâ actione virtutis constat non est incertus.

Opp.

Hæc vita, vt ait Seneca, miseria est; sed in miseriâ nemo est dicendus fœlix: ergo in hac vitâ nemo est dicendus fœlix: maior ratione probatur, quiâ hæc vita est motus animi ad vitium, & motus corporis ad sepulchrum.

Resp.

Non est vera definitio vitæ quæ traditur: non enim est ipsa miseria sed misera, non est motus animi ad vitium, aut corporis ad sepulchrum, sed tamen est pernicioſa, & in colluuione multorum scelerum veluti sepulta & cooperta: hæc dicuntur de externis, quæ, vt modo ostendimus, beatum non vulnerant.

Opp.

Fœlix dici potest non fœlix, vt ait in textu Aristot. ergo videtur quòd possit esse miser; nam non fœlix est contradictionis negatio, quæ medium non habet.

Resp.

Non fœlix dici potest non quòd non sit, sed quòd sublatis rebus secundis esse non videatur.

Opp.

Nulla affectio est tam stabilis & firma in subiecto, quin potest corrumpi: sed fœlicitas est affectio: ergo possit cor-

corrumpi; quo concesso sequetur quòd fœlix possit esse miser, nam sublatâ fœlicitate miser erit.

Resp.

In fœlicitate spectatur { *Essentia accidentis, & sic à suo subiecto moueri potest.* / *Constantia actionis, habitus & consuetudinis, & sic non potest.*

Cap. XI.

An res posterorum pertineant ad defunctos?

NE quis Soloni adhuc non satisfeciſſe Arist. putet, alia iam causa agitur, in quâ Solonis sententia partim refellitur, partim approbatur: refellitur cum esse fœlicem in hâc vitâ probat, approbatur cum beatissimam vitam defunctorum concedat: satis iam dictum est de primâ parte, de alterâ pauca dicenda veniunt: in præcedenti capit. sic loquitur philosophus, Absurdum sanè est res posterorum nihil (ne ad vllum quidem tempus) ad parentes pertinere: in hoc capite sic inquit, Casus autem & res aduersas posterorum ac amicorum omnium

nihil omnino pertinere ad mortuos valde ab amici officio alienũ ſit, ſententijsq; omnium repugnare videatur; ex quibus verbis meo iudicio eminent immortalitas animi & defunctorum beatitudo. Sexcenta ſunt profectò loca in Ariſt. quæ immortalitatem, permultâ ſunt quæ fœlicitatem probant. Mens æterna & immortalis eſt, ſic in libris de anímo: fœlicitas hominis eſt perpetua, ſic in Ethico. decimo. Mirum igitur mihi eſt quid Velcurioni (aliâs non contemnendo interpreti) in mentem venerit; quòd neget animi immortalitatem ex Ariſtotele poſſe probari. ſed rei viuum non attingis fortaſſe dices. Nam quæſtio eſt, An res poſterorum ad defunctos pertineant? in quâ de modo pertinendi non de immortalitate animi dubitatur. fateor equidem id verum eſſe quod dicat, ſed prius immortalitatem & beatitudinem mortuorum demonſtrare oportet, quàm eorum res noſtras intereſſe probemus: his ergo poſitis modum ac ordinem pertinendi probat Ariſt. in præcedenti ca. hæc eius eſt ſententia, fieri poteſt vt qui beatam vitam vſq; ad ſenectutem

Animam eſſe immortalem doceri ab Ariſt. Lib. de anima cap. 50.

Res viuorũ quomodo pertineant ad defunctos.

tem protulerit, migraueritq; conuenienter rationi, eum multæ in posteris mutationes consequantur. Absurdum tamen est si is quoq; mutetur qui oppetijt mortem, sitq; aliâs miser, aliâs beatus: ex quibus verbis elicitur hic sensus, quòd res posterorum pertineant quidem ad defunctos, sed ita vt neque beatiores ex eorum dignitate, neque miseriores ex eorum calamitate fiant: idem habet in hoc capite: sic enim ait, Ergo hoc quidem apparet, res secũdas amicorum & aduersas, ad eos pertinere illas quidem qui occiderint; sed ita vt neque ex beatis miseros faciant, neque aliud quicquam generis eiusdẽ. Nulla enim est post hanc vitam beatitudinis in animâ commutatio. Si plura de hâc re velis intelligere, suadeo vt legas fragmentum illud de somnio Scipionis, vt diligenter euoluas librum de mundo, librum decimum Ethico. tres vltimos libros Metaphysico. in quibus multa de æternitate animi, multa de dignitate intelligẽtiarum & beatorum spirituum, multa de maiesta te primi motoris, multa denique de contemplatione rerum omnium in primâ

Defuncti à mutationibus istius vitæ non pendent.

causâ discas. Quæ si ingeniosè in loco eō-
ferantur, multum lucis ad hanc quæstio-
nē proculdubio adduxerint: fontes quasi
digito demonstrabo solùm. Docent phi-
losophi quòd anima separata & fœlix in
omni æternitate primum motorem, id
est, Deum aspiciat: docent quòd post sepa
rationem suam amare propter vnionem
corporis non desinat; docent, quòd libe-
rata à curis multo diuiniùs quàm antea
intelligat; Quorsum quæso si res poste-
rorum ad beatos nihil pertineant? Scipio
nem disputantem de Romano imperio,
Patroclum disceptantem de sepulchro in
tragicam scenam non adduco, ficta for-
tasse hæc sunt & fabulosa, sed hoc vrgeo,
An sic mens separata magis sapiat, vt ni-
hil intelligere? an sic magis intelligat, vt
nihil sapere? sic primam causam suscipi-
at, vt nihil rerum præteritarum scire ac
meditari possit? Agnosco animam seiun-
ctam à corpore esse quidem finitam & cir
cumscriptam essentiâ: quid tum? igna-
ram ergo esse concludis? Aliud est per ha-
bitum naturæ & essentiam, aliud est per
reflexum primæ causæ & influentiam sci-
re,

Animam se paratam & fœlicem quid mane-at post hanc vitam.

Animæ sepa ratæ nihil nisi per refle xum à pri-ma causâ sciunt.

re. Nihil hic omnino definio (studiose lector) hæc tamen morum præcepta colligo; vt Achilles Patroclo suo sepulchrum parare; vt filij bonorum parentum vestigijs insistere, vt posteri beatorum exempla imitari debeant.

Res posterorum ad defunctos pertinere in textu probantur.

- Ab officio amicitiæ, nam durum esset & alienum ab officio amicitiæ contrarium docere.
- A testimonio & opinione omnium qui semper iudicârunt eas pertinere.
- A nomine & exemplo tragœdię, in quâ defunctorum spiritus sæpe à poëtis introducuntur, habentes quasi curam posterorum.

Opp.

Dubitare videtur Aristot. in textu, vtrum defuncti sint omninò fœlices, ergo confuse & indefinitè concludit res posterorum spectare ad defunctos. antecedens probatur in his verbis: Quærendum est de mortuis, vtrùm alicuius boni participes sint, an contrà. Perspicuum enim est ex his, etiamsi quid ad eos pertineat siue boni siue mali, exile & exiguum illis fore.

Resp.

Non dubitat omnino de æternitate aut beatitudine defunctorum, sed in hoc loco ostendit posterorum res aduersas, aut secundas statum beatorum omnino non mutare, & sic quærit, An alicuius boni aut mali participes sint mortui? quasi diceret, hanc quæstionem moueo: An mor-

Vtrum mortui boni alicuius participes sint, & quomodo intelligẽdum?

mortui nostrorum bonorum aut malorum fiant participes? Respondet, non fieri, vt vel beatos eos qui non erant priùs, efficiant, vel ijs qui ante beati erant, beatam vitam eripiant.

Opp.

Si res posterorum pertineant ad defunctos, verisimile est defunctos memoriam curamq; posterorum retinere, sed hoc non est verum: ergo res posterorum ad defunctos non pertinent. Maior à sufficienti diuisione petitur, Minor ratione probatur, quia memoria est vis animi sensitiui quæ simul cum vitâ nostrâ extinguitur, à curâ autẽ rerum mortalium anima separata (teste philosopho) liberabitur, aliter enim simpliciter fœlix & immutabilis non videtur.

esp.

Anima separata quomodo res mundanas scire & curare dicatur.

Prima pars huius argumenti de modo sciendi in calce expositionis nostræ resoluitur: non enim per memoriam quæ extinguitur, sed per influentiam primi motoris quâ fruitur, anima separata intelligit: curam autem posterorum habere dicitur, non quòd istarum rerum vicissitudine de statu fœlicitatis vnquam deturbetur, sed quòd in arce quasi posita & locata res duras & secundas posterorum videat. Quorsum ergo videt fortasse dices? vt hoc intellecto (nimirum illam videre) tu eius anteactam bonam vitam imiteris.

Cap.

Cap. XII.

An fœlicitas sit potiùs bonum honorabile quàm laudabile?

QVò magis ad fœlicitatem acquirendam (de quâ multa iam dixit philosophus) incitemur, præmium nunc honorificum omnibus hoc iter susceptur is proponitur, nempè insignis honor: concludit enim philosophus bonum potiùs diuinis encomijs venerandum, quàm humanis laudibus prosequẽdum, quippe laudamur ob aliquam affectionem aut virtutem, cum iusti, cum fortes, cum viri boni simus: cæterùm fœlicitatis præmium maius & excellentius esse debet: est enim id bonũ, quo melius, quo dulcius, quo honorificentius in hoc vitæ cursu acquiri non potest. Veruntamen nefas & impium hoc loco putauit Aristoteles illos honores homini beato asscribere, & demandare, qui deo infinito, ac immenso consecrantur, cui enim mortalium vnquam dicimus?

Fœlicitas bonum honorabile.

Diuinos honores fœlici non asscribit philosophus.

Quicquid habet Phlegeton, quicquid caua viscera terræ,

Quicquid ineſt Pelago, quicquid ſecat aëra pennis,
Feciſti, & ſolus totum hoc opus ipſe gubernas.

Deus ergo non eſt laudabilis vt homo, ſed pluſquam honorabilis, quippe eſt in relatione ad nullam cauſam, ſed per ſe omnium bonorum ſummum & diuiniſſimum: pergit igitur Ariſtoteles in textu, docetq; laudem mediocrem eſſe virtutis proprium, ſed virtus minus bonum eſt quàm eſt fœlicitas; laude ergo virtus, honore fœlicitas celebratur.

Laus virtutis eſt, Honor fœlicitatis.

Poſtremò, Eudoxus voluptati (quam ſummum bonum eſſe putauit) ſummum honorem dedit. Quid ergo? an beatitudini, quã ſola virtute quærimus, minorem palmam tribuemus? quid multis? in hoc bono ſumma quies, ſumma perfectio, ſummus ſplendor ineſt: ergo iure optimo ſummus debetur honor, ſummus inquam debetur honor, cum dico ſummum, inanem ſtrepitum multitudinis, ſonorum applauſum adulantis non intelligo; eſt enim honor leuis, eſt honor conſtans, eſt honor in ſono honorãtis, eſt honor in ipſo ſinu beati hominis. Firmiſſimum eſt bonum, ergo certiſſimum eſſe debet

Honor duplex.

debet præmium. Vt ergo virtus semper est laudabilis etsi nemo laudet; ita beatus semper est venerandus, etsi nemo honorem tribuat: hîc enim non quid detur, sed quid debeatur quærimus.

Honor est aut
- Diuinus, qui in timore & amore consistit, & hic Deo soli debetur, quem oportet propter se diligere, & propter ipsum cætera omnia.
- Humanus qui est aut
  - Externus in leuitate fortunę & multitudinis, & hic non est semper præmium fœlicitatis.
  - Internus in firmitate virtutis, qui est in beato, & ab applausu populi nõ dependet, & hic est præmium fœlicis.

Opp.

Omne maius bonum continet minus bonum teste philosopho: sed honor est maius bonũ quàm laus: ergo honor laudem continet, & proinde si fœlicitas sit bonum honorabile erit etiam & laudabile.

Resp.

Cum dicit Aristot. fœlicitatem esse potiùs honore dignam quàm laude, laudem meo iudicio non excludit, sed quoniam laus minorem lucem quàm honor habet, laudem virtuti in vno, honorem fœlicitati in alio gradu dignitatis tribuit. Vt ergo virtus & fœlicitas sunt cognata,

Fœlicitati non negatur laus.

ta, ita laus & honor non sunt diuersa, est enim honor nihil aliud quàm laus intensa.

Opp.

Honorem Deo, regi, patri tribuere debemus: ergo soli fœlici non debetur.

Resp.

Diuinus honor Deo soli debetur, vt suprà:

Humanus verò distinguitur vel in

- *Seruilem, qui debetur domino propter metum.*
- *Naturalem, qui debetur patri propter naturæ impetum.*
- *Ciuilem, qui debetur regi propter iustũ imperium, fœlici propter virtutis præmium.*

Opp.

Rex semper nõ est beatus: ergo regi & fœlici idem honor non debetur.

Resp.

In rege triplex persona consideratur, hominis, ciuitatis, Dei: quamuis vt homo non semper eodem honore colitur quo fœlix, tamen vt personã ciuitatis aut Dei repræsentat, eâdem omnino veneratione dignus habetur: non enim animi prauitas, sed officij maiestas in rege considerari debet; quare qui aut in bonum aut in malum principem arma sumunt, scelerate quidem faciunt. Quippe quantum in se est, contendunt & maiestatem numinis vio-

Arma non sunt sumenda in principem, siue bonus sit, siue malus.

violare, & dignitatem reipublic. in vno simul conuellere.

Opp.

Honor est obiectum vnius virtutis, nempe modestiæ ergo non est fœlicitatis præmium: antecedens est Aristot. in lib. 4. Argumentum patet quia latius fœlicitas extenditur quàm vna virtus.

Resp.

Non solùm modestia, sed etiam magnanimitas & iustitia in honoribus versantur, conceditur tamen proprium obiectum esse modestiæ, quæ habena ambitionis rectè definitur. Ad argumentum ergo respondeo, quod externus honor sit obiectum modestiæ, internus verò præmium fœlicitatis.

Honor externus obiectum modestiæ, internus est præmium fœlicitatis.

Cap. XIII.

An ad moralem philosophum spectet cognitio animæ?
An appetitus sit subiectum virtutum moralium?
An meliora sint somnia bonorum quàm malorum?

HActenus de fœlicitate ac mercede vitæ practicæ actum & disputatum est, vt nos Tragœdiã huius vitæ agentes, à bello ad pacem, à fluctibus ad portum, à naturæ impetu ad rationis imperium, à procellis fortunæ ad virtutis anchoram fugiamus: tum enim rectè plerumq; viuitur, cum benè viuendi finis

Transitio à fœlicitate ad virtutẽ.

finis intenditur. Nunc officium moralis philosophi esse arbitratur Aristoteles, de virtute quædam præcepta generatim ac speciatim tradere: sic enim nostra intentio certior, sic via rectior, sic vita melior erit. Nam frustrà à nobis quæruntur fœlicitatis præmia, si ad ipsam fœlicitatem spreta contemnantur media. Media autem solæ virtutes sunt, quibus veluti scalæ gradibus inhærentes, in arcem beatitudinis tandem ascendimus. Institutum ergo nunc est philosophi de virtutibus limatiùs agere, sed ne in Labyrinthum nos sine filo trahat, ordinem obseruat, vt primum de subiecto nempe de animo humano pauca intelligantur. Prima igitur conclusio huius cap. est, quòd de virtute agendū sit, quia sola virtus viros bonos efficit, 2. quòd de virtute animi nō corporis sit differendū, quia philosophus non corporis, sed animi medicus esse debet, 3. quòd pars animi vigentis non sit subiectum virtutis: nam hæc in somno maximè cernitur, at bonus per somnū à malo non distinguitur: ex his constat ad moralem philosophum quandam spectare cogni-

Virtutes media sunt, & viam sternunt ad fœlicitatem.

De animo virtutis subiecto.

Conclusiones aliquot.

cognitionem animę: quandam dico non simplicem & absolutam, quæ in libris de animo comprehenditur, tantum autem scire oportet quantum ad diuisionem virtutis pertinet. Nam cùm virtutum aliæ sint mentis, aliæ moris, quarum illę in intellectu, hæ in appetitu reponuntur, necesse est ad minimum eas partes intelligat, in quibus vis tota suæ scientiæ lucet. Nam vt medicus scienter non sanat eam partem corporis quam nescit: ita philosophus sapienter non tractat eam partem mentis quam ignorat. Potentias ergo animæ hîc distinguit philosophus: vt aliæ sint communes, aliæ proprię: communes vt vis vigendi, quæ maximè in somno: vis appetendi quę maximè in sensu cernitur: propriæ, vt intellectus, qui virtutibus mentis: voluntas, quæ virtutibus moris vi sua subijcitur. Nam quamuis appetitum sedem & subiectum virtutis sæpe in hoc cap. alijsq; in locis nominat, procul dubio tamē intelligit appetitum inchoatè, voluntatem absolutè virtutem recipere. Est enim appetitus ad voluntatem in recipienda virtute, vt est superficies ad substantiam in recipiendo accidente: in-

Qualis hîc requiratur animæ cognitio.

Communes quæ.

Propriæ quę.

Appetitus inchoatè, voluntas virtutem recipit absolutè.

choãtur ergo virtutes in appetitu, ſed perficiuntur in voluntate: quorſum aliter docereret philoſophus virtutes & vitia eſſe in noſtra poteſtate? quorſum vtriuſq; actiones voluntarias eſſe demonſtraret? ſed diſtinguit appetitum, fortaſſe dices? vt alius ſit rationis omnino expers, alius imperio rationis obtẽperans: quid tum? ergo probabile eſt appetitum nõ voluntatem virtutis ſubiectum poſuiſſe. Fateor equidem appetitum eſſe ſubiectum vt dixi, ſed non completum: nam abſonum & abſurdum eſt, vt illa potentia animæ ſit virtutis ſubiectum, quæ rationem tantùm influentem per participationem, & non inhærentem per cõſtitutionem habet: ſed ſic vetbo hoc eſſe concludo: ſi concidat appetitus, manet tamen virtus, ergo ſubiectum virtutis non eſt appetitus. verùm adhuc vrges quod ipſa voluntas ſit quidam appetitus: ergo ſi voluntas ſit ſubiectum, appetitus erit. Rectè mones: nam hinc elicio duplicem voluntatem, aliam ſenſitiuam, quæ propriè appetitus, aliam intellectiuam, quæ ſuo ipſius nomine voluntas dicitur. Eſt ſanè voluntas vt dicis quidã appeti-

petitus, at non in sensu sed ratione positus. Quid ergo? Nũ vis virtutem vllo modo respicere appetitum? obtundis. Quoties enim dixi appetitum esse primum & inchoatum subiectum, voluntatẽ autem esse vltimum & perfectum: non nego etiam & alias potentias animi scilicet phantasiam, communem sensum, memoriam quodammodo subijci contẽplationi virtutis: hinc enim concluditur, quòd in postremo iam loco agimus, meliora esse somnia & phantasmata bonorum, quàm malorum hominum. Vt enim virtutum aut vitiorũ obiectis interdiu delectamur, ita plerumque somniantes per species rerum nocte afficimur: quippe occlusis externis sensibus, internæ potentiæ animi reserantur; boni ergo de bonis quibus interdiu capiuntur, noctu somniant: mali de pessimis in somno cogitant: seruus de fame, epulo de cibo, Paris de Helenâ, Pamphilus de suâ glicerio somniant. Quid ita? quia macilẽtus seruus, gulosus Epulo, sceleratus Paris, Pamphilus verò omnium amator extitit: hortãdi ergo hîc sunt iuuenes, hortãdi etiam senes nostrorum tem-

Somnia bonorum meliora quàm malorum.

Somnia cuiusque talia sunt qualis ipse est.

porum, vt illi nimiùm de suaHelenâ, vt hi nimium de suâ pecuniâ nõ meditentur: qualis enim est diurna meditatio, talis nocturna erit phantasia.

Morali philosopho cognoscẽda est anima, vt intelligatur

- Subiectũ virtutis, quod est — appetitus inchoatè, voluntas perfectè.
- Obiectũ virtutis ϙ est aut — verũ, bonũ — quę ambo sunt in animo.
- Aeternitas virtutis, quæ ab æternitate animi dependet, vt est in 10. Ethico.
- Perfectio & finis virtutis, quæ est animum studiosum, & beatum facere.

Appetitus duplex,

- Sensitiuus
  - Concupiscibilis
  - Irascibilis

  Sic est subiectũ virtutis inchoatũ, quia in eo inchoantur virtutes.
- Intellectiuus, qui propriè voluntas dicitur, & hæc est vel
  - Rudis, & quasi rasa tabula apta ad bonum.
  - Formata, quæ est subiectum virtutis perfectũ & vltimatum vt aiunt: nam in eo perficiuntur virtutes.

Meliora sunt somnia bonorum quàm malorum hominum, vel

Propter altam impressionem bonorũ obiectorum in externis sensibus, qualia sunt simulachra virtutum ante oculos, & sapientum verba semper quasi sonantia in auribus.

Propter frequentem actionem bonorũ operum, qualia sunt inopes pecuniâ, ignorantes consilio adiuuare.

Pro-

Propter assiduam meditationem optimarum virtutum, quę animã sic confirmãt, vt ne in somno corporis à studio & contemplatione virtutis deficiat.

Opp. contra primam quæstionem.

Quicquid est omnino rationis expers à natura sua, virtutis, quæ est rationis norma, non est subiectum: sed appetitus est omnino à natura sua rationis expers, vt habetur in textu: ergo non est virtutis subiectum.

Resp.

Appetitus considerat. duob. modis, vel vt est quasi

- *Cõtumax seruus, & sic non est omnino virtutis subiectum, quia rationi opponitur.*
- *Obediens filius, & sic est virtutis subiectum, sed inchoatè vt ostendimus.*

Appetitus dupliciter cõsideratur.

Opp.

Appetitus est accidens, & virtus est accidens: sed accidens accidenti inesse nõ potest: ergo virtus appetitui nõ inest. Maior constat, quia appetitus est naturalis potentia, virtus autem habitus in qualitate. Minor est Aristot. in 2. Topico.

Resp.

Appetitus capitur bifariam, vel vt est pars animi, & sic est capax virtutum & affectuum, vel vt est potentia naturalis in prima specie qualitatis, & sic non est. Aliter dicendum est, esse subiectum quo, vt aiunt, nõ subiectum

Appetitus est subiectũ quo.

quod, quia vt per superficiem in substantiam recipitur color, ita per appetitum in voluntatem recipitur virtus.

Opp.

Appetitus est sedes affectuum, ergo non est subiectum virtutis. Antecedens patet in 3. Topic. argumentum probatur, quia affectus & virtus sunt contraria, virtus enim rectam rationem cõseruat, affectus hominem à recta ratione auocat.

Resp.

Affectus sunt duplices.

- *Acres qui à recta ratione nos auocant, & simul cum virtute non insunt.*
- *Mediocres, & veluti virtutis imperio moderati, & tales cum virtute rectè in appetitu consentiunt.*

Opp.

In somno inquit Arist. bonus à malo non discernitur, ergo non sunt meliora somnia bonorum quàm malorum. Ratio sequitur: nam si sint meliora bonorum somnia, bonorum à malis hoc modo erit aliqua distinctio.

Resp.

Bonus à malo per somnium discernitur, per somnum non distinguitur.

Bonus à malo per somnum non distinguitur, attamen per somnium bonus à malo plerumq; discernitur; somnus enim est ligatio sensus tam in bonis quàm in malis: sed somnium est agitatio quædam mentis, quæ ligatis externis sensib. intus aliquando meditatur. Quare etsi bonus à malo per somnum naturaliter non distinguitur, moraliter tamen quodammodo videtur discerni.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

Cap. I.

An virtutes insint nobis à natrâ?

PRosequitur nunc Arist. institutum suum in explicatione virtutis, quæ est anima & splẽdor beatæ vitæ, frustra enim tot verbis contenditur de fine, si de medio acquirendi finis non disputetur. Nam vt vanum est longo interuallo separatam intuêri palmã, si nullo vtaris modo quo apprehendas; ita stultum est in fluctibus huius vitæ intueri finem, si nullo vtaris medio quo acquiras: motu corporis palma, & motu virtutis beatitudo capitur. Quare sapienter quidem philosophus vt de fœlicitate (vltimo fine) in primo; ita de virtute optimo medio in 2. lib. Ethico. disputat. sicut enim proposito fine ad bonum accendimur, ita exposito medio in

Virtus est anima & splẽdor beatæ vitæ.

Simile.

Virtutes media sunt ad fœlicitatẽ.

viâ dirigimur. His iã prælibatis de ordine intelligẽdum eſt primũ generatim, tũ ſpeciatim præcepta virtutis tradi: generatim nimirum de ortu & interitu, de exceſſu & defectu, de ſubiecto, obiecto, naturâ, fine.

Summa ſecundi libri. Virtutum ortus.

De ortu mouetur hæc quæſtio: vtrum virtutes nobis inſint à natura, vt olim Stoici dixerunt? Induſtria acquiri ait, naturâ ineſſe negat, quippe etſi natura ſit ſatis efficax in ſuis effectis procreandis, hoc tamẽ vltra vim ac ſortẽ naturæ ponitur, vt virtutem in ſuo vtero conceptã pariat. Nam vt fructus in radice plantæ latitans, nõ omnino funditur, ſi non accedat influentia ſolis: ita virtus in potentia naturæ pullulaſcens in lucem non editur, ſi non acceſſerit induſtria mentis. Procreatrices enim cauſæ virtutum ſunt motus, vſus, actio. Hoc probat philoſ. primum ab vſu naturæ, 2. à potentia, 3. ab authoritate, 4. ab exemplo, poſtremò autem à causâ & modo. Ab vſu naturæ, quia omnia quæ inſunt à naturâ aliter ac ſunt aſſueſcere non inſunt: at virtutes ſæpè mutantur, ergo à naturâ non inſunt. Aſſumptio huius ſyllogiſmi probatur exẽplo lapidis, quem ſi mil-

Virtutes acquiruntur induſtriâ.

A ſimili.

Cauſæ virtutis.

Quod à natura inſitũ eſt non mutatur.

si millies sursum emittas, sursum tamen volare nūquam edocebis. vetus est illud, Naturam expellas furcâ licet, vsq; recurret. A potentiâ, quia insitorum à naturâ primùm potentias actiuas (vt aiunt) habemus, sed tales potentias virtutum non habemus: ergo virtutes nō insunt à naturâ. Minor probatur exemplo sensus, qui est potentia tam efficax & perfecta, vt statim sentiendi actum & officium prodat: videntes enim, gustantes, audientes nascimur. Ab authoritate probat, quoniam si naturâ nobis essent virtutes insitæ, frustra legūlatores tātum studij in eo ponerent, vt ciues suos ad virtutis exercitium assuefacerent & prouocarent. Ab exemplo, quia nemo artifex, nemo doctus, nemo fortis, nemo iustus nascitur. A causâ & modo bene agendi, quæ est consuetudo: nam consuetudo & acquirendę virtutis, & acquisitæ cōseruandæ principium dicitur. Consuetudo enim est altera natura, si bona sit studiosos, si mala sceleratos efficit. Cōcludā ergo cum Arist. non parui sed magnopere adeoq; ad summū referre, vtrùm sic an secus iam inde à puero assuescamus.

Insitorum à natura primùm potentias actiuas habemus.

Res insunt à naturâ duobus modis, videlicet.

- Internè & essentialiter, & sic partes definitionis, adeoq; ipsa definitio à naturâ inesse dicitur.
- Externè & consequenter, idq; vel
  - Completè secundum formam, vt splẽdor in sole, calor in igne, graue in terra, que aliter se habere non possunt; de his & similibus hîc agit Arist.
  - Incompletè & secundum materiam, vt folium in planta, barba in viro, & hæc etsi sunt à naturâ, aliter tamen se habere possunt.

Virtutes cur Virtutes nõ nõ dicantur insunt noinesse cõple bis complete à natura. tè à naturâ,

- Quia in contrarium commutari possunt penitusq; amitti.
- Quia illarum potentiæ non sunt satis efficaces ad producendum habitum sine actionibus, vt in sensibus.
- Quia ignaui & inertes nõ sunt studiosi, quod contingeret si inessent à naturâ.
- Quia lege, præmio, & consilio ad cultum & studium virtutum mouemur; quod non fieret si à naturâ concederentur.
- Quia denique vsu & exercitatione solùm acquiruntur.

Opp.

Aristot. in textu docet virtutes neq; contra naturam neq; præter naturam inesse, ergo verisimile est illas inesse à natura.

Resp.

Dicendum est quædam semina & igniculos virtutum ines-

ineſſe nobis à naturâ, ſed it a vt in habitum & actionem accreſcere non poßint ſine vſu. Prætereà concedendum eſt ineſſe virtutes à naturâ, vt à naturâ ineſſe opponitur ei, quod vel præter, vel contra naturam ineſſe dicitur: nõ enim inſunt contra naturam, quippe naturam maximè conſeruant.

Quomodo inſunt & nõ inſunt à natura virtutes.

Opp.

Quæ nobis à naturâ tributa ſunt, eorum primùm facultates accipimus, deinde officijs muneribuſq; fungimur: ſed virtutum potentias ſic habemus, & deinde illarũ officijs & muneribus fungimur: ergo virtutes inſunt à naturâ. Totum argumentum ex verbis textus petitur.

Reſp.

Potentiæ ſunt vel,

- *Formales & perfectæ, vt ſenſus, quæ in ſe actionem ſine præcedente vſu continent, vt viſus.*
- *Imperfectæ, quæ ſine medio actum nõ poſſunt elicere, & tales ſunt potentiæ virtutum.*

Opp.

Quicquid inchoat natura, illud ipſum perficit, teſte Philoſopho 2. phyſico. ſed natura inchoat virtutes, ergo perficit.

Reſp.

Quicquid inchoat natura, illud ipſum perficit, ſi non ſit vltra vim & ſortem naturæ, vt ſunt virtutes.

Opp.

Nihil dat cauſam alicuius, quod etiam medium ac-

quirendi eiusdem non tribuit: sed natura dat causam virtutis, nempe potentiam & appetitum: ergo medium acquirendæ virtutis tribuit. Maior est in primo de animâ. Minor hoc loco docetur.

Resp.

Virtutis causa remota est potentia, proxima vsus.

De causis proximis non remotis intelligitur philosophus, at potentia est causa remota virtutis non proxima. Nam proxima est actio, vsus, & consuetudo. Alij intelligunt hunc locum in causis eiusdem generis.

Opp.

Quælibet potentia animæ naturaliter versatur circa obiectum proprium & naturale: sed proprium & naturale obiectum voluntatis est bonum, seu virtus: vt habetur in 3. Ethic. ergo voluntas naturaliter circa virtutem versatur, & ex consequenti naturaliter acquiri potest virtus.

Resp.

Obiectum voluntatis duplex est, nempè
- Internum vt affectus, qui naturaliter acquiri potest.
- Externum vt virtus, quæ naturaliter acquiri non potest.

Opp.

Veritas inest naturaliter intellectui: ergo virtus inest naturaliter voluntati. Antecedens probatur, quia teste Aristot. multis credimus à naturâ sine probatione, vt omne totum esse maius sua parte; & iterum, si demas æqualia æquali, relinquitur æquale. Argumentum tenet, quia

Lib. 1. Metaph.
Lib. 2. Demonst.

quia eodem modo se habent virtutes intellectus & mo-rus, si modum acquirendi spectes. Nam & hæ & illæ exercitationis indigent ac temporis.

Resp.

Vt intellectus est rasa tabula respectu veri, ita voluntas est quasi cera respectu boni; sed attende quod duplex sit verum: naturale scilicet & morale: illi creditur sine ratione, hoc verò non acquiritur sine vsu & actione: de illo in primo, de hoc in secundo loco agitur.

Verum
Naturale
Morale.

Cap. II.

An excessu & defectu labefactetur virtus?

IPritum est sermone, quòd præuisa iacula minùs feriant: ratio est, quia mala cognita faciliùs euitãtur. Hinc est, quòd postquàm principia quibus acquiritur virtus Aristoteles explicuerit; nunc mala quibus corrumpitur demonstrare contendat: frustrâ enim ab illo præscribitur via, si quæ in viâ nocent non præmonstrentur mala. mala autem hæc duo sunt: nimium & parum, quę vulgò excessus & defectus appellantur. Hæc duo sunt quasi angues latentes sub herbâ, hæc nobis tanquam Syrenes insidiantur in

Ordo progressus.

in viâ, hæc ſunt quæ arcem virtutis oppugnant ſemper, expugnant ſæpè. Ab his ergo ſummoperè cauendum eſt. Nam etſi frontem vultumque veneris, caudam tamen ictumq; Scorpionis habent. Rectè ergo ille, in medio tutiſſimus ibis. Nam vt lineæ ad centrum, ita actiones noſtræ ad medium referri debent, à quo ſi vel latum vnguem (vt aiunt) deflexeris, neceſſe eſt in periculum iſtorum malorum incidas: hinc enim nimium, illinc parum inuadit: nulla fit ergo in via degreſſio, quin magnum ſit periculum ne ſequatur confuſio. Apertè agam: hæc duo (de quibus ago) vitia ſunt, quorum alterum *nimium* quod eſt in exceſſu, alterum parum quod eſt in defectu dicitur: iſtorum impetu omnes omnium virtutum nerui conuelluntur, omnisque ſplendor tollitur; ſed ipſum audi philoſophum. Quemadmodum (inquit) exercitationes & profuſæ & remiſſæ nimium lebefactant vires, & vt eſculenta & poculenta ſi modum tranſeant, vel infra modum adhibeantur, labefactant corporis valetudinem: ita vitia animi in exceſſu & defectu poſita, pernicie-

Medium tutiſsimum.

A ſimili. Nimium & parum æquè nocent animo ac corpori.

em

em virtutibus ac interitum minitantur. Adhibentur exempla timoris & audaciæ quæ tollunt fortitudinem: luxus & stuporis quæ tollunt temperantiam. Si rationem quæras cur hoc fiat, respondeo, sicut ordo & pulchritudo naturæ cõcidit, si errante naturâ monstrum producatur: ita decus & præstantia virtutis tollitur, si (errante homine) vitium perpetretur. Nam vt monstrum corporis fit aliquando excessu vt in gybboso; aliquando defectu, vt in monoculo; ita monstrum animi, quod est vitium, excessu & defectu constituitur: linea ergo recta tenenda est, id est, aurea virtutis regula, quam si in hanc vel in illam partem deflexeris, vitam rectè instituere non videris: hinc enim fumi suffocant, illinc flammæ cõsumunt omnia. Vis ergo rectè viuere? Est virtus placidis abstinuisse bonis. Vis ab illis perpetuò (vt decet) abstinere? sit ratio mentis, sit virtus moderatrix morum.

A proportione.

Vitium est animi monstrum.

Sententia.

Excessus & { Naturales in { Excessu / Defectu } materie, de quibus in Physic. ; Appetitu, vt extremi affectus qui nutũ & imperium rationis non sequun-

defectus sunt duplices: Morales quæ sunt vel in
- quuntur, quales sunt furor, odium.
- Intellectu, vt vitia quæ opponuntur virtutibus mentis, qualia sunt ignorantia & curiositas.
- Voluntate, vt vitia quæ opponuntur virtutibus moris, qualia sunt auaritia & prodigalitas. Notandũ est quod licet præcipuè hic intelligatur Aristot. de his in postremo membro distinctionis, reliqua tamẽ duo membra de affectibus & vitijs mẽtis huc referri possunt.

Opp.

Affectus aliquando confirmant virtutem, vt miseritordia mansuetudinem, vt fortitudinem ira; ergo affectus in hac quæstione non sunt intelligendi.

Resp:

Affectus duplices,
- *Extremi, vt odium, furor, & tales corrumpunt.*
- *Moderati, & tales virtutem ipsam adiuuant & imitantur.*

Alia distinctio excessus & defectus.

Excessus &
- *Declinationem à medio: nam hominem cogunt medium relinquere.*

de-

defectus corrumpunt virtutem propter

Delectationem, in ipso vitio, cuius dulcedo nos mouet peccare.

Obcæcationem animi in bono: nam cogitur aliquando cæcutire.

Obdurationem in malo, quâ tandem cogitur desperare: sic declinãtes à medio, primum dulci veneno peccandi capimur, capti obcæcamur, obcæcati obdurescimus, obdurati desperamus.

Excessus & defectus quatuor mõdis virtutem corrumpũt.

Opp.

Si omnis declinatio à medio sit virtutis corruptio, tum qui parum declinat à medio iustè reprehenderetur: sed qui parum declinat à medio non iustè reprehenditur: ergo omnis declinatio à medio non est virtutis corruptio. Maior est philosophi in hoc cap. vbi probat omnem declinationẽ à medio esse in vitio: Minor quoq; est Arist. in nono cap. huius libri, in quo verba hæc sunt: Qui paulum aliquid decorum egreditur non est in vitio.

Resp.

Declinatio à medio fit multis modis, aut per infirmitatem, aut per affectum, aut per ignorantiam, aut per malitiam: infirmi naturæ lapsu: perturbati affectionis impetu, ignorantes errore animi: malitiosi furore quodam fascinati peccant. Illi veniâ meliores, hi pœnâ deteriores fiunt: docet ergo philosophus omnem à medio declinationem non esse culpandam, non quòd omnis non sit in vitio, sed quia non apparet si sit parua, aut quia spes remanet si non sit malitiosa.

Declinatiõ à medio fit multis modis.

Opp.

Opp.

Qui iniusta agunt non sunt iniusti, ergo excessus & defectus non corrumpunt virtutem. Antecedens est Aristotelis in 4. cap. huius libri: probatur etiam per locum in quinto lib. ca. 6. qui locus sæpe cum magna acerbitate vrgetur aduersus Arist. verba loci hæc sunt. Qui non animi iudicio vel ratione, verùm animi perturbatione ducatur ad contractandum mulierem, sciens quam contractet, facit ille quidem iniuriam, sed tamen nondum est iniustus. Quemadmodum nec fur qui furatus est, nec adulter qui adulteratus est.

Resp.

Loci difficilis explicatio.

Vide 6. ca. 5. libr. de hac re plura.

Errata Arist. libr. 1. phys. 7 physic. libr. 5. Ethic. ca. 6.

Primâ specie hæc loca vix digna philosopho esse videntur. Nam in ijs Aristoteles iniustitiam, furtum, adulterium, non esse indigna flagitia videtur defendere: hinc aliquot parum attentè, animaduertentes propositum philosophi, suo more clamitant, O tempora in quibus Aristoteles monstrum hominis pro oraculo Apollinis haberetur. Is enim est, qui contra potentiam Dei materiã primam, qui contra fundamentũ fidei æternitatem mundi docet, is est, qui contra salutem animi adulterium, furtum, iniustitiã non esse peccata asserit: in tale scis nimis in re tam frigida quicunq; es, imo toto erras cœlo. Non contra potentiam, fidem, salutem disputat: non cõtra potentiam, nam actu infinitam Deo concedit: nõ contra fidem, nam illam ignorauit, & proinde contumaci & obstinato animo cognitam non contempsit. Non denique contra salutem: nam ista quæ tu obijcis non affirmat, quippe cum dicit adulterium, furtum aliaque id genus multa non esse

Solutio. Lib. 7. Ethi.

vitia

vitia ex parte affectus, (qui neq; bonos neq; malos denominant) detestanda tamen scelera esse demonstrat ex parte habitus & consuetudinis: detestanda dico, quia in illis peccantes quadruplici pœnâ coercendos voluit, vnâ propter ignorantiam crassam: altera propter affectum belluinum. 3. propter scelus commissum, 4. propter iniuriam illatam ciui: tam abest ergo vt hæc dicat non esse flagitia, vt omnium ducat esse flagitiosissima.

Cap. III.

An virtus circa voluptatem & dolorem versetur?
An difficilius sit resistere voluptati quàm iræ?

Ratio ordinis.

SVbiecto, principio, medio virtutis cognitis, ordo iam postulat vt de communi obiecto pauca adijciantur. Subiectum voluntas est in quâ continetur, principium actio est quâ acquiritur, medium ratio est quâ conseruatur: commune deniq; obiectum affectus est in quo moderando vis tota virtutis ponitur. Affectum dico: nam etsi propria & externa sint obiecta cuiusq; virtutis, vt pecunia respectu liberalitatis, mors respectu fortitudinis: tamen communia

& interna obiecta sunt ipsi affectus, quos hîc per voluptatem & dolorem procul dubio intellexit philosophus. Quęstio ergo est, an virtus versetur circa voluptatem & dolorem? quod si vno verbo interpretari velis, est, An virtus circa omnes affectus versetur? Nam per voluptatem, omnem dulcem & delectabilem: per dolorem, omnem tristem & iniucundum intellexit affectum. Quod ipse planè insinuat, cum doceat id omne affectum esse, quod aut voluptas aut dolor sequitur. In his ergo vel maximè occupari virtutem docet Arist. quia nihil acriùs mentem hominis inuadit quàm dolor, nihil periculosiùs quàm voluptas. Nam quemadmodum interni hostes, veluti ex equo Troiano prosiliẽtes, plus obsunt ciuitati quàm externi: ita voluptas & dolor, qui in intimis quasi animi recessibus latebrisq; insidiosè habitant, maius semper creant homini periculum, maiusq; virtutis naufragium minitantur. Sensim dolor serpit, sed occidit: furtim voluptas repit, sed omnem virtutis amorem tollit: Sapienter Horatius,

Voluptate & dolore omnes affectus continentur.

Quid voluptas.

Quid dolor.

A simili.

Interni hostes & animo & corpori maius creant periculum quàm externi.

Vis

Vis rectè viuere? quis non?
Si virtus hoc vna potest dare, fortis omissis
Hoc age deliciis.

Voluptatum enim blanditijs deliniti ad turpia, dolorum facibus incensi ad facinorosa rapimur. vt ergo qui defendunt ciuitatem, non solum muniunt & occludunt portas, ne hostes externi irruant, sed etiã diligenter cauent ne interni proditores noceant: ita qui virtutis studio capiuntur, non solùm oculos, aures reliquosque sensus (qui sunt quasi ianuæ mentis) prudenter munire, sed etiam omnes arcanos recessus animi cautè ac sapienter tueri debent. Sunt enim foris delicię quę corrumpunt, sunt intus insidiæ quæ cõfigunt virtutem. Vis vt apertiùs agam? hoc ergo volo, vt virtus non solùm in externis sensib. sed etiam in internis affectibus moderandis versetur: in illis, ne quasi per portas ingrediantur mala: in his ne tædis quasi accensis sequantur incendia. Nam vt flamma fumum, ita vitium voluptatem sequitur. Hoc ago accuratiùs, hoc vehementiùs vrgeo, vt iuuenes legentes hæc præcepta, citiùs escas & venenum fugiant, so-

Voluptatẽ sequitur viti vt flamma fumum.

Adhortatio.

lamq; virtutem (quę est omnium affectuum optima moderatrix) contempletur. Argumenta quæ sunt apud philosophum de hac causâ, ducuntur à signo, ab exemplo, à testimonio, ab effectu, & à difficili. A signo, quia per voluptatem & dolorem, id est, per affectum, quales sunt omnes habitus, cognoscuntur. Ab exemplo temperantis qui moderatè, incontinentis qui immoderatè ac ferociter voluptate vtitur. A testimonio Platonis, qui suasit vt lætemur illis quibus lætari oportet, vt doleamus illis, quibus dolere decet: Ab effectu, quia à vitiosis affectibus vitiosi habitus oriuntur: A difficili, quia virtus semper versatur in difficilimis, sed affectus moderari est difficilimum: ergo versatur in affectibus. Hoc vltimum à comparatione voluptatis atque iræ acutè & sapienter probat. Nam hi affectus sunt rationi admodum infesti & periculosi, sed si vtrumq; inter se compares, in ira est tæda, in voluptate est cycuta animi: nam ira incendit bilem, at voluptas occîdit mētem. Quare lōgè difficilius est voluptati quàm iræ obsistere, est enim ira aperta, est voluptas

Voluptati cur difficilius resistatur quàm iræ.

In ira est tęda, in voluptate est cycuta animi.

ptas insidiosa, dolor nos cogit irasci, at cõseneſcere in delicijs natura ſuadet: non manet ira quia eſt moleſta, at altas radices agit voluptas qa eſt innata. Cõcludo igitur magnanimũ eſſe qui iræ faces: beatum eſſe, qui voluptatis flammas poteſt extinguere.

Efficax iræ cum voluptate comparatio.

Obiectum virtutis eſt duplex:
- Commune & internum, vt voluptas & dolor, ſub quibus omnes acriores affectus continentur.
- Proprium & externum, vt ſplendida ædificia in magnificentia, falsè dicta in affabilitate.

Verſatur virtus circa affectus aut
- Moderando, vt proſint,
- Tollendo, vt non noceant.

Diſtinctio ſecundæ quæſtionis.

Difficilius eſt reſiſtere voluptati quàm iræ quia voluptas eſt
- Innata & enutrita nobiſcum: ira autem non item.
- Diuturnior quàm ira, eſt enim ira breuis, voluptas perpetua.
- Dulcis & amœna, ira autem eſt moleſta.
- Latiùs eſt fuſa per totum corpus, at ira eſt ſolùm ebullitio ſanguinis circa cor.
- Fraudulenta & inſidioſa, ira autem eminet & omnibus eſt aperta.

Opp.

Voluptates & dolores non ſunt obiecta virtutis, ergo in illis vt in obiectis non verſatur virtus. Antecedens patet quia non coincidunt efficientes cauſæ & effectus, ſed

vera obiecta virtutis sunt efficientes causæ voluptatis & doloris, ergo non sunt obiecta: assumptio probatur, quia præsente pecunia gaudet liberalis, deficiente dolet.

Resp.

Dicendum est eodem respectu & modo non esse obiecta. Nam affectus interna, cibus & pecunia externa dicuntur: & quamuis affectus sæpe occasione externarum rerum (quæ sensus externos pulsant) oriantur: nō tamen inde sequitur, non esse obiecta, cum causæ & effectus diuerso respectu frequenter eidem obijciantur, vt animal & homo substantiæ.

Opp.

Voluptas & dolor sunt obiecta temperantiæ, 3. libro Ethico, cap. 10. ergo non sunt obiecta virtutis in genere.

Resp.

Dolor & voluptas capiuntur bifariam:

- *Strictè pro illis solùm affectibus, & sic sunt obiecta temperantiæ.*
- *Fusè pro omnibus perturbationibus, & sic communia obiecta virtutis hoc loco dicuntur.*

Opp.

Si virtutes morum versentur in perturbationib. tum in toto quod ex animo & corpore constat sitæ sunt: sed hoc est absurdum, ergo & illud. Maior est Arist. in 10. lib. cap. 8. minor patet, quia virtus est in solo animo.

Resp.

Dicit illic esse virtutes morum in toto compositō: non quòd

quòd illi inhæreant, sed quia affectus corporis & rationem mentis dirigant & moderentur.

Virtutes quomodo dicantur inesse in animo & corpore.

Opp.

Voluptas neq; est affectus neq; vitium, ergo non versatur virtus circa illam vt circa affectum. Antecedens probatur ex 7. Physico. cap. 3. & 7. Ethic cap. 11. vbi voluptas motus esse definitur.

Resp.

Voluptas illîc motus dicitur quia est causa mouendi; sæpè enim effectus per nomen causæ appellatur: vel respondendum est, quòd voluptas sit quidam motus appetitus, quo perfunditur: & hoc nihil aliud est quàm affectus.

Opp.

Virtus versatur circa difficilima vt in hoc cap. probatur: sed voluptas & dolor non sunt difficilima, ergo circa voluptatem & dolorem non versatur. Minor probatur tertio libro Ethico. cap. 9. vbi docet philosophus, difficilius esse res molestas periculorumq; plenas ferre, quàm ab his quæ voluptatem adferunt abstinere.

Resp.

In eo loco fortitudo res acerba dicitur, non quod actio eiusdem non sit iucunda, sed quòd mors (quæ est eiusdem obiectum) sit respectu naturæ admodum molesta: Hinc emergit responsum nimirum quòd per difficilius, eò loci acerbius intelligatur: est enim acerbius, respectu naturæ horrentis mortẽ, res molestas periculorumq; plenas ferre, quàm ab his quæ voluptatem afferunt abstinere: difficilius

Quare fortitudo sit res molesta.

cilius est tamen voluptati adblandienti, quàm periculo irruenti resistere.

Opp.

Difficilius est regere eas passiones, quæ nullum habent medium quàm eas quæ habent, sed maleuolentia, impudentia, adulterium, furtum, homicidium; teste philosopho lib. 2. ca. 6. non habent medium. voluptas autem habet: ergo si virtus versetur circa difficiliora, potius circa ista quàm circa voluptatem versarentur: quòd voluptas habet medium constat, quia moderatè illâ uti licet, vt probat Arist. at istis moderatè uti nemo potest.

Resp.

Assensus animi peccatum facit.

In his considerari debent duo: actus hominis & motus voluptatis: in actu est semper immane scelus, in motu verò semper non est, si in consensum animi & actum non prorumpat: hinc quamuis quoad actum aut consensum medium non habent, in motu tamen pulsuq; habent: non tamen ex his rectè concluditur, quòd minus difficile sit voluptati quàm istis resistere, cum istis resistendi difficultas ex ipsa voluptate oriatur. Præterea non dicitur esse omnium difficilimum voluptati resistere, quia habet medium, sed quia in visceribus naturæ dulcissimum semper sparsit & enutriuit venenum.

Opp.

In irâ vsus rationis tollitur, at in voluptate non tollitur: ergo difficilius est iræ quàm voluptati resistere: maior in 3. Ethic. probatur: minor in 7. vbi docetur, quòd incontinens sæpe videat meliora.

Resp.

Resp.

Vsus rationis in neutro inest. Nam quamuis incontinens meliora videt ex parte intellectus: bonum tamẽ non omnino videt ex parte appetitus, fatetur tamen Arist. vsum inesse si naturam hominis, sed negat inesse si vim actumq; rationis spectes: cùm ergo voluptas & diutius & periculosiùs hanc vim actumq; rationis obtundat quàm ira, magis arduum esse voluptati resistere, quàm iram extinguere & moderari putauit.

Incontinens meliora intelligens, deteriora sequitur.

Cap. IIII.

An qui iusta agit semper sit iustus? & An ad omnem actionem virtutis requirantur voluntas, scientia, & constantia?

REmotis à viâ periculis & insidijs, nimirum vitijs & affectibus, ordo nunc progrediendi in hoc itinere nobis prescribitur, qui ordo in duobus maximè consistit: nempe in scientiâ studiosæ actionis, & in obseruatione trium circumstantiarum, quæ laudabilem eandem actionem reddunt. Actio de quâ hic disseritur, est veluti laboriosa in hoc Oceano ad portũ virtutis nauigatio: tres circumstantiæ sunt, scientia prudẽtis, qui

Ratio ordinis.

Tres circũstãtiæ actionis studiosę.

tenendo clauum viam præscribit, voluntas & cõstantia agentis, qui sequendo nutum prudentię portum acquirit. Primum ergo requiritur vt nõ solùm agas iustum sed iustè, quòd sanè tum feceris, si quod in 2. lib. requiritur sponte, scienter & cõstanter agas. Vt per voluptatem & dolorem in postremo capit. omnem affectum: ita per iustum & iustè hic omnem virtutem intelligit philosophus. Nam vt illorum affectuum nomine alij omnes affectus illîc insinuantur, quia sunt primarij: ita hîc nomine iustitiæ omnes reliquæ virtutes intelliguntur, quia illarum princeps & regina dicitur. Non est ergo temperans semper qui temperata: non fortis qui fortia: non iustus qui iusta: sed is demum temperans, qui castè: is fortis, qui animosè: iustus is est qui iustè & studiosè agit. Nam vt in artibus, sic in virtutibus se res habet. Fieri enim potest, vt quis quid præstet eorum quæ grammatici arte continentur, & fortuitò & alterius præscripto: suggerentibus enim alijs latina & græca vocabula sæpe ab imperito & Psittaco proferuntur, latinè tamen & græcè isti non loquuntur: ita sanè

Iustè agendum, non solum iusta.

Iustitiæ nomine omnes virtutes intelliguntur.

Discrimen inter iustũ & iustè agere.

sanè probabile est Neronem omnium iniustissimum, aut suasu amici, aut impulsu hostis, aut affectu animi, aut cupiditate nominis iustum aliquod factum egisse: iustus hinc tamen haberi nō debet, quia iustè id est studioso animo hoc ipsum non egerit. Quippe non solùm factum, sed animum: nō solùm speciem, sed rē ipsam: non solùm externam actionem, sed internum agendi habitum: non solùm opus quod fit, sed etiam modum quo fieri debet, finemq; considerare oportet. Qui ergo à dapibus & delitijs abstinent, non statim temperantes: qui in hostium ciuitates irruunt, non statim fortes: qui multa largiuntur, non statim magnifici & liberales sunt appellādi. est enim (vt in dictis) ita in factis hominum magna sæpe fraus & dissimulatio. Rectè ergo ad omnem actionem opusq; virtutis hæc tria requirit philosophus: Nimirum voluntatem vt sponte; scientiam vt circumspectè; constantiam vt perseuerāter & studiosè agas: à voluntate enim principium, à scientia modum, à constantiâ fructū benè agendi & viuendi petimus. Si ergo volentes benè,

Et factum & animus considerandasunt,

nè, ſcientes rectè, perſeuerantes fructuosè agere conemur: haud dubium eſt, quin nauis in portum optatæ fœlicitatis tandē peruehatur. Sed pleriq; inquit Ariſt. cum hæc non faciunt, ſe tamen & probos fore & præclarè ſe philoſophaturos ſperant: at fallax & inanis eſt iſtorum hominum ſpes & cogitatio. Nam vt illi nō ſanantur, qui medicos libenter audiunt ac diligenter attendunt, ſi nihil eorum quæ præſcripta ſunt faciunt: ita hi ſtudioſi & beati non fiunt, quamuis percipiant multa, ſi ea quæ præcepta ſunt, re, vita, & opere non ſequantur.

Præcepta opere complēda ſunt.

Iuſtum capitur, vel
- Formaliter pro habitu virtutis, & ſic qui iuſtum agit ſemper eſt iuſtus.
- Materialiter pro æquitatis facto, & hoc qui agit non eſt ſemper iuſtus, quippe hoc fit aliquando, vel
  - Suaſu amici,
  - Impulſu hoſtis,
  - Affectu animi,
  - Prętextu & ſpecie virtutis,
  - Spe & appetitu laudis aut maioris commodi.

Ad omnem actionem virtutis requirūtur tria:
- Voluntas, quæ incipit
- Scientia, quæ dirigit
- Conſtantia, quæ perficit

} actionem.

Opp.

Opp.

Iustitia, iustum & iustè sunt coniugata: ergo qui agit iustum erit iustus. Argumentum tenet à loco 2. Topico. vbi docetur, cui vnum coniugatorum inest, inesse & alterum.

Resp.

Iustitia, iustum & iustè sunt coniugata, si formaliter pro habitu virtutis, non autem si naturaliter pro subiecto, materiâ, aut facto æquitatis sumantur: est enim iustum aliquid quoad materiam, quod non est iustum vt aiunt quoad personam, factum enim est iustum, si tyrannus reddat depositū: at tyrannus inde non est iustus, quia volens, sciens, constansq; non egerit.

Opp.

Iusta agentes iusti, & modesta modesti, fortia fortes efficimur, 2. Ethic. cap. 1. ergo qui iustum agit potest esse iustus.

Resp.

Non negamus quin iusta agentes sint iusti, si sponte, scienter, & constanter agant: sed hoc est quod hoc loco vrget philosophus, posse aliquem coactum aut alio modo agere id quod est iustum, interim ipse sit iniustus. Nam voluntate rectè facta definita sunt, vt habet Aristoteles 5. Ethicor. capit. 8. non ex affectu, impulsu, aut prætextu virtutis.

Voluntate rectè facta definiuntur.

Opp.

Hoc alienum absurdumq; est, eum qui facit iniustum nolle

nolle iniustum fieri lib.3.cap. 8. ergo à contrario, absurdum est, vt is qui agit iustum, non efficiatur iustus.

Resp.

Par esse debet contrariorum comparatio, si velimus vt argumentum ab iis ductũ sequatur.

Hoc argumentum à contrarijs rectè teneret, si par esset contrariorum comparatio. Nam vt absurdum est illum non iniustum effici, qui iniustum sponte & scienter agit: ita alienum à ratione est, vt is non sit iustus, qui iustum sponte & scienter agit. Verùm cum hoc loco similis non sit vtriusq; aut rerum aut locorum proportio: Argumentum non cohaeret.

Opp.

Si voluntas requiratur ad omnem actionem virtutis, tum voluntas à virtute moueretur: sed voluntas non mouetur: ergo ad omnem actionem virtutis non requiritur. Maior constat, nam teste philosopho in 3. de Anima: intellectus nõ percipit sine phantasmate: ita voluntas non agit sine obiecto. Minor probatur quia voluntas nõ est mobilis, sed mouens & libera potentia anima libro 3. Ethic. t. 5. & lib. 3. de Anima.

Resp.

Docet quomodo intellectus & voluntas moueant & moueantur.

Voluntas considerabitur bifariam.

- *Absolutè in essentia, & sic non mouetur, sed est mouens seipsam. vt intellectus suo ipsius lumine seipsum intelligit.*
- *Comparatè in existentia, & sic vt intellectus nihil percipit sine phantasmate, ita voluntas nihil agit sine obiecto.*

Opp.

Parum aut nihil valet scientia inquit philosophus in tex-

textu ad virtutem: ergo non necessariò requiritur scientia.

Resp.

Scientia est duplex.
- Rerum in contemplatione, & ea non requiritur: nam docti non sunt solùm studiosi.
- Circumstantiarum, & talis est ad virtutis actionem necessaria.

Opp.

Scientia circumstantiarum est prudentia: vt patet ex definitione virtutis, quæ clauditur cum hac particula (prout prudens præscripserit) sed quilibet studiosus nõ est prudens: ergo scientia circumstantiarum nõ requiritur. Minor patet, quia rudes & ignari sunt sæpe virtute præditi, qui tamen prudentes esse nequeunt.

Resp.

Prudentia est duplex,
- Heroica & generalis, quæ est scientia benè viuendi & agendi secundum omnes omnium virtutum circumstantias, & hæc in omnibus non requiritur.
- Particularis, quæ est scientia agendi secundum eas circumstantias in illa virtute, qua aliquis est præditus, & hæc in minùs expertis esse potest.

Cap.

Cap. V.

An tria sola principia actionis humanæ sint in animo, nimirum potentia, passio, & habitus?

An habitus sit virtutis genus?

Ratio ordinis.

Finis Ethices, actio nõ cognitio.

VIrtutis acquisitionem nunc consequitur cognitio, quæ longè facilior inferiorq; est ipsa actione, sæpe enim diximus finem Ethicæ virtutis in actione non in cognitione consistere. Verùm quoniam frustra de re agitur, si quid sit non intelligatur, enitendum est vt definitione aliqua illustretur virtus. Aliter enim vt fuco rationis, vim rerum ignorantibus: ita vmbrâ virtutis, nobis essentiam eiusdem nescientibus facilè imponetur. Hoc verò vt fiat accuratiùs, primùm genus huius definitionis, tum formã discutit. Genus habitũ esse concludit. Nam cum tria tãtùm sint humanæ actionis in animo principia & seminaria, scilicet potentia, passio & habitus: ex his solùm habitum genus virtutis esse demonstrat, in potentia enim est sola naturæ aptitudo, in passione dispositio, in habitu verò

Virtutis definitio inuestigatur.

rò quies & perfectio: potentia enim nos mouet, passio disponit, habitus virtutis perficit, præterea potentia & affectus naturæ partum sequuntur, at virtus (vt antea probatum est) industria acquiritur: ergo nec potentia nec affectus appellari potest. Huc adde quod neq; potentia neque affectu boni aut mali simus, at virtus nos bonos & studiosos nominat, relinquitur ergo virtutem per habitum rectè definiri. Est enim habitus qualitas quędam multis actionibus acquisita. Postremò ab enumeratione passionum hoc ipsum probatur, inter quas nulla vt genus de virtute dicitur. Opportunè hìc offertur occasio, vt paucis numerum naturamq; passionum definiam; passionum ergo aliæ sunt primariæ vt voluptas cui opponitur dolor, spes cui opponitur metus ac desperatio: alię sunt quoq; minus primarię, quæ sunt aut leniores vt amor, indignatio, ira, misericordia, verecundia: aut acriores vt odium, furor, excandescentia, inuidia, sub quâ & malicia continetur. Voluptas est delectabilis motus, & quasi diffusio appetitus propter bonũ præsens, præteritum,

Habitus est genus virturis.

Habitus quid.

Digressio ad affectus.

aut ſperatum, quo animus tum perfundi-
tur & demulcetur. Dolor eſt triſtis motus
& quaſi cõtractio animi propter malum
præteritum, præſens aut futurum. Spes,
quæ alio nomine deſiderium dicitur, eſt
paſſio quâ mouetur appetitus ad expeten
dum bonum vehementer, & ad patienter
expectandum diu. Metus eſt motus ani-
mi quo homo ſollicitus eſt de malo futu-
ro. Deſperatio eſt abiectę mentis horribi-
lis & formidoloſa conſternatio. Amor eſt
motus animi in id quod putatur bonum
fluens & propendens. Ira eſt appetitus vin
dictæ. Indignatio eſt deteſtatio ſceleris.
Miſericordia eſt cõpaſſio mali. Verecun-
dia eſt metus turpitudinis. Inuidia eſt æ-
gritudo animi indignè ferentis alienum
bonum. Odium eſt inueterata inuidia.
Furor eſt fomes excãdeſcentiæ. Excande-
ſcentia eſt furoris incendium, &c. Omit-
to hîc longiorem iſtorum affectuum tra-
ctationem, quia decretum eſt in cõmen-
tarijs partitionũ illos limatiùs iterum de-
finire, perorantis enim eſt excitare affe-
ctus, philoſophantis verò illos pro viribus
moderari: ad vtrumq; ergo pertinet illos
cognoſce-

cognoscere. Satis tamen iam est ad præsens negotium ac institutũ, docuisse, per illos virtutem nõ definiri. Concludo igitur cum Arist. quòd si nec perturbationes sint virtutes, nec facultates, solum habitum ex his tribus relinqui, qui generis locum in hac definitione virtutis occupet. Verùm cum habitus sit infusus aut acquisitus, & hîc iterum vel cognitionis in mẽte, vel electionis in voluntate, illorũ neuter, sed hîc solum virtutis genus constituitur: morum enim virtus nec infunditur, nec in intellectu collocatur.

In actione virtutis tria spectantur, dicitur;
- Inchoatio, & sic potentia
- Motus seu progressio, & sic affectus
- Dispositio, ordo & perfectio, & sic habitus principium agendi

Rationes quibus probatur virtus non esse affectus sunt quatuor,
1. Ab adiunctis, quia ex affectu, nec boni nec mali dicimur.
2. A consequentibus, quia ex solo affectu nec laudem nec vituperium consequimur.
3. A causis, quia affectus à consilio & electione non oritur.
4. Ab effectis, quia perturbatione mouemur, at virtute non moueri sed cõfirmari dicimur.

Rationes quibus probatur virtus non esse potentia sunt duæ,

1. Est ab efficiente causa, quia virtus ab industria, potentia à naturâ oritur.
2. Ab officio, quia potentiæ est inchoare, virtutis perficere actionem.

Omnes affectus ponuntur in appetitu, vel

Concupiscibili, idque aut respectu

- Inclinationis ad bonũ, vnde nascitur amor, cui opponitur odium.
- Progressionis & motus ad bonum, vnde oritur desiderium, cui opponitur fuga.
- Perfectionis & quietis in bono, vnde fluit delectatio, cui opponitur dolor.

sub quo continentur { Inuidia. Zelus. Misericordia.

Irascibili, idque aut respectu

- Boni difficilis, vnde dimanat spes, cui opponitur desperatio.
- Mali difficilis, vnde timor, cui opponitur audacia.
- Molesti repugnantis naturæ, vnde ira, furor, & excandescentia, quibus opponitur clementia naturæ.

Opp.

Species & intentiones sunt principia agendi in animo, ergo hæc tria sola nõ sunt. Antecedens probatur quia ex

ex specie obiectâ rei mouetur homo sæpissimè ad agendum, & ex intentione etiam finis: hinc finis vt beatitudo principium agendi ab Arist. dicitur.

Resp.

Principia agendi in animo sunt duplicia.

- *Propria & per se* { *Potentia, Affectus, Habitus,* } *de quibus hîc agitur.*
- *Communia & per accidens, vt species intentiõ, finis, de quibus hîc non disputatur.*

Opp.

Sensus, appetitus, intellectus, tria principia agendi dicuntur in 2. c. 6. lib. Et hic ergo sunt plura.

Resp.

Sensus, appetitus, intellectus illîc agendi principia statuuntur alio quidem sensu, quàm hîc potentia, habitus, & affectus: illic enim de virtute mentis, hîc de virtute moris agitur; illîc de institutione animi quoad vitæ vsum, hîc de actione quoad virtutis fructum. Vt ergo illîc sunt tria principia quæ verum, ita hîc etiam sunt tria quæ bonum respiciunt: Tria illîc sunt, sensus vnde mechanici & operatio, appetitus vnde Politici & actio, intellectus vnde Theorici & contemplatio dicuntur: hîc verò est potentia quæ inchoat, affectus qui acuit, habitus qui animum in studiose agendo perficit.

Sensus appetitus, intellectus quomodo dicantur principia agendi.

Opp.

Mediocriter irasci est virtus, cap. 5. libr. 2. sed mediocriter

criter irasci est affectio: ergo virtus est affectus. Minor probatur hoc syllogismo, Mediocriter irascentes alteramur: sed secundum nullum habitum alteramur, 7. Physic. c. 8. ergo mediocris ira, vel mediocriter irasci non est habitus.

Resp.

Affectus moderatione virtutis sæpe laudabiles sunt.

Mediocriter irasci non simpliciter virtutem illic esse declarat philosophus, sed mediocriter irascentes bene affectos esse ostendit, quod non negamus: sunt enim affectus moderatione virtutis sæpe laudabiles, vt verecundia in iuuene, misericordia in iudice.

Opp.

Medium est eiusdem generis cum extremis, sed virtus moralis est medium inter passiones: ergo virtus moralis est passio. Maior est philosophi. Minor probatur, quia fortitudo est medium inter timorem & audaciam, temperantia inter libidinem & stuporem naturæ.

Resp.

Virtus quomodo dicatur medium inter passiones.

Virtus secundum essentiam nō est medium inter passiones sed secundum effectum, id est, quia in affectib. medium rationis præscribit & efficit.

Opp.

Virtus aliquâ vnâ actione acquiritur, ergo non est habitus. Antecedens probatur quia scientia alicuius rei quæ est virtus vnâ demonstratione acquiritur.

Resp.

Quamuis vnâ demonstratione aliquando vnius rei scien-

scientia percipitur, non tamen propriè scientia illa virtus mentis dicitur, nisi multis demonstrationibus acquiratur. Nam vt habitus ex multis dispositionibus, ita scientia ex multis demonstrationibus (vt ait Aristoteles) constat.

Cap. VI.

An virtus sit medium potiùs Geometricum quàm Arithmeticum? & an rectè definiatur?

VT res tum perfici dicitur cum ex materia & forma constituitur, ita definitio rei tum rectè absoluitur cum ex genere & differentia componitur: genus enim materiam in quâ est confusio, differentia formam in qua est distinctio imitatur. Genere ergo virtutis inuento, differētia seu forma inuestiganda erit, de quâ apud quosdam interpretes spinosa est disceptatio. Nā alij in actione laudabili, alij in electione animi, alij in proportione medij eam esse voluerunt. Sed recisâ omni de lana caprina contentione, tenendum est in medio virtutem consistere, in medio inquā rationis quam dirigit, in medio affectionis quam supprimit, in medio vitiositatis quam tollit

Differentia virtutis inuestigatur.

Virtus in medio consistit.

& extinguit. Est enim norma rationis, affectionis habena, vitiorū fuga: hinc proprium munus & officium est virtutis, eum in quo insit perficere. Nam vt virtus oculi ipsum oculum probè suo munere defungi efficit, & vt virtus equi equum generosum ad currendum stadium, ad vehendum equitem, ad expectandum hostem, aptum reddit & idoneum, ita profectò virtus animi hominem ad bene beateq; viuendum docilem, adeoq; ad omne præclarum facinus aggrediendū alacrem & paratum facit: consuetudine enim non solum facilis, sed supra quàm dici aut fingi potest delectabilis virtutum actio motusq; redditur. Intelligendum autem hîc est non solum in medio virtutem consistere, sed ipsum etiam medium ab Arist. definiri. In medio est vt respicit obiecta, medium verò est vt respicit extrema. Vnde Poëta,

Virtus est in medio & est ipsum medium.

Est virtus medium vitiorum vtrimq; redactum.

Cæterùm cum medium sit duplex aut rei quod Arithmeticum, aut quoad nos quod Geometricum appellatur: Quæstio est an hoc vel illud virtus moralis nominetur

netur. Rei medium definitur, teste Arist. quod æquè abest ab vtraque extremitate, idq; apud omnes vnum idemq; valet, & efficit, vt sex inter decem & duo quæ æquè superant ac superantur. Medium verò quoad nos est quod nec transit modum in excessu nec deserit in defectu, nec deniq; vnum idemq; valet apud omnes, & sub hoc medio virtus morum cõprehenditur: hoc enim in proportione rei mutabilis & moderatione rationis consistit, verbi causa: Nimium est alicui decem libras ciborũ comedere, duas verò parum: quid ergo sumere præscribis? hoc sanè Miloni parum, Tironi nimium: quid ergò nunc facies? certè si rectè feceris circumstantias põderare oportet, vt victum præscribens mediũ naturæ habitum nõ euertas. Vt ergo sagax natura alijs plus pituitæ, alijs plus sanguinis, alijs plus melãcholiæ, alijs plus bilis tribuit, cũ tamen in omnib. medium iustitiã & æquitatẽ seruet, ita prudẽs, iustus, fortis, omnisq; virtutis studiosus mediũ non in põdere ad rei æqualitatem, sed in iustitia ad rationis dignitatem in omnibus considerat ac veluti demeti-

Virtus medium quoad nos.

Medium Ponderis Iustitiæ.

tur. Verùm ne malè hîc philoſophum de medio bene diſſerẽtem intelligas, cauendum eſt ne virtutem in eſſentia ſua mutabilem eſſe exiſtimes. Nam quamuis eſt medium vt ait quod mutari poteſt, non tamen in habitu & eſſentia ſed in modo & exiſtentia illam mutari decet, habitus enim idem & immutabilis manet, acquirendi verò & agendi modus ſecundum eundem habitum ſæpe mutatur. Exempli cauſa, alius eſt iuſtus qui pœnam infligit, alius eſt iuſtus qui dignitatem tribuit, in vtroque eſt idem agendi habitus, ſed in vtroque non eſt idem agendi modus. Magnificus eſt qui regi purpuram aut diadema offert, magnificus quoque eſt qui in magna caritate rerum pauperibus annonam parat: cõſtat ergo virtutem iam medium eſſe idque tam rei quam rationis: Rei ſi habitum, rationis verò & quoad nos ſi modum ſpectes. Rationes in textu quib. philoſophus medium virtutem eſſe confirmat quatuor ſunt: 1. à comparatione virtutis in oculo & virtutis in equo ducitur, 2. à proportione rei & rationis, 3. ab exemplo omnium artium quæ medium

Virtus mutari poteſt in modo tamen, non habitu.

Quod virtus ſit medium, quatuor rationes.

um veluti scopum intuentur, 4. à testimonio Pythagoreorum qui malum infinitum sed vnum bonum quasi centrum posuerunt, à quo vt facile est discedere quia multis modis peccatur, ita admodum difficile est idem attingere quia virtus in punctum quasi contrahitur: vt ergo scientis est inuenire centrum, ita sapientis est tenere medium. Restat iam tandem vt definiatur virtus. Est ergo virtus habitus bonus, animi iudicio, & electione susceptus, in mediocritate constans, ratione sic rectus vt prudens præscripserit: quam definitionem sic interpretare: Est habitus non infusus sed acquisitus, non malus sed bonus, non corporis sed mentis, non temeritate sed iudicio & consilio susceptus, non in excessu aut defectu, sed in medio tam vitiorum quàm affectuum positus, non perturbatione sed ratione rectus, nō vt quispiam sibi sed vt prudens omnibus agendi modos ac circumstantias prescripserit.

Rei seu Arithmeticum, quod idem est apud omnes & immutabile, vt sol inter planetas, sex inter decem & duo.

Medi-

Medium est vel
- Rationis seu geometricũ quod cõsideratur velin
  - modo { acquisitionis. actionis } & sic mutari potest.
  - Habitu essentiæ suæ, & sic mutari non potest. Notandum est virtutem sub vtroque contineri, si duabus his rationibus distinctè considerentur.

In definitione virtutis præcipuè spectanda sunt
- Vnitas medij: est enim vnum bonum, malum verò infinitum.
- Dignitas subiecti, quod est voluntas, cuius obiectum est ipsum bonum.
- Repugnãtia vitij ꝙ est in { Excessu, vt ꝓfusio rerũ. Defectu, vt auaritia.
- Excellentia prudentis viri, cuius officium est circumstantias rectè agendi & viuendi præscribere.

Opp.

Virtus indagatrix medij dicitur in hoc textu: ergo non est ipsum medium: argumentum tenet, quia (vt ait Boëtius) sic se habet indagatio medij & ipsum medium, vt instrumentum & opus: Sed instrumentum non est opus: ergo si virtus sit indagatrix medij, non erit ipsum medium.

Resp.

Virtus quomodo sit & medium, & medij indagatrix.

Vt gladius potest esse & instrumentum militis, & opus artificis; ita virtus potest esse medium & indagatrix medij: nam vt opponitur extremis, sic est medium: vt verò affectus, actiones, & obiecta intuetur, sic est indagatrix medij: exempli causâ, affectus irasci iubet, negat for-

fortasse ratio, intercedit virtus quæ modum ac medium tenere docet: vt ergo nos instruit, sic est indagatrix medij: vt verò nos perficit, ita ipsum medium haberi debet.

Opp.

In textu virtus extremitas dicitur, ergo non est medium.

Resp.

Extremitas est, vel in { Perfectione rationis, & sic virtus extremitas dicitur. Modo oppositionis, & sic non dicitur, vitia enim & affectus hoc modo extrema nominantur. } Virtus quomodo extremitas dicatur.

Opp.

Medium rei & medium rationis definitione differunt: ergo si virtus sit medium rationis, non erit omnino medium rei.

Resp.

Eodem respectu negatur, quod sit medium rei & rationis: Nam in essentia medium rei, in modo, actu, & existentia, medium rationis dicitur.

Opp.

Vnum extremorum magis accedit ad virtutem in essentia quàm alterum, vt docet philosophus: ergo si essentiam spectes non est medium rei.

Resp.

Nulla est vitiorum cum virtute participatio in essentia,

tia, in existentia tamen est quædam similitudo: exempli causa, non magis dicenda est profusa largitio rerum liberalitas in essentia, quàm parsimonia. si tamen existentiam & actum consideres, prodigus liberali est similior, quia dat nemo largiùs.

Opp.

Virtus non est habitus electiuus, ergo malè definitur: antecedens probatur hoc modo: si esset electiuus tum pueris & seruis conueniret, nam in illis est electio: sed illis vt docet philosophus non conuenit: ergo non est habitus electiuus.

Resp.

Electio est duplex.
- *Naturalis & imperfecta, quæ est in pueris & seruis.*
- *Moralis & perfecta, quæ non est, & sic negatur virtus inesse illis.*

Opp.

Potentiæ definitio conuenit virtuti: ergo virtus & potentia non sunt disparata: Antecedens probatur, quia potentia definitur principium actionis in aliquo, & sic est virtus, exempli causa, fortitudo est principium aggrediendi formidolosa.

Resp.

Principium agendi est duplex, vel
- *Internum vt forma.*
- *Externum quod est duplex aut*
  - *Incompletum vt potentia.*
  - *Cõpletum vt habitus, quale principiũ virtus dicitur.*

Opp.

Opp.

Virtus intellectualis non est in medio, ergo nec virtus moralis, argumentū sequitur, quia non est ratio cur magis hæc quàm illa in medio consisteret, cum hæc sit æquè medium rationis ac illa voluntatis: antecedens probatur quia virtus intellectualis versetur circa verum: sed verum & falsum dicuntur de contradicentibus, in quibus non est omnino medium: ergo virtus intellectualis non est in medio.

Resp.

Etsi inter verum & falsum non sit medium, tamen inter duo falsa ipsum verum medij rationem tenet: verbi gratia: si quis dicat Musarum studioso alumno trium horarum spatium ad somnum sufficere, falsum hoc est in defectu: si verò affirmet spatium nouem horarum requiri, falsum est in excessu: medium iam est ipsa veritas quæ à prudente præscribitur.

Cap. VII.

An rectè diuidatur virtus moralis?
An virtutes omnes ac quidam affectus in medio consistant?
An singulæ virtutes specie differant?

DEfinitionem diuisio virtutis sequitur, vt quæ in genere proponuntur in specie intelligantur omnia. Tum enim res accuratè tractantur,

tur, cũ non ſolùm demonſtratione menti, ſed inductione veluti ſenſibus obijciuntur: quippe ratiocinationes doctos, at inductiones & exempla imperitos rerum vrgent. Non ergo ſatis eſt fontes digito (vt aiunt) leuiter demonſtrâſſe, niſi exijſdem riuuli id eſt ſingulæ virtutes ad vſum fructumq; deguſtantium ſuo ipſarum ordine propinentur. Quare vt generatim omnes, ita nunc diuiſim ſingulas in medio extremorum ac quaſi in gyro rationis cõſiſtere graphicè depingit. Attendendum hîc eſt illam Senecæ & Ciceronis partitionem, quâ virtutem in quatuor primarias deduxerint, à nobis hoc loco non reprehẽdi: eſt enim laudatiſſima, quippe in fortitudine vt in columnâ ciuitatis: in temperantia vt in habenâ morum: in prudentiâ vt in regulâ rationis: in iuſtitiâ deniq; vt in trutinâ æquitatis omnes ac ſingulæ virtutes connectuntur. Defatigant nos ergo Burleus, Buridanus, & alij priſci interpretes, qui hanc illorum diuiſionem mancam & mutilatam nec omnino conſpirantem cum iſtâ Ariſt. docere conantur. Heroïcas has quatuor vbiq; eſſe fatetur

tur Aristoteles: & quorsum quæso, nisi ad easdem vt ad cardines reliquæ quasi nexibus societatis inter se vinctæ reuocentur? est tamen hoc loco alia virtutum comparatio; alia ergo requiritur etiã distinctio: nam hîc numerum non naturam, inductionem non demonstrationem, exempla in omnibus, non præcepta in singulis cupit proponere. Nemini hîc nimium videri debet, quòd inter virtutes affectus quidam ab Aristot. enumerentur. Sunt enim illorũ alij tumultuantes, vt odium, furor. Alij mites ac moderati, vt paternus amor & verecundia: illi ab omni ratione & medio longe discedunt, hi verò speciem quandam virtutis induunt. Longum hîc esset istorum omnium habitus, vires, media atq; extrema, quæ in textu explicãtur, verbosiùs percensere: lumen soli (vt aiunt) adderem, si dilucidiùs quàm ab ipso Arist. explicantur, hæc ipsa delinearecõtenderem. Verùm ne cursim ac perfunctoriè multa transire videar, numerum virtutum summatim depingendum puto. Omnis ergo virtus respicit gubernationem corporis aut mentis: corporis vel

Affectus quidam cur inter virtutes numerentur.

Aristotelica virtutum partitio.

ad vires vel ad ſenſus: vires corporis exercentur vel in mediocribus periculis vnde fortitudo, vel in magnis & acerbitate plenis vnde animi magnitudo oritur: ſimiliter in ſenſib. corporis verſatur virtus, idq; aut in omnibus vnde continentia, aut in duobus ſolùm nempe guſtu & tactu, vnde temperantia ducitur: mentem porrò reſpicit virtus tam ad appetitus moderationem, quàm ad directionem rationis: moderatio appetitus cernitur in pecunijs, honoribus, animiq; affectibus: appetitum in pecunijs liberalitas & magnificentia, in honoribus modeſtia, in affectibus manſuetudo temperat: directio deniq; rationis eſt, aut in ſermone vnde affabilitas, aut in factis vnde comitas, aut in negotijs vnde æquitas, aut in dictis factisque vnde ſimplex illa temporis filia veritas conſtituitur. His iam ordine enumeratis, opportunè & fructuosè dubitatur, an ſingulæ virtutes naturâ ac ſpecie differant? credo equidem non differre. Nam vt earum aliquæ ſunt diſpares, naturæq; vi inter ſe diſiunctæ: ita aliæ ſunt in cõmunione eſſentiæ affines admodum & cognatæ: aliter

Virtutes an ſpecie differant.

quò

quò tenderent quædam sententiæ in hoc ipso cap. apud Aristot. planè non video: in vno loco sic ait, sunt etiam & aliæ virtutes finitimæ omnino, sed tamen inter se aliquid differunt: in alio verò sic, Quam rationem liberalitatem ad magnificētiam habere docuimus, paruis differētem: eandem habet ad magnitudinem animi, quę in magnis honoribus versatur, modestia quæ in paruo honore cernitur. Et iterum inter magnificū & liberalem hoc solùm interest, quòd ille in magnis, hic in paruis cernitur. Hactenus Arist. ex cuius verbis cōcludo aliquas esse virtutes omnino finitimas, adeoq; liberalitatem & magnificentiam nō re sed ratione tantùm secundū magis & minùs inter se differre. Nam quî differunt, cum idem subiectum nempe voluntatem; idem obiectum nempe pecuniam, eadem extrema nempe prodigalitatem & auaritiam habeant? idem sanè existimo de modestia, si cum magnanimitate in honore, de temperantia, si cum continentia in voluptate, de mansuetudine, si cū comitate in affectu animi conferatur. Quemadmodū ergo vnus idemq;

homo, nunc magistratus in summa digni tate, nunc priuatus in mediocritate possit cõsistere: ita vna eademq; virtus aliquando magis splendescit, vt magnificentia, aliquando minùs, vt liberalitas, quæ tamen decorum laudemque in suo gradu habet.

Opp.

Aliæ sunt heroïcæ & cardinales virtutes præter illas quatuor quæ recensentur, ergo minus aptè diuiditur virtus in illas quatuor: antecedens patet, nam magnificentia, magnanimitas, & continentia ab Aristotele dicuntur heroïcæ in textu.

Resp.

Reliquę heroïcæ virtutes ad 4. primarias reducuntur.

Etsi aliæ quædam heroïcæ & cardinales dicuntur à philosopho, reducuntur tamen ad has quatuor: vt magnanimitas ad fortitudinem, continentia ad tẽperantiam.

Opp.

Absurdum est maiora bona ad minora reduci, ergo malè respondetur magnanimitatem ad fortitudinem, & continentiam ad temperantiam reuocari.

Resp.

Primarię 4. virtutes aliquando fusius aliquando strictius acceptæ.

In primaria diuisione virtutis fortitudo, temperãtia, iustitia, prudentia, fusius sumuntur pro reliquarum quodammodo causis: & sic alias virtutes sibi connexas habent, in suis verò locis strictius tractantur à philosopho.

Opp.

Opp.

Aliæ sunt virtutes quàm hoc loco enumerantur, ergo diuisio non est laudabilis: antecedens probatur, quia castitas vitæ, humilitas, patientia, æquitas & in actionibus honestus perseuerantia sunt virtutes.

Resp.

Castitas ad temperantiam, humilitas ad modestiam, patientia ad mansuetudinem, perseuerantia ad fortitudinem, æquitas ad iustitiam reuocatur.

Ad enumeratas virtutes reliquæ reduci possunt.

Opp.

Si affectus consisterent in medio rationis, tum à ratione hominem non auocarent: sed omnes affectus sunt motus animi auocantes hominem à recta ratione: ergo in medio rationis non consistunt.

Resp.

Leniores affectus vt misericordia, verecundia, &c. in sapientem cadunt, neq; omnino à gyro rectæ rationis nos deducunt: intelligitur ergo illa definitio affectus, de perturbationibus ineffrænatis, quæ impetu quodam arcem rationis inuadunt & expugnant.

Opp.

Leniores affectus sequuntur naturam appetitus, quæ est vis sua rationis expers, ergo & leniores affectus mouet nos ab vsu rationis: nam aliter neque in appetitu vt in subiecto residerent, neq; eiusdem vim, motum, ac naturam sequerentur.

Resp.

Appetitus duob. modis consideratur, vel

- *Absolutè in essentia, & sic est rationis expers, adeoq; subiectum tumultuantium affectuum.*
- *Comparatè, & sic participatione factus est tanquam obediens filius, & est subiectum leniorum affectuum.*

Cap. VIII.

An extrema extremis magis quàm medijs opponantur?

An vnum extremorum magis opponatur medio quàm alterum?

Comparatio extremorum & mediorum.

SAtis de definitione ac diuisione virtutis iã disputatum est, nunc de affectione in qua cum extremis comparatur, est differendum: *cõtingit* enim virtuti, vt vtriq; extremorum repugnet ac opponatur, *sed ita vt huic magis, illi verò minùs: vnde eliciuntur hæ* quæstiones, An extrema extremis magis quàm medijs opponantur? & an vnum extremorum magis quàm alterum virtuti repugnet? Per extrema, vitia oppositа: per media, virtutes in medio vitiorum constitutas intelligit philosophus, media extremis

Media opponuntur extremis.

mis opponi probat à similitudine & ab exemplo: A similitudine hoc modo: Quemadmodum si id quod æquale est, cum re minore comparetur maius est, sin cum maiore minus: ita medij habitus, id est, virtutes, si cum eis quæ à medio absunt comparentur superare, si cum eis quę medium transeunt, deficere videntur: exempla fortis, temperantis, & liberalis in textu proponuntur: si enim fortem cum ignauo compares, audax: si verò cum audaci, ignauus habetur. Par ac similis fit comparatio temperantis respectu libidinosi & stupidi: liberalis respectu prodigi & auari. Liquidò enim constat medium cum extremis, id est virtutē cum vitijs, bonum cum malis vtrimque concertare, sequitur vt maiorem extremorum inter se pugnam & repugnantiam esse demonstremus. Intonant & tumultuantur hîc quidam in Aristot. texentes veluti aranearum telas vix vllis rationis fibris cohærentes. Quid inquiunt sibi ault philosophus, cum docet maiorem esse vitiorum inter se discordiam, quàm virtutum ac vitiorum? Nónnę magis decertant illa quæ genere & spe-

cie differunt, quàm quæ conueniunt? At virtus & vitium genere boni & mali differunt, vitia autem ita non distinguuntur: ergo ista de acriore pugna extremorum inter se, neruos viresq; nō habet quæstio. Attendendum est quòd duplex sit repugnantia, absoluta, respectu boni & mali, & sic medium & extremum magis distāt: comparata, respectu excessus & defectus, & sic duo extrema magis inter se colluctantur: quod probatur in textu, & quia extrema magis à se inuicem distant quàm à medio, & quia maior est cognatio ac similitudo vnius extremorum ad medium quàm extremorum si ad se inuicem conferantur: longiùs enim abest prodigalitas ab auaritia quàm à liberalitate: propiùs accedit audacia ad fortitudinem quàm metus, quo veluti fulmine perculsus homo omne periculum fugit, omnemq; strepitum & vmbram pertimescit. His positis, in postremo loco docetur, quòd nunc defectio nunc exuperantia in extremis magis virtuti opponatur: gloriam enim fortis magis obscurat timor, qui est in defectu: gloriam mitis & mansueti magis obscurat

ſcurat furor, qui eſt in exceſſu. ſed obſeruandum eſt attentè & diligenter, quòd duobus modis contingat iſta repugnandi ſecundum maius & minus in extremis viciſſitudo, nimirum vel reſpectu rei, vel reſpectu noſtrî: reſpectu rei in ſimilitudine & veluti imitatione virtutis, ſic audax forti, ſic prodigus liberali aſſimulatur: reſpectu noſtri in inclinatione ac propenſione mentis humanæ mala conſuetudine corruptæ, quæ magis aut minùs hoc vel illo ſcelere perfunditur & commouetur: id ergo vitium magis repugnat virtuti reſpectu noſtri, ad quod vel naturâ vel conſuetudine propenſiores ſumus.

In repugnãtia extremorum & mediorum duo ſpectantur.

Abſoluta oppoſitio, & ſic virtus & vitium non minus pugnant quàm duo vitia: nam vitia ſub eodem genere mali, at virtus & vitium ſub diuerſis generibus boni & mali continentur.

Reſpectiua reductio vnius ad alterum, & ſic eſt maior extremi cũ extremo quàm extremi cum medio decertatio, nam faciliùs vnum extremorũ ad medium, quàm ad ſuum oppoſitum extremũ reducitur.

Vnum extremorum eſt vicinius medio quàm alterum, vel

Reſpectu rei, ſic auaritia magis opponitur liberalitati quàm prodigalitas.

Reſpectu noſtri, & ſic prodigalitas eſt aliquando remotior à virtute, quia ad illam vel à natura vel à conſuetudine magis inclinamur.

Opp.

Virtus in textu dicitur medium & æquale respectu extremorum: ergo non magis ab vno quàm ab altero distat.

Resp.

Medium rei æquè distat ab extremis, mediũ quoad nos non item.

Virtus est medium & æquale respectu nostrî, vt antè probatum fuit, nõ respectu rei. Medium rei semper æqualiter, at medium quoad nos non semper pari & eodem modo ab extremis distat.

Opp.

3. lib. Phys.

Illa sunt minùs contraria inter quæ est facilior transmutatio: sed facilior est transmutatio inter vitia quàm inter vitia & virtutes: ergo vitia inter se sunt minùs cõtraria. Minor probatur authoritate philosophi in 9. c. vbi dicit difficilimum esse medium id est virtutem inuenire: quod si verum sit, lapsus ab vno vitio in aliud non est tam difficilis, quàm à vitio ad virtutem progressus.

Resp.

Quomodo dicatur virtus inuentu difficilis.

Difficilimum illic demonstratur studiosum esse, non quòd non sit facilior reductio vnius extremorum ad medium quàm ad oppositum, sed quòd infinita mala naturæ, fortunæ, animæ, nos (prima vrgentes vestigia ad virtutis arcem) impediant. Voluptates enim nobiscum natæ intùs, opes, diuitiæ, honores foris, omnes denique affectus ac perturbationes nobis, quò minus salutemus virtutem, insidiantur: est ergo difficilimum studiosum esse, nõ tamen sequitur, quin sit maior extremi cum extremo

quàm

quàm extremi cum medio oppositio, quia ab vno ad alterum nulla fieri potest nisi per medium progressio.

Opp.

Inclinatio & propensio naturæ frequentiùs ad audaciam & prodigalitatem nos flectit, quàm ad timorem & auaritiam: sed nec audacia magis fortitudini, nec prodigalitas magis liberalitati opponitur: ergo ex inclinatione & propensione naturæ maior non oritur oppositio. Minor in textu patet.

Resp.

Hoc argumentum sententiam Aristotelis optimè interpretatur: nempe quod non absolutæ oppositionis, sed potiùs difficilis reductionis ratio consideretur. Nam si res ipsæ vt sunt proponantur, auaritia proculdubio magis: si verò inclinatio personæ & mala consuetudo ponderentur, nonnunquam rerum profusio & prodigalitas liberalitati magis repugnant: ratio est quia difficilimè ab illis ad quæ naturâ propensi sumus auocamur.

Opp.

Vnum vni tantùm opponitur, vt docet philosophus in Topicis, ergo extremum medio & extremo non opponitur.

Resp.

Intelligitur illud axioma, quòd vnum vni opponatur, solum sub ratione extremi: sed medium cum extremo comparatum rationem extremi habet. Vnum vni opponitur, quomodo intelligendum.

Cap.

Cap. IX.

An sit difficilimum esse studiosum? An omnis declinatio à medio sit vituperanda?

Medium in uentu difficilimum.

PRæclarus & insignis hic liber Ethicorum vtili & salutari consilio clauditur, vt nempe ad virtutis portum nauigantes, fumum & flammam, Circem & Syrenem fugiamus. Vetula enim & venefica est Circe, quæ homines in porcos & monstra transfert: Insidiosa est Syren quæ dulciter cantando multos in perniciē allicit: *fumus & flamma*, vitia animi quibus fallimur: *Circe & Syren* affectus quibus fascinamur, nobis ad viuum præseferunt: hinc liquidò patet omnium difficilimū esse virtutis arcem attingere & salutare. Quare vt scientis solùm est in circulo inuenire centrum, ita sapientis solùm est in affectibus reperire medium, nedum seruare. Quid ergo? an Medusæ obiecto capite est deficiendum? nullo modo: dulcia non meruit qui non gustauit amara, laboris ac difficultatis ægritudinem spes optimæ fœlicitatis adimit.

mit Nam vt extremis cruciatibus parturientes prolem editam ardentius amant, ita magnis laboribus emptæ virtutes studiosos vehementiùs capiunt atque delectant: sed quæ sint istæ tot & tantæ difficultates, quæ tot & tantæ in viâ virtutis tricæ ac impedimenta fortasse quæris? Atten de & verbo audies. In primis tecum considera peruersitatem naturæ, quæ semper veluti rebellis & contumax in studio ac contemplatione virtutis fuit: hinc propone ob oculos sæuos vel potius insanos fluctus multorum affectuum, qui in pectore humano quasi tumultuantes, omnem rationis vim retundere, omne virtutis lumen extinguere conantur. Huic adde perniciem Paridis ac Troianorum ipsam Helenam (voluptatem intelligo) quæ Cupidinis arcu freta, Herculē à bello ad Omphaliam, Aristotelē à studio philosophiæ ad Herpillem, Martem à superorum sedibus ad veneris amplexum cōpulit. Quid multis? hæc est quæ serenitate meretriciæ frontis summos, medios, infimos sæpe deludit, & in præcipitia vitiorum atque infamię trahit. Postremò si placet perpende lu-

Quæ sint impedimenta ad virtutem paranti viâ. Naturæ prauitas Affectuum sæuitia.

Voluptatis illecebræ.

Ludibria fortunæ,

ludibria fortunæ, & errata animæ: illis infecti contabescimus; his conspurcati penitus insanimus: lubrica enim sunt vestigia fortunæ; infinita sunt flagitia animæ, & hæc & illa medium quærentibus sunt admodum infesta ac pernicioſa: sequitur ergo virtutem tot malis ac periculis obstam maxima cum difficultate à nobis acquiri posse, & acquisitam possideri. Cæterùm ne in biuio quasi ancipites & hærentes nos relinquat philosophus, in calce huius postremi cap. rationem demõstrat, quâ vsi facilè poterimus istorum malorum metu & procellis liberari. Nam vt faciunt illi qui contorta ligna in rectum dirigunt, ita nos vel à natura ad aliquod vitium propensi, vel malâ viuendi consuetudine corrupti, animos ad rectum id est ad medium debemus flectere & reuocare. Hoc autem (vt docet) expeditiùs faciemus, si inprimis voluptatis faces restinguere, tum si illud vitium quod est medio maximè repugnans fugere, postremò si animorum nostrorum impetũ ad hoc vel illud scelus perpetrandũ diligẽter animaduertere & fortiter retardare conemur.

Aditus ad virtutem facilior quomodo possit reddi.

Vlti-

Vltimũ quod in hoc libro agitur est præcedentium veluti epiphonêma, nimirum quòd omnis defectio à medio non sit reprehensione digna: hoc dicit non quòd minima non sit in vitio, sed quòd parum decorũ egredientes, non tã aperte ac euãgantes longiùs oculis hominum obuersentur. Illi enim plerumque ex infirmitate, hi ex malitia peccant & offendunt: illi ergo ex candore animi ad veniam sunt recipiendi propter facti pœnitentiam, hi nigro (vt aiunt) carbone notandi propter cõtumaciam: est enim labes animi in pœnitentib. & infirmis nævus ac error, est in contumacib. & malitiosis scelus ac furor.

Defectio omnis à medio non protinus vituperanda videtur.

Difficultas assequendi virtutes, cernitur, vel in

- Corruptione naturæ, quæ est proclivior ad malum semper.
- Oppositione vitiorum, quæ vtrimque virtutis arcem inuadunt.
- Oppugnatione affectuum, qui nos à recta ratione impetu quodam auocant.
- Delectatione rerum externarum bonorumq; fortunæ, quibus plerumq; nimium addicti sumus & mancipati.

Omnis leuiuscula declinatio à medio non est semper culpanda,

- Quia infirmi sumus, & lenitatis potiùs manu quàm seueritatis ferro ad pœnitentiam reuocandi.
- Quia non longiùs à medio digredientes, male agẽdi exemplo, quod vix ab alijs animaduertitur, alios minùs offẽdimus.

Opp.

Opp.

Studiosum esse est omnium maximè iucundum & delectabile, teste philosopho in hoc libro: ergo studiosum esse non est maximè difficile. Nam difficile molestiam, delectabile latitiam parit.

Resp.

Omne difficile non est molestum.

Studiosum esse non dicitur omnium difficilimum in possessione vt aiunt, sed in acquisitione virtutis, cuius radix amara vt ait Isocrates, fructus verò dulcissimus. Praeterea respondeo omne difficile non esse molestum, nisi per se consideretur: molestiam enim omnem difficultatis animus spe boni incitatus facile deuorabit.

Opp.

Res quælibet facile (vt ait philosophus) fertur ad suum proprium obiectum: sed proprium obiectum voluntatis est verum bonum, vt probatur in 4. cap. huius lib. ergo medium quod est verum bonum inuenire non omnium difficilimum.

Resp.

Animus mole corporis impeditur quò minus verè bonum possit discernere.

Vt oculus læsus rectè de suo obiecto nõ iudicat, ita animus mole istius corporis pressus ac impeditus, facile quod verum quodq; bonum est non discernit, quare etsi obiectum voluntatis sit perfectè bonum, vt intellectus obiectum est perfectè verum, tamen vterq; sic, vt suprà probatur, vulnerari potest, vt neuter rectè suum officium faciat.

Opp.

Opp.

Conseruatio naturæ in virtute, corruptio in vitio cernitur: ergo in naturâ, quæ conseruationem, non perniciem sibi exoptat, non est vlla difficultas inueniendi medium.

Resp.

Fatendũ est naturam magis in gremio virtutis quàm vitiositate conseruari: veruntamen dulci innatæ voluptatis veneno infecta, promior ac magis præceps ruit in malum quam in bonum: istius enim blanditijs delinita & quasi obcæcata, saepius ad Charibdim vitiorum, quam ad asylum & portum virtutis rapitur:

Voluptas naturam inficit.

Opp.

Omne vitium est culpandum: sed omnis declinatio à medio est vitium: ergo omnis declinatio à medio est culpanda. maior patet, minor probatur, quia omnis declinatio à medio est aut excessus aut defectus: Sed omnes excessus aut defectus sunt vitia, ergo omnis declinatio à medio est vitium.

Resp.

Certum est omnem declinationem esse vitiosam, nec non vituperandam: cæterùm propter causas superius allatas, si sit leuior minusq; conspecta reprehendenda non videtur.

Declinatio leuis.

Opp.

Quemadmodum in morbis corporis obstandum & occurrendum est principijs, ita vel maximè in morbis id

est in vitijs animi, sed expeditius vitio obstare non licet, quàm primum veluti lapsum ac declinationem in vitium reprehendere: ergo omnis declinatio quamuis leuiuscula est vituperanda: maior est à minore ad maius: minor ratione probatur, quia mali potiùs metu, quàm suasu emendantur: sed declinantes à medio mali sunt (vt antea ostenditur) ergo metu potiùs reprehensionis quàm suasu sapientis emendantur.

Resp.

Declinationes unculæ multiplicatæ molem atrocis flagitij adæquant.

Concedendum est minutulas declinationes animum non minùs corrumpere multitudine, quàm atrocia scelera & flagitia sua mole & magnitudine. Nam vt muscæ si multæ sint bouem suffocant, & arenæ numerosæ nauem submergunt, ita istæ à medio digressiunculæ (quantulæcunq; sint) si numero accreuerint, non minùs scelestum & facinorosum reddunt, quàm quæ conspectiora habentur. Verùm enimuerò si multoties isti casus lapsusq; ab arce virtutis non fiant, connuendum potiùs quam intonandum esse suadet philosophus. Immane enim est candente ferro vti, cum oleo placidè vulnus sanare possis.

Opp.

In postrema parte huius capitis expressè dicit philosophus nos consequi posse medium facilimè, ergo nō est difficilimum id ipsum inuenire.

Resp.

Facilimè nos consequi posse id quod rectum perfectumq;

ctumq; sit fatemur, postquam vltrò citroq; animos nostros ab extremis medium versus laudabiliter deflexi- mus: tum enim dulcedine fructus illecti, omne vitæ tædium facile superamus: quippe est in primo ingressu huius itineris labor, amor in progressu, in fine & portu honor: labor difficultatem parit, de qua antè philosophus dixit, amor & honor viam facilem reddunt, de qua hic meo iudicio loquitur. Vsus promptos facit.

Laus Deo.

LIBER TERTIVS.

Cap. I.

An triplex sit actio?
An ea quæ ob metum maioris mali fiunt, aut propter bonum aliquod, voluntaria sint an inuoluntaria?
An quis impelli debeat ad malum?
An ignorantia excuset peccatum?

Agendi principia & genera.

QVoniam vita politica affectus animi actionesque voluntatis respicit ac intuetur, ratio videtur nunc postulare, vt quænam sint principia agendi, quæq; genera, paucis hoc loco disputetur. Probè enim philosophantis est, non solùm res ipsas sed rerum causas perscrutari, quippe vt ex radice non ex cortice plantarum fructus, ita ex causa non ex effectu maximus rerum vsus elicitur. Ne ergo in thea-

theatro Politicæ vitæ constituti (vt imperiti sagittarij) à scopo virtutis aberremus, triplicis hîc traditur actionis distinctio, nempe vt alia sit voluntaria, alia violenta, alia mixta, & quasi media. Voluntaria est, quæ intellectu concipitur, & imperio voluntatis perficitur, vel si placet, quæ ipsam voluntatem suum principium & causam habet. Voluntas enim in puppi quasi sedens si recta sit in portum, sin minùs in ruinam ac perniciem tendit. Hinc qualis sit omnis actio ex benè aut malè affecta voluntate facilè perspicitur. Violenta actio proximè definitur esse huiusmodi, cuius principium extrinsecus tale existit, cui agens vel patiens renitendo non potest obsistere, vt si quem ventus impulerit in scopulum, aut si hostis potentior aliquem rapiat in periculum: ille enim Aeolum, hic Martem (etsi totis viribus resistat) superare nõpotest. Mixta deniq; aut media actio est quæ partim extrinsecus p vim, partim intrinsecus per voluntatẽ fieri videtur, vt exortâ procellâ in mari, rerũ ac fortunarũ ex naui eiectio, quæ respectu voluntatis voluntaria, respectu tẽpestatis

Actio voluntaria quid.

Actio violẽta quid.

Actio mixta quid.

violẽta dicitur. Cæterùm hoc genus actio nũ magis ad voluntatẽ propter electionẽ, quàm ad vim propter impulsionem videtur accedere: voluntas enim cogi & impelli nõ potest: est ergo (vt summatim definiam singula) violentum cum vi impellimur, inuitum cum molestè mouemur, voluntarium cum iucundè allicimur, mixtum deniq; cum ad vtramq; partem quasi vacillãtes flectimur. Sequitur nunc alia quæstio, nimirum, An ea quæ ob metum maioris mali fiunt, aut propter bonum aliquod, voluntaria sint, an inuoluntaria? Omnis actio humana (vt iã patet) est aut spontanea, sub quâ mixta, aut violenta sub quâ inuita analogicè cõtinetur, Quæstio hæc (vt ait Burleus) de mixta actione vel inuitâ agitatur: metus enim molestiam parit, bonum voluntatem incitat. Ob metũ maioris mali fiunt exempli causâ, vt rerum iactura in tempestate ne immersio, perpetua custodia principis ne hostis inuasio fiat. Propter bonum aliquod fiunt, verbi causâ, vt mẽtiri propter lucrum, templum Dianæ incendere propter famam Exemplum Arist. in textu est, vt

Inuitum quid. Quæst. 2. c. primi.

Spontaneam actionẽ mixta, continet, inuitã violenta.

vt si quis tyrannus dominus parentum & liberorũ, proponat turpe aliquid faciendum: hac lege vt si faciant, incolumes sint ac salui, sin minùs interficiantur. Dubitatio iam est vtrùm in his ac similibus sponte an inuiti agamus? Vt verbo resoluatur quæstio, si metum mali spectes inuitè, si spem & expectationem boni sponte nos agere existimamus. Est enim in metu quædam impulsio, est etiam in sperato bono quædã ad omne facinus aggrediendum dulcis persuasio. Veruntamen aureis literis est mentibus hominum inscribenda illa diuina Aristotelis sententia, nempe quòd nemo mortalium ad atrox flagitium cõmittendum vel metu maioris mali vel motu insignioris boni impelli debeat, etiamsi exquisitissima tormenta & cruciatus proponantur, imò etsi mors statim crudelissima esset oppetenda. Quare licet sint quædam mala tristia & luctuosa subeunda aliquando, vt Cycutam bibere cum Socrate, mala tamen, turpia & facinorosa nunquam sunt committenda, etsi ferrum minitari, etsi aurum polliceri velit tyrannus. Inepta non est illa vetus di-

Quæstio 3. An quis debeat impelli ad malũ.

Actio eadẽ diuerso respectu inuita dici potest, & sponanea.

ſtinctio de malo culpæ, & de malo pœnæ: illud nemo cõmittere & perpetrare, hoc quiſpiam ſubire & ſuſtinere iuſtis adhibitis circumſtantijs debet. Si iubeat Nero Paulum ad enſem, Petrum ad crucem tolli, ferendum eſt quia eſt malum pœnæ: ſi imperet negare Chriſtum, non eſt ferendum, quia eſt malum culpæ. Poſtrema huius capitis quæſtio diſcutienda iam venit. An ignorantia excuſet peccatum? cuius appendix eſt, An ebrioſus duplicem mereatur pœnam? Extremę dementiæ eſt dicere non putâram, at maioris inſaniæ eſt poſt ſcelus commiſſum dicere ignoraueram: errare poſſumus quia eſt humanum, ignorare autē non debemus quia eſt peccatum, tã enim abeſt à veniâ craſſa ignorantia, quàm diſtat à virtute magna malitia. Cæterùm ſi peccantem aliquando ſequatur dolor (idemq; non deſperationis, quæ eſt immanis, ſed contritionis ac pœnitentiæ (vt ait in textu philoſophus) quæ eſt laudabilis) conceſſâ veniâ illũ trahendum ad bonum, inflictâ pœna ſemper nõ deterrendum eſſe exiſtimauit Plato. Eſt itaq; ignorantia aut natiua & ſimplex, vt

Quæſt. 4.

Ignorantia non excuſat peccatum.

In Timæo.

in

in mancipijs & seruis à natura, quæ quodammodo excusat, est crassa & supina in impijs ac sceleratis, quæ non diminuit sed aggrauat, non tollit sed auget peccatum. Hinc ebriosum duplicem mereri pœnam concludit Aristoteles: vnã propter ebrietatem, alteram propter ignorãtiam. Nam vt in vino est venenum, ita in voluntaria ignorantia est flagitium, imò ipsa ignorantia est peccatum: Sequitur ergo in calce capitis salutare consilium, vt in omni actione vitæ singulas circumstantias diligenter consideremus: nempe, quid, quis, vbi, quando, quare, quomodo, & quorsum: quis personam, quid rem & modum, vbi & quando locum & tempus, quare causam, quomodo medium ac instrumẽtum, quorsum denique finem significat. Ex his finem maximè ponderandum suadet philosophus: est enim in fine motus & quies, motus quoniam ad agendum incitat, quies quoniam cum quadam melliflua delectatione omnem actionẽ claudit ac perficit.

Circumstãtiæ quędam in qualibet actione cõsiderandæ.

Distinctiones & argumenta primæ quæstionis.

- Principium agendi est duplex,
  - Externum, idque aut
    - Trahens, vt obiectum, sicut vox eloquentis.
    - Impellens, vt violentum, sic, ut, vis tempestatis.
  - Internum, idque aut
    - Primarium, vt voluntas, cuius obiectum est bonum.
    - Minus primarium, vt intellectus, cuius obiectum est verum.
- Actio dicitur aut
  - Violenta, ea demque vel
    - Simpliciter per externum principium putà procellam.
    - Ex parte, quæ vulgo inuita dicitur, & hæc est aut
      - Per ignorantiam quę cæco aliquando impetu ad malum pellit.
      - Per animi perturbationem, quâ homo sæpe ad suam perniciem veluti tempestate rapitur.
  - Voluntaria, quæ est
    - Immediata, quæ impediri non potest, vt velle, nolle.
    - Mediata, quæ mediante aliâ potentiâ fit, vt loqui, & ambulare: & hęc impediri potest.
  - Mixta, quæ fit
    - Per externam causam, sic violenta.
    - Per internum motum voluntatis, sic voluntaria dicitur.

Opp.

Opp.

Plura sunt principia actionis quàm hæc tria quæ enumerantur, ergo quæstio malè statuitur. Antecedens probatur, quia sensus, appetitus, affectus sunt agẽdi principia vt ait philosophus 6. Ethic. cap. 1.

Resp.

Actiones à sensu, appetitu & affectu fluentes advoluntatem, tanquam ad primarium principium agendi in homine reuocantur, sensus enim, appetitus, & affectus imperio rationis ac voluntatis sceptro subijciuntur: cum tamen rebelles & contumaces sunt (vt sæpe contingit) actiones ab illis profectæ quodam respectu sunt violentæ, vt furor Herculis, quodam respectu inuitæ, vt cæcus amor iuuentutis, quem pœnitentia sequitur: inuitè enim tum agere dicimur, cum nos egisse tandem pœniteat.

Inuiti facimus quod egisse pœnitet.

Opp.

Si qua sit actio voluntaria, est actio mali (ad quod ab ipsa naturâ propensiores sumus) sed actio mali non est voluntaria: ergo nulla actio est voluntaria: Maior constat libro septimo, Ethicorum minor probatur ex textu huius cą. vbi probat philosophus omnes actiones improborum esse inuoluntarias. Ratio est quia per ignorantiam fiunt. Verba textus hæc sunt: Quod sit imprudentiâ non est omnino voluntarium, & paulò post, ignorant quidem improbi omnes quæ facienda sunt, quæ fugienda.

Resp.

Omnes actiones virtutum ac vitiorum sunt quidem volun-

voluntariæ, maximè autem vitiorum, in quæ facilè naturæ veneno infecti dilabimur. Ad rationem verò respondeo: duplicem esse ignorantiam, vnam puræ negationis, alteram malæ dispositionis: illa non est voluntaria quâ nesciens omnino ruit in malum, hæc verò est voluntaria, quia actioni malæ præbet assensum: cum dicit ergo philosophus quòd ignorent improbi, intelligit crassam illam ignorantiam malæ dispositionis, quâ fascinati homines, consuetudine volunt in tenebris ignorantiæ volutare.

Distinctio & argumenta de 2. & 3. quæstione.

Malum est duplex.

- *Culpæ, ad quod nemo impelli debet vel ob metũ maioris mali vel ob spem maioris boni:*
  - *Ne fiat scandalum alteri.*
  - *Ne fiat periculum sibi.*
  - *Ne fiat damnum ciuitati: qui enim malum perpetrat, leges violat, & ciuitati damnum infert vt est 5. lib. Ethicorum cap. 4.*
- *Pœnæ & damni, ad quod & malus per legem, & iustus per vim & tyrannidem impelli potest, & aliquando debet.*

Opp.

Philosophus in 3. de anima dicit quòd voluntas fit mouens & motum.

Omnia in quibus non est voluntas non sunt voluntaria, sed in actionibus metu factis non est voluntas: ergo actiones metu factæ non sunt voluntariæ: minor probatur quia operatio quæ fit ex metu contra voluntatem fieri dicitur: remoto enim metu non fieret.

Resp.

Resp.

Consideratur actio vel respectu { Externi principij impellentis vt puta tempestatis, & sic ex parte violenta est. Interni principij nempe voluntatis & mentis, quæ omnem affectum regerent; & sic voluntaria dicitur.

Opp.

Iuuenis concupiscentiâ incensus id agit sæpe quod aliâs immunis à passione non omnino ageret: ergo actio in ipso ardore passionis edita non videtur esse voluntaria.

Resp.

Stultè Alcmæon in cæde materna affectum, ridiculè Aeschilus in secretis detegendis suam ignorantiam, ineptè hodie multi deum & fortunam accusant, cum malè egerint: affectus enim, ignorantia & fortuna actiones nostras non reddunt inuoluntarias, imò magis voluntarias efficiunt, quippe hisce stimulis incitata voluntas pessimum istis malis præbet assensum, quod est proprium opus voluntatis: quare etsi rediens ad se homo dolore & pœnitentiâ concutiatur quòd talia commiserit: in committendo tamen libertatem, vel potiùs licentiam voluntatis impiè exercuit. Affectus, ignorantia, fortuna nõ reddunt actiones inuoluntarias.

Opp.

Nullum malum spe aut metu fieri potest à voluntate, ergo malè statuitur quæstio. Antecedens probatur quia Deus seu prima causa est forma mouens & actus voluntatis, à quo nihil mali fluit. Metaph. 11.

Resp.

Resp.

Quando ad vnum effectum duæ causæ necessariò concurrunt, potest esse defectio in actu ex parte vnius, & non ex parte alterius: hoc ergo posito, quòd ad velle concurrant Deus & voluntas, potest tamen esse defectus ex parte voluntatis, interim vt nulla sit causa mali ex parte diuini numinis. Diuina enim voluntas semper influens bonum, nulla tenetur lege voluntatem ad bonum impellere: si ergo à recto declinet voluntas, à se non à Deo fluit defectus.

Deus semper vult bonum.

Opp.

Violentum & voluntarium in actionibus nõ sunt opposita, ergo malè diuiditur actio in violentam, voluntariam & mixtam. Antecedens patet, quia eiaculatio lapidis sursum est & violenta & voluntaria, sic saltatio.

Resp.

Eiaculatio lapidis est violenta & voluntaria, sed diuerso respectu: nam respectu lapidis est violenta, respectu hominis est voluntaria. De saltatione dico, non esse contra naturam, quia ab intrinseco principio proficiscitur.

Lapidis eiaculatio & violenta est & voluntaria.

Distinctio & argumenta de 4. quæstione circa ignorantiam.

Ignorantia est, aut

- *Naturalis in infantibus & seruis à natura, quæ quodammodo excusat peccatum, quia non est voluntaria.*
- *Inuita in bene volentibus sed non valentibus scire & operari bonum, vt si quis vincu-*

vinculis apud Turcam detentus fidem religionemq; optaret intelligere, tyrannide tamen oppressus non potest, & talis ignorantia excusat errorem.

Crassa seu supina ex aduerso in bene potentibus sed non volentibus scire & operari bonum, & ista ignorantia longè abest ab excusando peccato, nam ipsa est peccatum.

Crassa ignorantia aggrauat peccatum, quia fit
- Ex socordia, vt in otiosis.
- Ex philautia, vt in superbis.
- Ex malitia, vt in desperatis quorum vox est, scientiam tuarum viarum nolumus.

Opp.

Est aliqua ignorantia merè priuatiua, ergo illa triplex distinctiv ignorantiæ non est sufficiens.

Resp.

Respondendum est priuatiuam ignorantiam aut non omnino ad institutum pertinere, aut quod magis placet, sub inuita ignorantia analogicè comprehendi. Ignorantia priuatiua.

Opp.

Natura est mater benigna omnibus, quam si sequamur nunquam à vero aberrabimus, teste Cicerone: ergo non est natiua ignorantia.

Resp.

Natura seruum & ignorantiam parit, & tamen est

mater

Natura mater benigna etiã seruis.

mater omnibus. Nam vtile est seruo instruire, vtile est multis res altas ignorare: aliter ciuitas quæ est naturæ filia florere & conseruari non potest. Verum tamen est quod dicit orator non errare nos, si sequamur naturam: non errat sapiens, non errat seruus, si naturæ vterque in suis dotibus obsequatur.

Vtrum belluæ & pueri agant sponte?

Voluntariũ duplex.

Voluntarium sumitur bifariam, aut pro

- *Actione fluente à principio actiuo cum cognitione finis perfecta, & sic belluæ & pueri non agunt sponte.*
- *Actione fluente à principio actiuo cum cognitione finis imperfecta, & sic in textu belluæ & pueri voluntariè agere dicuntur.*

An potiùs sit moriendum quàm turpe committendum?

Moriendũ potiùs, quã vt turpe cõmittamus.

Est potiùs moriendũ, quia

- *Turpe infamiam post mortem parit: melius est ergo mori pro virtute quàm viuere cum ignominia.*
- *Turpe miserum facit: melius est ergo mori cum dignitate quàm viuere in seruitute peccati. peccatum enim (vt ait philosophus) est quædam mors & corruptio animi.*
- *Turpe Deum insensum reddit, quia est summum, simplex & incommutabile bonum.*

An

An omne violentum sit inuoluntarium?

Violentum capitur duobus modis, vel vt

- *Opponitur naturali, & sic est tam in rebus inanimatis quàm animatis.* — Violentum duplex.
- *Opponitur voluntario, & sic est solùm in habentibus propositum: hoc autẽ modo acceptum est semper inuoluntarium.*

An aliquis actus voluntatis sit inuoluntarius.

Duplex actus voluntatis.

- *Primarius qui proximè essentiam voluntatis sequitur, vt velle, nolle, & hic non cogitur.*
- *Minus primarius, qui aliâ potentiâ mediante nascitur, vt loqui & ambulare, & hic aliquando est inuoluntarius & inuitâ Mineruâ (vt aiunt) editus.*

An omnis actio sit inuita quàm ignorantia efficit.

Non est nisi per ignorantiam natiuam & inuitam fiat, quippe per ignorantiam crassam facta est quidem magis voluntaria. — Ignorantiæ actio inuita quid.

An actio mixta magis vim quàm voluntatem sequatur.

Magis volũtatẽ sequitur, quia est

- *Internum eiusdem principium.*
- *Agens liberum & à nulla omnino necessitate coactum.*

Actio mixta magis sequitur voluntatem quàm vim.

An concupiscentia sit voluntaria?

Cõcupiscentia est voluntaria.

Est propter
- *Consensum voluntatis, cum affectu mouetur.*
- *Appetitum delectationis, cum voluptate vincitur.*

Cap. II.

Quid electio? & an sit voluntas, ira, cupiditas, vel opinio?

An omne voluntarium sit eligendum?

CVm electio sit omnium humanarum actionum trutina, quâ in omni passu vestigioq; vitæ tanquam normâ vtimur, cum sine electione palea pro grano, scoria pro auro, vmbra pro luce, hoc est malum pro bono sumitur, placuit philosopho electionis tractatum distinctioni actionis annectere: mores enim (vt est in fronte huius cap.) magis electione quàm actione distinguũtur.

Electio quid.

Est enim electio actio mentis libera & soluta, quâ melius in bonis assumitur, & peius in malis dubijsq; euitatur, vel (si magis placet) electio est medij quod videtur melius ad finem assequendum per deliberatio-

tionem antegressam approbatio: quæ etsi tota sit voluntaria, voluntarium tamen quod est latiùs patet quàm electio. Pueri enim belluæ quodammodo voluntatis, non tamen electionis participes habentur. His positis quæritur, an electio sit voluntas, ira, cupiditas vel opinio? Voluntas inprimis esse negatur, quia voluntas est finis, electio est mediorū ad finem: voluntas est sæpe eorum quæ fieri non possunt, electio est eorum solùm quæ sunt in nostra potestate: voluntas deniq; est potentia, electio verò est quidam actus ipsius voluntatis. Negatur etiam esse aut ira, aut cupiditas, quia istis affectibus sæpe exęstuant belluæ quæ electione & consilio non gubernantur: præterea cum nihil sit electioni infestius quàm cupiditas, nihil consilio magis repugnans quàm ira & temeritas, absurdum esset electionem aut iram, aut cupiditatem appellare. Postremò quòd nō sit opinio, triplici ratione ex textu probatur: quippe opinio est entis & non entis, at electio est eorū solùm quæ sunt: iterum opinio est vera vel falsa, at electio bona vel mala: opinio deniq; cum quadam

Voluntarium latiùs patet quàm electio.

Electio non est voluntas.

Electio non est opinio.

formidine, electio verò cum quadam certitudine & cognitione copulatur. Nam ea eligimus quę scimus optima, ea verò opinamur quibus nō sine metu assentimur. Si quis vrgeat minùs cōsultò moueri hoc modo quæstionem, An electio sit voluntas, an sit ira, cupiditas, vel opinio, cum nemo sit tam imprudens qui esse fateatur? respondeo cum Borræo, non vocem sed sensum audiendum esse, qui est an electio sit in omnib. quæ voluntate, quæ irâ, quæ cupiditate, vel opinione geruntur: hoc planè insinuat philosophus in calce capitis, vbi omne voluntarium non esse eligendum concludit, nisi cum antegressa est deliberatio.



Opp.

Opp.

Deliberatio ordine naturæ præcedit electionem: primum enim deliberatur, tum eligitur: ergo tractatus deliberationis tractatum electionis præcederet.

Resp.

Quamuis ordine naturæ præcederet, ordine tamen disciplinæ sequitur: hinc enim fit quòd finis ante alias causas sæpe tractetur, vt in primo Ethico. patet. Nam ex fine & effectu omnis nostra scientia nascitur. Cum ergo electio sit finis deliberationis, primum in intentione doctrinæ proponitur, quamuis ordine & actione naturæ sequatur.

Electio disciplinæ ordine prior est deliberatione.

Opp.

Electio non solùm mediorum sed etiam finis approbatio est: ergo malè ad media solùm astringitur. Antecedēs probatur authoritate philosophi libro primo capit. 7. vbi docet alios fines propter aliud, alios propter se expeti, quod fieri non potest, si finis sub electione non caderet. Nam sine electione meliorem finem non distinguimus.

Resp.

Electio capitur duobus modis,

- *Communiter pro quolibet actu voluntatis, & sic illic intelligitur.*
- *Strictè pro actu voluntatis tendentis per certiora media ad finem, & sic propriè hoc loco sumitur.*

Electio bifariam sumpta.

Opp.

Ideligimus quod scimus esse optimum: sed scimus finem

nem esse optimum, ergo eligimus finem. Maior est Arist. in hoc. cap.

Resp.

Eligimus optima, quomodo intelligendum.

Intelligitur philosophus de medio non de fine, nisi finem medium velis intelligere, quem finem electio vt medium ad vlteriorem assequendum intuetur.

Opp.

Concupiscentia hoc loco negatur esse voluntaria: ergo incensus concupiscentia non peccat: nam omne peccatum est voluntarium.

Resp.

Non peccat ex parte affectus qui est naturalis, sed respectu consensus qui est voluntarius.

Opp.

Incontinentes & impotentes cupiditate non voluntate, libidine non electione in textu agere dicuntur: ergo omnes actiones virtutum & vitiorum non sunt voluntariæ & electiuæ, nam incontinentia est vitium vt probatur 7. Ethico.

Resp.

Si voluntas & electio strictè sumantur, vtriusq; obiectum est bonum, & sic neq; electione neq; voluntate reguntur incontinentes: si verò fusè & communiter accipiantur, sic bonum & malum vtriq; obijciuntur, & hoc modo tam secundum voluntatem quàm electionem intemperātes agere dicuntur. Nam vt voluntas in bonam & malam, ita electio in sanam & corruptam diuiditur:

sana

sana mente & consilio boni quæ sunt bona eligunt, depravata mente ac iudicio mali malis inescantur. Electio Sana. Corrupta.

Opp.

Nulla est affinitas, nulla similitudo inter electionem & illa quatuor, à quibus in hoc capite distinguitur: ergo frustra instituitur controuersia. Antecedens patet si singula definias: est enim voluntas libera potẽtia animæ, est ira motus animi ad vindictam, est concupiscentia veluti tæda ac fomes animi ad peccatum, est opinio vaga animi de rebus imaginatio per ancipitem assensum, est denique electio mediorum optimorum ad finem assequendum approbatio.

Resp.

Conceditur consequens & cõsequentia. Nam hoc contendit philosophus, ista inter se non omnino confundi: distinguit tamen quia fuerunt philosophi qui cõfundi existimârunt.

Cap. III.

An omnia cadant in deliberationem?

COmes electionis est diligens & matura in rebus discutiendis deliberatio, cuius fructus sunt recta ciuitatis gubernatio, optima mediorum electio: suppressio vitiorum, virtutum commendatio, fortunæ deniq; omnisq; temeritatis Deliberatio comes electionis.

ab arce animi exilium & exterminatio: fortuna cæca est rerum humanarum domina, at certa est in consilio humanarum actionum anchora. Furit Alexander cum affectum, & floret Alexander cum consilium sequitur: furore percitus Clitum occidit, at consilio munitus Rempublicam sapienter gessit. Tragœdias temeritatis quis non videt? Asylum ergo consultationis quis cõtemnit? sed philosophum non ago. Quæritur hoc loco, An omnia in deliberationem cadant? negat philosophus quia neq; stulta, neq; certa, neq; æterna, neq; naturæ & fortunæ eventa omnino ad consultationem referantur. De ijs ergo solùm consilium capimus quæ penes nos sunt, adeoq; in nostra potestate sita, quæq; geri & administrari à nobis debent, & sanè non hæc omnia, sed ea solùm quæ & percipi ab intellectu, & fieri à ratione possunt, quæq; adeò sunt dubia & incerta, vt non ad sensum pateant omnibus, sed aliquando sapientibus ancipitem dubitationem adferant. Est ergo deliberatio (si velis definire) nihil aliud quàm diligens ac prudens meditatio de rebus futuris,

In deliberationem quæ res cadant, quæ non cadant.

Deliberatio quid.

turis, dubijs & contingentibus, in nostra potestate posítis, quâ meliora media eligantur ad optatum finem assequendum. Aliter sic: Deliberatio est intenta animi meditatio de rebus futuris in nostra potestate positis quę medium optimum voluntati ac electioni obijcit. Nam vt per electionem assumitur, ita per deliberationem discutitur & demonstratur actionis medium. Hinc nascitur inter vtrumque quædam distinctio, quia electio est actus voluntatis, deliberatio verò mentis, electio certa, consultatio dubia, electio consilium sequitur, consultatio electioni præmittitur: primum enim consilio, maturè tum opus est facto: quippe dico deliberādum esse diu quod est faciendum semel. Nam aliter sera sequetur vox illa pœnitētis, Tædet. Ancillantur deliberationi virtutes istæ, prudētia, solertia, prouidentia: prudentia vt omnem stultitiam, solertia vt omnem obtusitatem, prouidentia vt omnem temeritatem & affectum in deliberando fugiamus. Non enim stulti sed prudentes, non tardi sed sagaces, non improuidi sed consulares ac vigilantes bellè

Deliberatio & electio quomodo differant.

consilium capere dicuntur: hinc homo qui rectè consulit, principium & norma suarum actionum definitur: Principium respectu voluntatis, quæ causa agendi: Norma respectu rectæ rationis, quæ regula viuendi dicitur.



Opp.

Deliberatio affectio est: ergo duo subiecta non habent nempe intellectum & voluntatem.

Resp.

Vt electio est inchoatiuè in mente, perfectiuè in voluntate, ita ex aduerso deliberatio est inchoatiuè in voluntate, perfectiuè in mente, & sic duo subiecta habere possunt.

Electio est inchoatiuè in mẽte, perfectiuè in voluntate.

Deliberatio cõtrà est inchoatiuè in voluntate, perfectiuè in mente.

Opp.

Meditatio est immanens actio intellectus, sed deliberatio est transiens in rem obiectam de qua consulitur: ergo male per meditationem definitur.

Resp.

Meditatio aut sumitur pro

- *Reflexu animi in seipsum, & sic est diuina quædam contemplatio.*
- *Discursu intellectus de rebus, & sic politica, & transiens animæ operatio dicitur.*

Meditatio bifariam sumpta.

Opp.

Iurisprudentes de legibus condendis consultant, quæ non sunt in eorum potestate: ergo aliqua cadunt in deliberationem, quæ non sunt in nostra potestate posita. Antecedens patet quia iurisperiti discutiunt inprimis quas leges, & quomodo conderent, & tum tandem, An illæ quas tulerint sint futuræ salutares. Minor constat, quia leges non sunt in potestate subditorum, sed in manu nutuq; principum.

Resp.

Resp.

Quamuis iurisperiti & subditi leges sub sua potestate non habent, in omni tamen bene instituta ciuitate sapientibus conceditur de legibus sanciendis vltrò citroq; deliberare: quare etsi leges ipsæ non sunt in eorum potestate, leges tamen cõdere, & de legibus consultare in eorum potestate esse non negatur.

Opp.

Mali & pernicioſi aliquando deliberant quibus medijs potiantur votis, vt Catilina olim conspirans in rem publicam suam fecit: ergo non semper requiritur vt obiectum deliberationis sit bonum.

Resp.

Mali non consultant sed conspirant.

Vt morbus corporis firmam constitutionem tollit, ita perditorũ conspiratio omnem deliberationis vim & splendorem extinguit. Catilina enim non consultâsse sed conspirâsse dicitur: est ergo malorum inquisitio potiùs temeritas quàm deliberatio appellanda.

Opp.

Domus est finis ædificationis, & tamen de domo consultamus an sit futura salutaris vel pestifera, pulchra vel deformis, amœna vel infortunata: ergo non solùm de medijs est deliberatio.

Consultamus de domo vt de medio ad alium finem.

Resp.

De domo non consultatur vt est finis, sed vt ad vlteriorem finem puta sanitatem aut conseruationem hominum refertur.

An

An omne eligibile sub consultationem cadat.

Opp.

Electio & consultatio non sunt eadem: ergo nec eligibile & consultabile: antecedens probatur, quia electio est actus voluntatis, consultatio est actus intellectus. Argumentum tenet à coniugatis.

Resp.

Quemadmodum non sequitur albedo & dulcedo non sunt eadem, ergo album & dulce non sunt eadem, ita hæc ratio non cohæret, electio & consultatio non conuertuntur, ergo id quod sub electionem cadit deliberationi non subijcitur. Si vrgeas argumentum tenere à coniugatis, coniugata esse negamus, nisi par sit illorum comparatio.

Argumentum à coniugatis quo modo teneat.

An omnis deliberatio sit resolutoria?

Duplex via deliberandi, vel per

- Resolutionem, quæ est vel
  - Propria ab effectis ad causas germanas & primas rerum, & sic rarò.
  - Impropria ab effectis ad causas communes, & sic hoc loco capitur.
- Compositionem, quæ est quoque duplex.
  - Propria, à veris causis ad effecta, vt in physicis & mathematicis est demonstratio.
  - Impropria, à communibus causis ad effecta, vt in dialecticis, & talis via potiùs inquisitio quàm deliberatio dicitur.

Cap.

Cap. IIII.

An verum bonum sit obiectum voluntatis?

LAnguida & inanis esset de electione & cōsultatione tota præcedens disputatio, si obiectum voluntatis (in quo præcipuè versantur) maneret incognitū & indiscussum. Nam vt incassum ædificare nauem conatur is qui materiam non habet, ita ineptè eligere & consultare videtur qui vtriusq; modum ac medium non intelligit. Quare proximè & opportunè hîc quæritur, An obiectum voluntatis (quod distinguit electio, quod discutit cōsultatio) sit bonum solidum vel fucatum? Nō est negandum quin anguis sub herba, scorpio sub lapide aliquando latitet, meretriciâ fronte sæpe decipiuntur homines: nā Hyenæ vocem humanam habent, Syrenes frontem, at illæ dente conterunt, hæ gulâ consumunt omnia. Quorsum hæc? vt intelligamus non aliter voluntatem circa bonum specie virtutis, quàm mentem circa verum specie veritatis falli posse atque vacillare. Nam quemadmodum sanis probeque affectis

Voluntatis obiectum quódnam sit.

fectis salutaria videtur ea quæ reuera sunt huiusmodi: at ægrotis omnia contraria, ita voluntati bene constitutæ verissima bona, deprauatæ verò pessima optimorum facie obijciuntur. Quare ne in progressu studioque virtutis turpiter erremus, triplicem hîc de obiecto voluntatis opinionem retexit philosophus: prima est Pythagoreorum, qui solum apparens bonum voluntati (dum est in hoc corpore) obijci & apparere voluerunt: secunda est Stoicorum, qui solùm perfectum bonum eius obiectum esse exaduerso statuerunt: tertia est Peripatetico-rum, qui vtrumque complexi sunt, id est, tam bonum quàm malum. Nam si essentiam voluntatis quæ est simplex & diuina, bonum perfectum: si existentiam quæ est sæpe corrupta & deprauata, bonum apparens obiectum esse omnes classici defendunt interpretes: concludo igitur, vt intellectus est quasi rasa tabula in quam recipi potest omnis naturæ forma, ita voluntas est quasi liquefacta cera in quam imprimi possunt omnia quæ sunt aut apparent bona: in ea enim spar-

De obiecto voluntatis tres opiniones.

1. Pythagoreorum.

2. Stoicorũ

3. Peripateticorũ, quæ vera esse probatur.

gun-

guntur ſemina virtutum ac vitiorum, quæ admotis facibus induſtriæ veluti radijs ſolaribus euocata, aut in fructum bonis aut in perniciem malis eminent & excreſcunt.

Voluntas eſt duplex,
- Naturalis, quæ eſt vis animæ ratiocinatricis, quâ propter ſemina virtutum & vitiorum in ſe poſita, homo bonum ſolidum aut apparens liberè appetere poteſt.
- Moralis, quę eſt vel
  - Rationi ſubiecta, cuius obiectum eſt verum bonum, ad quod ſecundum ſimplicem eſſentiam fertur.
  - Affectibus obruta: cuius obiectum apparens & fucatum bonum appellatur.

Opp.

Eodem modo poteſt voluntas aliquid appetere, quo intellectus idipſum voluntati obijcit: ſed intellectus ſæpe aliquid obijcit voluntati ſub ratione mali: ergo voluntas poteſt idipſum appetere ſub ratione mali. Maior eſt firma, quia primum omnia intellectui, tum voluntati obijciuntur: minor probatur 3. de Anima, vbi probat philoſophus quòd intellectus rem ſæpe vt eſt percipiat, quibus cõceſſis ſequitur quòd voluntas aliquid vt ſimpliciter malum appetat, quia intellectus idem vt ſimpliciter malum antea obiecerit.

Reſp.

Resp.

Hoc argumentum Oekamo suasit, vt existimaret ens bmne perceptibile esse obiectum proprium voluntatis, vn de infert voluntatem esse tam potentem vt visua bonum sub ratione boni, malum quoq; sub ratione mali, vtrumq; sub ratione entis possit appetere. Cæterùm cum voluntas sit definita ac distincta potentia animi, idq; per se, necesse est vt obiectum finitum non commune, distinctum non confusum per se & visua habeat: quare respondeo, quamuis intellectus offerat voluntati aliquid sub ratione mali, quod antè rectè discusserit, voluntas tamen affectibus mancipata idipsum sitit & appetit sub ratione boni.

Voluntas appetit mălum sub rătione boni.

Opp.

Omne peccatum ex certa malitia perpetratum cognoscitur esse malum sub ratione mali: sed voluntas aliquando fertur ad peccandum ex certa malitia: ergo voluntas fertur ad malum cognitum sub ratione mali. Maior constat 7. Ethic. vbi scientem incontinentem q; viuere posse Arist. probat: minor probatur per infinita exempla multorum, qui Deum agnoscentes esse summum bonum, vt summum malum tamen execrantur.

Resp.

Ad maiorem respondeo, malitiam esse venenum animi quod ita aliquando tam intellectum quàm voluntatem inficit, vt neq; ille rectè concipere, nec hæc rectè appetere quidem possit: quare etsi committitur peccatum sæpe ex certa malitia, malitiosius tamen hoc ipsum committere bonum esse arbitratur, non ergo sub ratione mali, sed sub ratione & specie boni committit.

Malitia aliquando & voluntatem & intellectũ inficit.

O Opp.

Opp.

Semina & potentiæ æqualiter in nobis sunt tam virtutum quàm vitiorum: ergo non magis bona quàm mala obijciuntur voluntati. Antecedens est in 7. c. lib. 2. Ethic. argumentum sequitur à comparatione parium.

Resp.

Voluntas consideratur vel naturaliter, & sic æqualem potentiam habet tam ad bonum quàm ad malum: vel moraliter, & sic non habet: in illa enim moraliter acceptæ ponderanda sunt duo, conseruatio, & sic magis ad bonum, corruptio seu defectio, & sic magis ad malum flectitur.

Opp.

Superius demonstratum est voluntatis obiectum esse perfectum bonum, si in simplici essentia consideretur: ergo malè hoc loco respondetur quòd tam bonum quàm malum sit æqualiter obiectum si naturaliter consideretur,

Resp.

Duplex essentia est voluntatis, vel

- *Absoluta, simplex & diuina, atq; hic bonum perfectum vt obiectum proprium appetit.*
- *Respectiua, composita, vel humana, atque sic æqualiter ad vtrumque mouetur: nunc enim rectam rationem intellectus, nunc perturbationem appetitus sequitur.*

Cap.

Cap. V.

An voluntas sit libera?

VOluntatem neq; aquilam quæ apertis oculis solem intuetur, neq; lapidem qui semper à sublimi ad imum rapitur definire audeo. Nō aquilam quia semper in altum nō volat, non lapidē quia semper ad centrum non decumbit: aliquando enim excelsum & diuinum, nonnunquam mortale & caducum cogitat. Quid ergo? an ita voluntatis alas deuinctas esse putemus, vt nunquam à terra ad cœlum, à tenebris ad lucem, à carcere ad libertatem euolet & contendat? an ita malorum fluctibus obrutam, ita affectuum vinculis oppressam, vt neutiquam libera & soluta videatur? Mortua non est, & tamen non viuit: cæca non est, & tamen non videt: vt enim semen in terra satum extinctum non est, & tamē nō viget sine sole: vt oculus in tenebris cęcus non est, & tamen non videt sine luce: ita voluntas in homine mortua & cæca non est, & tamen nec viuit nec videt sine motu ac influentia primi motoris. Est er-

Voluntas nec videt nec viuit sine ope diuina.

go (vt hîc docet philoſophus) quędam vo luntatis in omni actione libertas: nam ſi ſit liberum agens ex placito, vt Deus, ſi ſit agens ex neceſſitate, vt natura, neceſſe eſt vt ſit aliquod medium agens idemq; libe rum, vt voluntas: poſitis enim extremis in rerum natura, cõſequens eſt vt ponan-
Lib.2.de cœlo. tur media. Prætereà cum nemo inuitus ſit bonus, cum nemo niſi volens ſit ma lus, videtur eſſe in voluntate quædam li bera facultas, quâvtens homo tam bonus quàm malus eſſe poteſt Hinc voluntatem non aliter procreatricem & cauſam ſuarum actionum, quàm patrem ſuorum liberorum in textu definit Ariſtoteles. Ad has rationes aliæ duæ adijciuntur, vna à conſuetudine legumlatorum, altera ab euentis rerum. Prima ſic eſt, Fruſtra præmi um bonis proponitur, iniuſtè pœna malis infligitur, ſi non ſit libertas agendi bonum & fugiendi malum: at præmium & pœna fruſtra in ciuitate non ſunt, ergo eſt quædam libertas agendi bonum & fugiendi malum. Alter ſyllogiſmus ſic ſe habet, Fruſtra ſapientes nos hortantur ad bonum & dehortantur à malo, ſi non ſit liber-

libertas voluntatis in vtroque: sed frustra sapientes hoc non faciunt, ergo est in nobis libertas animi ad vtrumq;. Valeant ergo Stoici qui omnem voluntatis actionem fatali necessitate euenire velint. Ferunt Historici olim Zenonis seruum commisisse rapinam, captus est, accusatus, miser conuictus ad crucem ducitur: illic in maxima corona hominum, O perdite (inquit Zeno) quid te ad hoc malum impulit? O stulte philosophe (inquit seruus) quis me hoc fatum docuit? obmutuit philosophus & euanuit. Vereor certè ne multi sint hodie Zenones qui suam ipsorum sceleratam vitam fato excusant: imò qui deum, qui naturã, qui fatum, qui cæcam illam rerum humanarum dominam, causas peccandi in se esse opinantur. Certè si sit in aliquo volũtatis libertas in hoc maximè cernitur quod peccemus. Non est tamen fons vitæ author peccati, quia semper influens bonum nullâ tenetur lege voluntatem ad bonum coërcere. Hæc ex philosopho scripsimus, ita tamen vt sciamus vereq; confiteamur non esse volentis neq; currentis sed miserentis Dei. Non enim

Fatalis Stoi corum necessitas.

Autor philosophi auctoritatem non præfert censuræ sacrarum literarum.

Hierem. 10. Epist ad Cor. 2, ca. 3.

enim est hominis via eius, neq; viri est vt ambulet & dirigat gressus suos: quippe nõ sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est: vis igitur esse liber? agnosce te seruum esse, laboranti enim gratia, perseueranti gloria datur: Si quid occurrat boni statim amplectere, si verò quid mali statim declina: hostis enim neminem vincit nisi volentem.

Libertas à philosopho probatur hisce rationibus, quia

- Electio & consultatio sunt voluntaria, quæ sunt comites actusque voluntatis.
- Agere & non agere in nobis ponitur vt liberum & spontaneum.
- Voluntas est proximum suarum actionum principium.
- Aliter frustra præmium bonis, pœna malis in repub. proponeretur.
- Aliter otiosè monita & consilia ad virtutem amplectendam vitiumq; vitandum adhiberentur.

Opp.

Textus Aristotelis in hoc ca. docet, non magis nos posse à vitijs declinare cum velimus, quàm ægrotantes valere cum placet: ergo libertas voluntatis ad bonum non videtur defendi ab Aristotele. Simile argumentum colligi potest ex similitudine alterâ quæ adducitur de lapide proiecto, quem nemo potest cum velit apprehendere.

Resp.

Resp.

Per ista similia Aristoteles summam difficultatem declinandi à malo insinuat, libertatem autem voluntatis non negat, neq; rem impossibilem esse concludit.

Opp.

Liberum est quod causa sui motus est: sed voluntas humana habet aliam causam sui motus, nempe deum: ergo voluntas non est libera.

Resp.

Absolutam essentiam illic & infinitam libertatem intelligit philosophus, quæ est in solo Deo, & sic intelligenda est maior propositio. Libertas infinita.

Opp.

Instrumentum non est primaria causa actionis, sed voluntas est instrumentum primæ causæ teste philosopho in II. *Metaphysicorum & libro de causis: ergo voluntas non est primaria & libera causa suarum actionum.*

Resp.

Non est instrumentum vt securis, sed instrumentum vt seruus, qui proxima & immediata potest esse causa actionis. Voluntas instrumentum.

Opp.

Intellectus cogi potest: ergo voluntas cogi potest: & ex consequenti, non est libera: Antecedens probatur quia est aliquid simpliciter verum cui assentiri vi demonstrationis volens nolens á; cogitur, exempli causâ, mundũ esse.

Resp.

Iudicium cui attribuitur libertas est iudicium electionis in voluntate, non cognitionis in intellectu, non est ergo par & aqualis vtriusq; comparatio.

Opp.

Omne obiectum perfectè motiuum suæ potentiæ, ex necessitate mouet eandem, teste philosopho 3. de anima: sed bonum est perfectè motiuum voluntatis cum apprehenditur: ergo bonum vt Deus & beatitudo de necessitate mouet voluntatem: & ex consequenti videtur cogi & non esse libera.

Resp.

Negatur ratio, quippe in hoc maximè cernitur libertas: nam quamuis efficacissimè moueat voluntatem bonum, non tamen est coactio: nam inclinationem ad contrarium tum habet voluntas cum mouetur.

Opp.

Bonum in rebus consistens (vt amor) magis mouet quàm verum in ratione cõsistens (vt scientia amoris) ergo si verum ex necessitate cogat intellectum, nedum quod bonum est coget voluntatem. Præterea quod naturaliter fit necessariò fit, sed intellectus naturaliter verum, voluntas naturaliter bonum expetit: ergo est quædam necessitas & non libertas in ipsa voluntate.

Resp.

Est duplex necessitas,
- Coactionis seu consequentis vt ait Boëtius, & sic non mouetur voluntas obiectiuè vel naturaliter.
- Inclinationis seu consequentiæ, & sic mouetur vtroque modo: est tamen in libertate situm agere vel non agere, obiectum enim inclinat voluntatem necessariò, at necessitatem absolutam agendi, voluntati non imponit.

Opp.

Quod per se inest, de necessitate inest: sed velle bonum per se inest voluntati: ergo de necessitate velle bonum cogitur voluntas, & proinde in ea non est libertas.

Resp.

Velle bonum naturaliter voluntati conuenit. Nam aliter malum appetere diceretur, hoc ipsum tamen velle non ex necessitate coactionis sed inclinationis conuenit. Alij respondent velle pro prima potentia acceptum, conuenire necessariò voluntati, quia est ex essentia eiusdem: Pro actu verò sumptum non conuenire, quia est externa affectio.

An voluntas & intellectus sint eadem potentia animæ?

Opp.

Videntur esse, quia idem numero potest esse & bonum & verum, quod est obiectum vtriusq; vt Deus: & quia voluntas & intellectus vnum animum numero cõstituunt.

Resp.

Voluntas non est eadē potētia cum intellectu

- *Quia non est idem vtriusq; obiectum, licet sit idem tam vere quam boni principium vt Deus.*
- *Quia non est eadem agendi ratio in vtroq;.*
- *Quia voluntas in rebus, intellectus in ratione rerum versatur.*

An voluntas sit nobilior & excellentior potentia ipso intellectu?

Opp.

Videtur intellectus esse nobilior potentia,

- *Quia est simplicior, versatur enim in abstractis, at voluntas in rebus ponitur.*
- *Quia eius actus est nobilior, nempe diuina contemplatio.*
- *Quia vt prior regit voluntatem, obijcit enim & præscribit voluntati quid sit faciendum quid fugiendum.*

Resp.

Voluntas quomodo intellectu præstātior.

Voluntas comparari potest duob. modis,

- *Ad res humanas viribus animi perscrutandas, & sic est inferior intellectu.*
- *Ad res diuinas appetendas, quæ sunt ipsa animâ excellentiores, & sic voluntas est eminentior: præstabilius enim est Deum velle & amare quàm cognoscere.*

An

An voluntas intellectum & alias potentias animæ moueat?

Opp.

Videtur quod intellectus potiùs moueat voluntatem,

- *Quia est prior ipsa voluntate, nihil enim amatur nisi cognitum.*
- *Quia est potentia actiua, voluntas autem est passiua.*
- *Quia eius est imperare, vt habetur 7. Ethic. cap. vltimo.*

Resp.

Voluntas considerat vel quoad

- *Intentionem, & sic mouetur ab intellectu.*
- *Actionem & executionem rerum, & sic mouet flectit q; intellectum.*

Voluntas quomodo moueat intellectum.

An intentio boni & mali sit actus voluntatis.

In Intentione spectantur duo,

- *Conceptio eiusdem, & sic est actus intellectus.*
- *Relatio eiusdem ad finem & in ea commoratio, & sic est actus voluntatis.*

Intẽtio quo modo sit voluntatis actio.

Cap.

Cap. VI.

An fortitudo rectè definiatur?
An mors bellica sit fortitudinis obiectum?
An timere debeat fortis?

Virtutis ſpecies tractare aggreditur.

QVoniam de virtute in genere egerit philoſophus, conſequens nunc eſt vt de eadem in ſpecie agat: hoc eſt, vt ordine ſingulas virtutis ſpecies tractet & definiat. Incipit ergo à fortitudine omnium virtutum maximâ, quæ eſt columna ciuitatis, quæ eſt lorica hominis, in qua belli fuga, in qua pacis palma cernitur. A fortitudine enim veluti à primo officiorum fonte omnia pietatis officia in parentes, in patriam, in deum fluunt. Hanc definit Ariſtot. virtutem morum inter metum & audaciam poſitam, quâ armatus homo libenter & intrepidè pericula mortis ſuſcipit, eademque ſuſcepta generosè perfert ęquitatis cauſa. Hæc in bello (vbi commune bonum & ſalus reipublicæ agitur) maximos triũphos quærit: hinc licet in alijs iuſtis & honeſtis cauſis diſcrimina vitę & fortunarum non recuſet fortis, præcipuè tamen ex ferro &

Fortitudo quid.

flam-

flamma Martis honorẽ petit, vnde mors bellica quæ est omnium maximè terribilis & formidolosa eiusdem proprium obiectum dicitur. Mortem enim bellicam fama, quæ est æternitatis lingua & tuba sequitur: quippe hoc genus mortis (vt ait Seneca) plus honoris quàm periculi, plus gloriæ quàm pœnæ & doloris habet. Animaduertendum hîc est fortis animum & pectus non ita in callum aut ferrum obduruisse, vt nullo timoris ictu concuti aut emolliri possit, imò permulta sunt quæ fortis timère debet, vt infamia, cœli fulmina, naufragia, iniusta vincula, aliaque his similia, in quibus viribus non datur locus: sunt enim quædam mala (vt ait philosophus in textu) quæ formidare oportet, qui enim timet ignominiam est probus & verecundus, qui non timet audax & impudens. Est ergo fortis vir animo plenus in aggrediendis & sustinendis periculis quæ subitò eminent, aut aliter contingunt inter tragœdias istius vitæ honestatis causâ. Talis fuit Aemilius qui captum suum patrem liberauit, hostem interfecit, statuam emeruit. Talis fuit Leonides qui

Fortitudinis obiectũ proprium mors bellica.

Fortis aliqua timere debet.

Honestatis causa pugnandum est forti.

Fortis Aemilius.

Fortis Leonides.

qui patriam (authore Iustino) contra infinitam multitudinem Persarum defendit.

Fortis Dauid.

Talis fuit Dauid rex ille qui pro religione cultuq; diuino monstrum illud blasphemiæ nempe Goliath animosè suppressit & obtruncauit. Hæc adduxi exempla vt non tam pugnam quàm causam fortem virum efficere & definire intelligas. Pugnauit enim Aiax sed furor, pugnauit Catilina sed ambitio impulit: vt ergo non pœna sed causa martyrem, ita non pugna sed causa hominem fortem & animosum facit.

Aiax & Catilina bellatores, non tamen fortes.

Causa facit fortem.

Distinctio primæ quæstionis.

Fortitudo est, vel

- Naturalis, quæ in viribus & lacertis corporis consistit, sic leo nõ minùs quàm homo fortis dicitur.
- Ciuilis quæ sumitur, vel
  - Fusè, pro militari, seruili, legali, de quib. posteà.
  - Strictè, pro morali, quæ hîc definitur, vt suprà.
- Cœlestis, quæ est intrepida & perpetua cõstãtia animi diuinitus armati, quâ semel præditus homo nullam tyrannidem extimescit: sic Moyses contra Pharaonem, sic Elias contra Achab, sic Iohannes contra Herodem, animosè intonuerunt.

Distin-

Distinctio secundæ quæstionis.

Obiectum fortitudinis est duplex,
- Cõmune vt omne formidolosum quod vires humanas non superat, vt mori cum Socrate, certare cum Hectore.
- Proprium vt mors bellica, quæ ideò obiectum fortitudinis dicitur, quia est
  - Difficilima propter certamen,
  - Pulcherrima propter decorum,
  - Honestissima propter causam,
  - Celeberrima propter famam, quæ viros bellicosos sequitur.

Distinctio tertiæ quæstionis.

Timor est vel
- Naturalis, qui est aut
  - Cum ratione coniunctus, sic filius patrem:
  - Sine ratione, sic pusillanimus omnem vmbram timet.
- Legalis erga regem, quem reuereri } oportet
- Venerabilis erga Deum, quem adorare } oportet
- Seruilis in affectum animi, cui succumbere & prosterni fortem non decet. Patrem verò regem & deum non timere turpe & flagitiosum habetur: fortiigitur timere licet, sed ea, quæ non timere est inhonestum. Opp.

Omnis virtus mediũ esse debet inter duo vitia, sed fortitudo non est, ergo fortitudo rectè vt virtus non definitur. Minor probatur, quia audacia & timor quæ sunt eiusdem extrema sunt affectus animi non vitia.

Resp.

Resp.

Timor & audacia & affectus sunt & vitia. Virtus etiã affectib. immoderatis opponitur.

Timor & audacia considerantur bifariam, vel naturaliter vt constitutionem corporis sequuntur, & sic sunt affectus: vel moraliter vt consuetudine agendi acquiruntur, & sic habitus vitiosi dicuntur. Aliter respondendum est secundum Burleum, quòd virtus non solùm vitijs, sed etiam immoderatis affectibus animi appetentis opponatur, requiritur ergo fortitudo vt habena & moderatrix istarum passionum, ne mens humana nimis tumida insolesceret, aut nimis abiecta timeret omnia.

Opp.

Fortitudo versatur circa difficilius (vt ait Philosophus in textu) sed est difficilius furentes animi passiones vincere, quàm aliquod discrimen in bello subire, ergo potius circa affectum animi supprimendum quàm circa pericula mortis aggredienda versatur fortitudo.

Resp.

Duplex est obiectum fortitudinis { *Internum, quod est perturbatio animi, quam vincere est actus fortitudinis, sed metaphoricus & communis.* *Externum, quod est mors bellica, de qua hoc loco disputatur.*

Opp.

Omnis virtus versatur circa ea quæ sunt in nostra potestate: sed pericula mortis bellicæ non sunt in nostra potestate (cùm sint incerti bellorum exitus) ergo aut fortitudo non est virtus, aut eius obiectum non est mors mortis ꝛ periculum.

Resp.

Resp.

Etsi ab alijs in bello vulneremur: periculum tamen, adeoq; mors ipsa bellica in nostra potestate sita sunt: quippe penes nos est an tale periculum velimus aggredi & subire.

Periculà quomodo penes nos sint.

Opp.

Omnis habitus gignitur ex multis actionib. circa propriam materiam, sed multæ non possunt esse actiones fortitudinis circa mortem, ergo fortitudo non est virtus.

Resp.

Minor non est vera: nam multæ & frequentes afflictiones (quas iustâ adhibitâ consideratione sustinemus) pericula circa mortem dici ac definiri possunt: præterea sæpe contingit forti agere antequam ictus & vulneratus cadat.

Opp.

In textu philosophus hæc habet verba, Nec paupertas horribilis est aut pertimescenda, nec morbus, nec omnino quicquam præter culpam: ergo malè proponuntur alia timenda forti præter culpam.

Resp.

Præclara & aurea est illa sententia philosophi quòd forti nihil timendum sit præter scelus. At attende, hoc ipsum non prohibet quo minùs patrem, regem, ac deum aliaq; permulta timeat. Nam hoc non timere scelus est. Interpretor ergo philosophum per timendum hoc loco fugiendum intelligere. Est ergo quasi dicere,

Forti nihil præter scelus timendũ, hoc est, fugiendum.

ret, nihil per se est timendum præter culpam, id est nihil per se est fugiendum præter peccatum. Borreus hunc locum de malis & euentis fortunæ intelligit, quæ forti timenda non sunt, si suâ ipsius culpâ & errore non contigerint.

Opp.

Fidenti animo non debet esse fortis, cum virgis cæsum se iri videat: ergo cum moriendum esse timere oportet. Antecedens est philosophi in textu. Argumentum tenet à minore ad maius.

Resp.

Fortis dolet, cum nõ potest resistere.

Nec virgam nec mortem extimescit fortis, sed tum dolet cum non potest resistere, cumq; diuturnior vitæ ac lucis vsura non conceditur, vt prosit patriæ.

Opp.

Timendum id est forti omniq; bono viro, quod fœlicitatem omneq; bonũ tollit, sed mors fœlicitatem omneq; bonum tollit, ergo mors est timenda forti. Minor constat in textu vbi dicit philosophus mortem esse maximè horrendam & acerbam, adeoq; rerum omnium extremum, vltra quod nullo in malo aut bono sunt mortui: si in nullo, tum fœlicitas omneq; bonum cum vita clauditur & terminatur.

Resp.

Duo hæc loca in hoc textu, nempe mortem esse maximè horribilem & acerbam, adeoq; post mortem in nullo aut bono aut malo remanere mortuos, permultos interpretes diuexârunt. Sed vt Thomam in hac re audiamus, vtrumq;

vtrumq; respectu naturæ intelligendum esse censemus. Nam tenera est natura semper exhorrescens mortem, quippe quæ est suæ ipsius quædam dissolutio: pari modo ad alterum dicendum est quòd in nullo aut malo aut bono sint mortui naturaliter, vitamen mentis quæ est æterna, multa post mortem manent quæ sunt diuinissima.

Cap. VII.

An fortis, audax, timidus, rectè definiantur? & an fortis sit vllo modo dicendus, qui sibi conscisit mortem?

Fortis nemini iniuriam infert, & illatam ab alijs appellit.

Fortis quis sit dicēdus.

FOrtitudo quæ maximè in animo & contemptu rerum latentiū cernitur, hæc habet propria, vt nemini vim & iniuriam inferat, & illatam ab alijs pro viribus depellat. Hinc fortis definitur, vir animo fidenti, qui rei honestæ causâ prudenter, decorè, & opportunè, discrimina vitæ & fortunarum subit, quique (vt ait Orator) nec rebus aduersis frangi, nec prosperis nimiùm æstuare solet. Huic opponitur audax & timidus, quorum illum temeritas, hunc abiectio & pusillanimitas sequitur. Audax enim quasi Baccho plenus, sine omni consilio, sine omni ingenio, furit & fremit, suæque

Audax est temerarius.

temeritatis pœnam ſæpiſſimè non ſine ſanguine perſoluit. Iſtius propriũ eſt ruere in hoſtem, viribus & lacertis nimiùm confidere, de vaſtitate corporis & innumeris ſuis victorijs frequenter & Thraſonicè gloriari. Sed audiat Poetam,

Parua nec at morſu ſpatioſum vipera taurum,
A cane non magno ſæpe tenetur aper.

Audaces iuuat fortuna, & fauet fatuis.

Hæc inconſiderata animi paſſio, & gladiatoria periculorum ſuſceptio plurimis hodie nocet, qui de lana caprina certantes à verbis ad verbera, à Baccho ad Martem non ſine tragicâ & luctuoſâ ſcenâ rapiuntur: ſed audaces iuuat fortuna, fateor, & ſtultis etiam fauet fortuna: *quare vt* ſtultitia eſt fugienda, etſi *aliquando* ſit fortunata, ita nimia hæc *animi* confidentia eſt abijcienda, etſi aliquando non ſit luctuoſa. Sed quemadmodum audax more leonis in omni ſuſcipiendo periculo modum fortitudinis ſuperat, ita timidus ac meticuloſus homo longiſſimè à medio rationis deflectit. Eſt enim pauido fracto-

Timidus eſt puſillanimus.

que ingenio qui omnem flatum aduerſæ fortunæ timet: Nihil enim abiecti animi læſæq; conſcientiæ vulnus vehementiùs

arguit,

arguit, quàm diebus ac noctibus metu percelli: hoc nouit Dionysius, hoc nouit Nero, pessimum fuisse custodem ciuitatis metum. Est enim metus (vt definit philosophus) passio animi fugientis omne terribile: vel si placet, est molesta & acerba expectatio imminentis mali, omnisq; doloris admodum impatiens, cuius comites duo sunt, diffidētia & desperatio. Hinc concludit Aristoteles non esse fortis sed desperantis violentas sibi manus inijcere. Brutus habebatur fortis, at desperauit. Cato dicebatur magnanimus, at desperauit. Antonius fuit bellicosus, at metu perculsus desperauit: pugiunculus Lucretiæ Lucretiam nec castam nec fortem fecit. Quid multis? conscisce sibi mortem est ipsam naturam confodere, est ciuitatem offendere, est leges violare, est ignominiam nominis posteritati relinquere, est deum (qui vitam dedit) ad celerem vindictam excitare. Non est ergo fortis, sed potiùs extremo metu & dolore laborantis seipsum occidere.

Metus quid.

Fortis non est sibi mortē cōsciscere, sed desperantis.

Cōsciscens sibi mortem quæ scelera admittat.

Fortis consideratur
- Naturaliter quoad vires corporis, & sic quo vis robustior aut valentior pugnâ, eo fortior habetur in opinione multitudinis.
- Moraliter quoad virtutes animi, & sic is solùm fortis dicitur, qui ex præscripto rectæ rationis iustè, cautè, opportunè, formidolosa perfert.

Audax est, vel
- Simplex & per se, qui sine omni circumstantiarum cõsideratione more ferarum irruit in periculum, quod sentiens tãdem resilire & tergiuersari conatur.
- Compositus, qui præter temeritatem adeundi pericula, homo impudens, superbus & gloriosus existit.

Timidus est aliquis, vel
- A natura, vt melancholicus.
- Ab vsu, vt mollis, qui refugiens omnẽ dolorem, nullum omnino audet subire periculum.

Nemo sibi mortem cõscisce re debet, quia est
- Cõtra naturam, quæ certam vitæ periodũ vsumq; dedit, quæq; iubet omnia mala & omnem pœnam potiùs tolerare quàm mortem, quæ est naturæ malum omnium infestissimum.
- Contra leges ciuitatis, quæ idipsum prohibent, quæq; sempiternam ignominiam sui ipsorum homicidis cõstituunt.
- Contra rectam rationem, quæ iubet nos extremam desperationem fugere.
- Contra maiestatem dei, cuius auxilio desperando facinorosè diffidimus, nec non quantum in nobis est de rectamus.

Opp.

Magnanimus definitionem fortis suscipit, ergo malè

hic

hîc definitur. Antecedens patet in 3. cap. 4. libri Ethicorum, *vbi nihil forti asscribit philosophus, quod magnanimo non asscribendum putet.*

Resp.

Fortitudo capitur 4. modis, vel pro

- *Robore corporis, & sic non est virtus morum sed naturæ.*
- *Firmitate & constãtia animi in omni bono rationis habente difficultatem, & sic non est distincta virtus: quippe omnis virtus difficultatem in bono rationis habet. Affectus enim nos sæpe ad virtutem nitentes impediunt.*
- *Pro magnitudine animi in periculosis, siue sit siue non sit repugnantia.*
- *Habitu animi in formidolosis, in quibus est repugnantia alterius, & sic est virtus distincta.*

Opp.

Fugere licet forti aliquando, ergo malè definitur. Antecedens est philosophi cap. 9. libr. 3. argumentum probatur ratione, quia fugere non est aggredi pericula mortis sed euitare: sed aggredi pericula est munus & officium fortis, vt ex definitione patet.

Resp.

Vt expectare hostem & aggredi periculum sunt actus primarij fortitudinis, ita aliquãdo hostem & periculum

Fugam aliquando forti prescribit recta ratio.

fugere actus minus primarius haberi debet, quippe aliquando recta ratio fugam præscribit, at in tali difractione resistere, non fortitudinis sed audaciæ & temeritatis habetur.

Opp.

Audax perculsus tergiuersatur omneq; periculum fugit, ergo in eius definitione videtur esse contradictio. Antecedens est in textu huius cap. Argumentum probatur, quia audere & timere contradictionem habent.

Resp.

In audace considerantur duo,
- *Cæca temeritas, quæ rapit ad periculum.*
- *Naturæ infirmitas animo non respondens, quæ pellit ad fugam.*

Opp.

Natura Hannibali potestatem suæ vitæ frustra non dedit, ergo licet ei eandem potestatem in seipsum exercere, vt potius vitam adhuc liberam & beatam veneno claudaret, quàm in manus capitalium hostium miser incideret. Præterea melius fuit Sampsoni seipsum occidere, quàm hostes Dei in Israël sustinere. Postremò Sardanapalum tyrannum fugiunt sacratæ virgines, à tergo hærent truculenti milites. Quid tandem? ventum est ad mare, Christum deuotè inuocant, ecce miserandum spectaculum, cum vim hostium vitare nõ possunt, simul omnes in fauces Neptuni irruunt. Has quidem beatus Augustinus è canone sanctarum virginum non audet expungere.

Resp.

Resp.

Natura Hannibali potestatem suæ vitæ dedit vt conseruaret non vt perderet: natura enim neminem sui odium docuit. De Sampsone & virginibus, quia vt testes sunt sacræ historiæ seipsos occiderunt, respondent aliqui vnum vel alterum exemplum legem non facere: respondent alij illos fecisse hoc ex instinctu & præcepto Dei, qui est author vitæ & mortis, cuius occulti iudicij in multis nõ est quærẽda ratio: quippe deus est in quo nec est nec esse potest contradictio: si meam in hac re opinionem quæras, credo equidem potius Phalaridis taurum esse millies tolerandum, quàm semel desperantis manum in nosmetipsos esse exercendam.

Vitam natura dedit, vt eam conseruemus.

Tolerãdus est potius Phalaridis taurus quã mors conscisc enda.

Opp.

Conscisens sibi mortem iniuriam sibi non facit teste philosopho lib. 5. cap. 9. ergo licet.

Resp.

Ratio non tenet, quia etsi in aliquo sensu iniuriam sibi non faciat, ciuitati tamen facit.

Opp.

Conscisc ere sibi mortem in multis non est peccatum: ergo illis licet. Antecedens probatur, quia peccatum non est in infantibus, in fatuis, & insanis in quibus tam voluntatis quàm rationis vsus desideratur: at omne peccatum est solùm in rationem habentibus, & in agentibus voluntariò, quales infantes, fatui & insani non habentur.

Resp.

Agnosco belluas non peccare, quia in illis ratio & voluntas desunt, at quoniam in omni homine à natura hæc duo principia agendi insint, illum in tali facto ab omni suspicione sceleris non audeo liberare: si tamen ludibundus infans cultro se foderit, si fatuus seipsum transfixerit, vt eos lex non accusat sceleris, ita quidem sui sanguinis non condemno. Cæterùm nec ætatula infantem, nec ignorantiâ idiotam, nec passione animi insanum penitus ab omni peccati labe excusari puto.

Cap. VIII.

An species fortitudinis rectè enumerentur? An ira sit stimulus fortitudinis?

HActenus de vera fortitudine disputatum est, nunc verbosior apud Arist. de falsa & adulterina sequitur disceptatio. vt enim est hominis imago, quæ reuera homo non est, & tamen homo dicitur: ita est quædam fortitudinis imitatio, quæ fortitudo non est, & tamen fortitudo nominatur. Ne ergo hæc simia specie quadam virtutis incautos falleret, eandem hoc loco nõ incõsultò depingit philosophus. Cęterùm quoniam ex hoc tractatu multum commodi lectoribus non emergit, singula quę discu

tiun-

tiuntur fusiùs, in vnum quasi manipulum contrahemus. Est ergo fucata & adulterina fortitudo ficta & mentita veræ fortitudinis imitatio, hæc à philosopho diuiditur in quinque species, quarum prima à spe honoris, secunda à metu seruitutis, tertia à motu & perturbatione animi, quarta ab vsu & experientia, postrema à casu & ignorantia pendet. Prima ciuilis seu Politica, secunda seruilis seu coacta, tertia irascibilis seu violenta, quarta militaris seu exercitata, postrema casualis (vt aiunt) seu fortuita appellatur. In primo ordine fortissimi habentur, non qui habitu virtutis præstant, sed qui honoris præmio allecti, aut metu ignominiæ perculsi acerrimè digladiantur. Quales Homerus facit Diomedem & Hectorem, vt ait in textu Aristoteles: In secundo genere collocantur mancipia naturæ & serui, qui alterius minaci imperio ad bellum & certamen coguntur De istis hoc modo apud Homerum Hector,

Fortitudo ficta quid & quotuplex sit.

Fortes falsò qui dicantur.

Quem procul à pugna labentem fortè videbo,
Ille canum fiet, fiet quoq; vulturis esca.

In tertia classe ponuntur bilioſi & bellicosi

licosi homines, qui veluti furijs exagitati rapiuntur ad prælium, de quibus dicitur,

Furor arma ministrat.

In quarta veluti specie constituuntur gregarij & experti milites, qui armati cum inermibus, qui exercitati cum imperitis pugnantes certam victoriam sibi pollicētur. In postrema acie disponuntur ignari & iactabundi, qui nescientes pericula belli ardentiùs eousque pugnant, donec tandem vulnerati in pedes conijciuntur: isti fugâ elapsi mortem magis quàm dedecus & ignominiā pertimescunt. Hæc omnia si cum vera animi magnitudine conferas, nihil laudis, nihil splendoris habent: quippe verè fortes virtute non affectu, cōsilio non temeritate, cōstantia animi non leuitate gerunt & patiuntur omnia. At qui gloriâ, qui metu, qui furore animi, qui militari scientia, qui casu & fortunâ freti cum quouis pugnant, non aliter plerumque agunt quàm furentes, belluę, adulteri & ebriosi, qui quodam impetu iræ, cupiditatis: vim, aspera & terribilia sæpe aggrediuntur furentiùs. Non est tamen negādum, quin ira sit quidam aculeus ac stimu-

Verè fortes qui sint.

Ira cos est veræ fortitudinis.

stimulus veræ fortitudinis, quippe naturam veluti consopitam excitat, animum ad iustam vindictam commouet, vires & arma pugnantibus submministrat: quæ tria secundum interpretes ad veram fortitudinem requiruntur.

- Fortitudo est duplex,
  - Vera & politica, de qua superiùs satis est disputatum.
  - Falsa & analogica, quæ est aut
    - Ciuilis, quando pugnatur, vel
      - Spe honoris,
      - Metu dedecoris,
    - Seruilis, quando pugnatur, vel
      - Spe lucri,
      - Timore seruitutis.
    - Naturalis, quando pugnatur, vel
      - Impetu naturæ, vt in belluis,
      - Impetu iracundiæ, vt in bilioſis hominib.
    - Militaris, quando pugnatur, vel cum
      - Nimiâ confidentiâ victoriæ,
      - Stultâ experientiâ militaris scientiæ.
    - Casualis, quando pugnatur, vel
      - Repentino motu animi sine consilio:
      - Serâ pœnitentiâ sine remedio: quod Argiuis contigit (vt ait textus) qui in Lacedæmonios (quos Sicyonios putabant) inciderunt.

Ira

Ira est, vel
- Furiosa, quæ hîc non intelligitur.
- Moderata, & hæc est aculeus fortitudinis, propter
  - Æstum naturalem, quem concitat.
  - Appetitum vindictæ, quem ingenerat.
  - Vires corporis, quas confirmat.

Opp.

Metus repugnat fortitudini, ergo nulla est fortitudo quæ à metu proficiscitur.

Resp.

Metus doloris opponitur fortitudini, at metus dedecoris aut seruitutis non opponitur.

Opp.

Cæcus amor alijque multi affectus & perturbationes animi æquè fortes efficiunt ac ira, ergo plures assignari debent species fortitudinis. Antecedens in textu patet per exempla perdite amantium, & potantium nimis.

Resp.

Non tam aptè ab alijs affectibus quàm ab ira fortes dicimur, quippe ira est veluti tæda ac stimulus veræ fortitudinis; præterea etsi alia assignari possint genera vel significata, ad hæc quinq; tamen reduci & reuocari possunt.

Opp.

Audaces & fortes opponuntur, sed qui furore perciti aut nimiâ suæ fortunæ confidentiâ freti pugnant, audaces sunt: ergo ineptè hoc loco fortes dicuntur.

Resp.

Resp.

Audaces & verè fortes opponuntur, at hoc in loco metaphorica fortitudo distinguitur, quæ audaciæ veram fortitudinem imitanti non opponitur.

Audaces & verè fortes opponuntur.

Opp.

Militaris fortitudo, maiore experientiâ & prudentiâ in pugnando vtitur quàm ciuilis, ergo falsò dicitur in textu quod ciuilis aptissimè fortitudini veræ assimuletur. Antecedens est in textu, quòd veterani milites artem pugnandi tenent, sciúntque experti suos hostes grauiter offendere, & seipsos ab eorũ ferocitate tueri ac conseruare.

Resp.

Non est vera prudentia in illa militari fortitudine, de qua hîc agitur: sed ementita cum fallaci experientiâ coniuncta, vnde nascitur animi impetus & confidentia, quæ plurimos in pistrinum trahit: at in ciuili illâ, est & in periculo aggrediendo, & in honore expectando, quædam veræ fortitudinis imitatio.

Opp.

Ira non subijcitur imperio rationis, ergo non est aculeus veræ fortitudinis, quæ solo rationis clauo regitur. Antecedens est in textu, vbi ira definitur impetuosa perturbatio animi quâ excandescunt fortes.

Resp.

Ira moderata à rationis imperio non abhorret.

Vtrum

Dub. ex textu.

Vtrum fortior sit qui sine animi perturbatione in subitis & repentinis periculis versatur, quàm qui præmeditatus ad pugnam venit?

Quoniam disertis verbis dicit philosophus magis in repentinis quàm in præuisis vitæ periculis fortem haberi (cui sententiæ multa repugnant) operæ pretium erit his subsequentibus argumentis satisfacere.

Opp.

Fortis animi est & constantis (vt ait orator) non perturbari in rebus asperis nec tumultuantē de gradu deijci, sed præsenti animo vti & consilio, nec à ratione discedere, quāquam hoc animi illud etiam ingenij magni est, futura percipere, cogitatione aliquanto ante constituere quid accidere possit in vtramq; partem: & quid agēdum sit cum quid euenerit, nec committere vt aliquando dicendum sit, non putāram. Idem orator alibi definit fortitudinem, vt sit considerata periculorum susceptio & laborum perpessio. Diuus Ambrosius similiter in suis officijs hæc habet verba: Fortis viri est non dissimulare cum aliquid immineat, sed prætendere & tanquam de speculamento quid sit futurum præuidere. Dictum illud Senecæ notum est, præuisa iacula minus feriunt: Quid multu? paulò antè ipse philosophus fortem appellat, qui considerate pugnat.

Resp.

Resp.

Considerat. fortitudo duobus modis, vel

- *Absolutè quoad essentiam, & sic magis cernitur in præuisis & præmeditatis periculis vitæ quàm in subitaneis: & hoc modo testimonia prius adducta sunt exponenda.*
- *Respectiuè quoad existentiam, & sic postulante necessitate pugnandi magis in repentinis cernitur:*
  - *Idq; propter*
    - *Metum depulsum,*
    - *Periculum susceptum,*
    - *Honorem sibi inde comparatum.*

Opp.

Absolutè est fortis qui subita necessitate coactus pro aris, pro focis, pro ciuitate pugnat: ergò minùs aptè distinguitur. Antecedens patet in textu quia secundum habitum virtutis pugnat, quo deficiente fuga potiùs quàm pugna sequitur.

Resp.

Fateor inesse ita pugnanti verum habitum virtutis, at hîc actus non habitus, hîc modus non natura consideratur. In textu enim nomen habitus pro actu sumitur.

Habitus pro actu.

Cap. IX.

An fortitudo sit res molesta?
An difficilius sit dolores perferre, quàm à voluptatibus abstinere?
An fortior & fœlicior vehementiùs in morte doleat?
An sint sex actus officiáq; fortis?

MVltum extrema desperatio temeritatis habet, multum timoris: cum ergo neque timeat multùm nec omnino desperet fortis, quomodo cõtingit vt fortitudo sit res admodum acerba & molesta? erras philosophe, tu ipse enim doces fortem omni perturbatione in periculo vacare, omnesq; plagas & vulnera delectabiliter sustinere. Dic ergo quomodo hæc cohæreant? est fortis & tamen despondet animum, est magnanimus & tamen timet periculum, est vndique quadratus homo & tamen ægrè Marti mortiq; cedit: sic enim loqueris, quò fortis beatior eò molestiùs mortem acerbiusque perfert. Quid? simul gaudere & tristari, simul hostem sternere & plagas fugere, simul classicum canere & abiecto quasi

quasi clypeo resilire potest iste quem describis fortis? Non sanè: reconcilies ergo ista quæ ex diametro (vt aiunt) pugnare videntur. Non pugnant omnino. Fortitudinem enim rem tristem & acerbam dicimus nō respectu causæ, sed respectu naturæ: non si subiectum.i. animum, sed si obiectum.i. materiam: non si finem id est honorē, sed si medium id est laborem spectes: eodem prorsus modo alteri obiectioni satisfacimus, nempe quò fortis beatior, eò molestiùs mortem perfert, non quòd mortem omnino timeat, sed quòd sciat se multis hoc modo bonis & ornamentis spoliari, vt patriæ, quàm omnium charissimam habuit, diutius prodesse, & inseruire non possit. Delectatur ergo fortis in periculo? delectatur in morte? delectatur. Dolet etiam fortis in periculo? dolet in morte? dolet. Res ergo iucunda est fortitudo. Non nego. Res etiam acerba est fortitudo: Idipsum quoque volo. At quî hæc constant? Obtundis, cum diuerso respectu hæc fieri modò demonstrauerim. At vnum hoc loco scribis, quod velim breuiter expedias mihi. Quid illud

Fortitudo res acerba quomodo dicatur.

lud est? hoc nimirum: quòd difficilius sit dolores perferre, quàm à voluptatibus abstinere, cum tamen antea dixeris esse omnium difficilimum Helenam, id est, voluptatem vincere. Memini hæc omnia. Quid ergo respondes? dico difficilius esse dolores perferre respectu naturæ, quæ illos abhorret: & respectu mortis, quæ vitam, voluptatem, ipsamq; naturam tollit. Vt ergo mors est rerum omnium maximè terribilis, & formidolosa: ita pericula, & dolores mortis delectabiliter perferre est omnium (si vitam, si naturam spectes) difficilimum. At fortis magno animo, & fidenti existēs molliciem & temeritatem naturæ abijcit, doloris aculeos cōtemnit, mortis acerbitatem (totus in virtutis contemplatione fixus) non sentit, imò nonnunquam serenâ fronte horribilem aspectu mortē exosculatur. Age (Philosophe) quoniam tibi placuerit sermones nobiscum commutare, vnum hoc solum à te contendimus, vt vno verbo, quæ & quot sint officia actusq; viri fortis ostendas. Officia fortis viri sex sunt: Cunctando rem peragere: expectare hostem: aggredi periculum:

Officia viri fortis sex.

culum: sustinere aciem: aduersarium figere: & deniq; (quod minùs ei conuenit) cum opus est, fugere. Aliquando enim contingit, vt fortis ex præscripto rectæ rationis idipsum iubentis vitæ periculum fugiendo declinet, tũ verò hoc fiet, cùm recta ratio idipsum iubet.

- Fortitudo est
  - Restrictis respectu
    - Subiectę naturæ, quæ abhorret mortem.
    - Obiectæ materiæ, quę infert periculum.
    - Medij (nempe laboris) qui parit dolorem.
  - Res delectabilis, propter
    - Virtutis habitum, quo fortis excellit.
    - Ciuitatis bonũ, quod solum quærit.
    - Honoris præmium, q inde acquirit.
  - Officia fortis,
    - Propria
      - Cunctando rem peragere non sine consilio.
      - Aggredi periculũ non sine prudentiâ.
      - Hostem percutere nõ sine iustitia.
    - Communia
      - Expectare hostem.
      - Sustinere plagam.
      - Fugam cum ratio iubet arripere.

Difficilius est dolores quàm voluptates vincere, respectu
- Naturæ, quæ omnem dolorem vt hostem fugit, quæq; voluptatem amplecti, tur.
- Periculi, quod inde euenit, quippe dolor timorem, timor mortem, mors naufragium vitæ, naturę & voluptatis infert.

In morte fortis vehementius doleat,
- Partim respectu naturæ, quę mortem in omnibus quodam instinctu fugit.
- Maximè respectu patriæ, cui diutius non inseruiat.

Opp.

Omnis actio virtutis debet esse iucunda & delectabilis, vt habetur 2. Ethicor. ergo actio fortitudinis non debet esse molesta.

Resp.

Actio fortitudinis est, vel
- *Interna, respectu habitus: & sic quia est laudabilis iucunda habetur.*
- *Externa, respectu periculi aut mortis; & sic res tristis appellatur.*

Opp.

Facilius est hostem apertum vincere, quàm dissimulantem amicum: ergo facilius est patentem dolorem vincere, quàm latentem voluptatem superare.

Resp.

Verum est, si animum fortis, & habitum virtutis spectes: attamen si teneram, mollemq; naturam consideres, longè difficilius est dolorem sustinere, quàm voluptatem supprimere. Natura enim abhorret dolorem, voluptatem sequitur.

An

An fortitudo potiùs in ferendo, quàm in feriendo perſpiciatur?

Fortitudo magis perſpicitur in ferendo quã in feriendo. Fortis à ferendo dicitur.

In ferendo magis perſpicitur, vt hic ait Ariſtoteles.

- *Quia à ferendo pericula fortes appellantur.*
- *Quia iuſtiores laudes rectè ferenti, quàm percutienti attribuuntur.*

Opp.

Vti viribus eſt melius quàm poſſidere: ſed ferire hoſtem eſt vti viribus, ferre autem eſt nihil aliud quàm poſſidere: ergo ferire eſt melius quàm ferre & ſuſtinere.

Reſp.

Aſſumptio iſtius rationis eſt falſa. Nam ferre non eſt ſolùm pati aut poſſidere, ſed etiã vires tam animi quàm corporis opportunè ac ſapienter exercere.

Opp.

Plus laudis animosè aggredienti attribuitur: quàm ſuſtinenti hoſtem: ergo eſt melius aggredi, quàm ſuſtinenere. Argumentum tenet à pari: quia plus laudis dans liberaliter, quàm accipiens meretur.

Reſp.

Vulgo & populariter id fit, non iuſtè & ſapienter: iudicio enim ſapientis non plus fortiter aggredienti, quàm laudabiliter hoſtem expectanti laudis attribuitur.

An mors potiùs forti, quàm fuga sit eligenda?

- *Ex fugâ fortis aut sequitur.*
  - *Ruina*
    - *Reipub.*
    - *Religionis,*
    - *Honestatis, & in tali causa potiùs mors est expetenda, quàm fuga: sic enim mortem fugiendo scelus committitur.*
  - *Salus*
    - *Ciuitatis,*
    - *Exercitus,*
    - *Suaq; vitæ, & in tali causâ datur fuga. Quippe stultum & turpe esset mori, si plus commodi ex eius vitâ, quàm morte reipub. sit habitura.*

Opp.

Mori ipsam huius vitæ fœlicitatem tollit: ergo mors nunquam est forti eligenda.

Resp.

Mors optimus fœlicitatis actus.

Mori existentiam & actum, non essentiam & habitum fœlicitatis tollit: imò sic mori est optimus actus beatæ vitæ, ac fœlicitatis.

Opp.

Nulla virtus tendit ad perniciem naturæ (est enim naturæ perfectio & conseruatrix) ergo fortitudo non flecteret hominem ad mortem, in qua dissolutio naturæ cernitur.

Resp.

Resp.

Naturæ in homine duæ sunt partes,
- Corpus: cuius perfectio est situs, & ornatus partium, qui morte corrumpitur.
- Animus: cuius perfectio est ipsa virtus, quæ honestâ morte magis perficitur.

Opp.

Si mors sit viro forti expetenda, est quidem expetenda aut propter bonum proprium, aut propter bonum alienum: sed neutrum horum fieri debet: ergo mors non est viro forti expetenda. Maior constat à sufficienti diuisione. Minor ratione probatur, primum propter bonum suum non debet mori, quia (vt ait philosophus in textu) omnia bona simul cum morte amittuntur: 2. non propter bonum alienũ, quia suâ morte alijs maius bonum, quàm id quod perdit, non potest procurare. Hoc confirmatur exemplis sanctissimorum, qui etsi vitam æternam post mortem expectârunt, discrimina tamen huius vitæ sæpissimè per fugam euaserunt.

Sic Petrus & Paulus apostoli.

Resp.

Fateor omnia bona istius mortalis vitæ lethali mortis ictu terminari: est tamen potius optandum forti insigni virtutis actione vitam claudere, quàm diutius eâdem vti cum dedecore. Ad alteram partem argumenti respondeo: Ex fortis morte maius bonum, quàm si viueret alijs procurari. Hinc enim magis floret respublica, hinc multi Cæsares (id est) multi fortes vnius Achillis tumulo procreantur. Plus enim mouet vnum exemplum, quàm verborum millia. Ad postremam partem dico, quòd sancti patres

Mors viri fortis vtilior ciuibus quàm vita.

tres conati id fuerint, vt pensum istius vitæ quàm longissimè traherent, id autem non fecerunt vt diutius viuerent, sed vt diutiùs viuentes ciuitati dei hoc est ecclesiæ magis proficerent. Fugiat ergo fortis si aliquid reipubl. inde contingat boni. Hoc vnum audiat.

Optima mors salue, pessima vita vale.

Et iterum.

Viuere seruire est, libera vita mori,

An liceat forti hostem fallere?

Forti quomodo liceat hostem fallere.

Fallere contingit duobus modis, aut

- *Cum violatione fidei: & sic non licet. Est enim viri fortis potiùs ad tormenta redire cum Regulo, quàm fidem fallere cum ignominia.*
- *Cum stratagemate belli: & sic licet,*
  - *Quia natura iubet, vt se defendat.*
  - *Quia patria iubet, vt hostem pellat.*
  - *Quia lex belli iubet, vt fortis insidias aduersus hostem iniustum struat.*

Opp.

Insidiæ non sunt sine fraude: At fraus non est sine vitio: ergo hostem insidijs fallere & adoriri, verè forti non licebit.

Resp.

Vis aliqua non illicita,

In bello vim vi repellere docuit natura: vim arte etiam aliquando vincere docuit experientia. Sunt ergo insidiæ,

fidiæ, in quib. intẽditur turpitudo, & hæ sunt malæ: sunt quoq; insidiæ, in quibus intenditur vitæ & patriæ conseruatio, & hæ sunt bonæ quæ rectè strata gemata appellantur. Insidiæ enim tum propriè dicuntur cum iniustè. strata gemata verò tum solum cùm iustè contra immanitatem hostis fiant.

Distinctio inter insidias & strata gemata.

Cap. X.

An rectè definiatur Temperantia?
An solùm in voluptatibus gustus & tactus versetur?
An eius species rectè assignentur?

VT in defensione ciuitatis satis non est hostem à muro pellere, si intra mœnia & tecta proditores maneant: ita in institutione hominis satis nõ est vim fortitudinis scire, quâ hostem externum vincere, si vim temperantiæ ignoras, quâ hostem internum superare queas. Rectè ergo philosophus proximè post fortitudinem, nos temperãtiam docet, vt sicut illâ vrbem ab hostibus; ita hac mentem à malis affectib. tueamur. Est enim tẽperantia virtus, quâ nihil vel ad affectus reprimẽdos potẽtius, vel ad mores hominũ confirmandos aptius, vel ad diuinũ numen placandũ efficacius fingi, aut dici

Temperantia hostes internos & domesticos superat.

Ratio ordinis.

dici potest. Voluptatis enim neruos conscindit, flammas furentis appetitus suppri mit, totam hanc vitam castam & honestam reddit. Hinc quædam conclusiones apud Aristotelem in hoc capite traduntur: Quarum prima est, quòd temperantia sit mediocritas inter voluptatem & stuporem naturæ: secunda, quòd versetur non circa animi sed circa corporis voluptates: tertia, quòd non in omnibus corporis voluptatibus ponatur, sed solùm in illis, quæ gustum & tactum mouent: quarta, quòd maximè in delicijs tactus moderandis occupetur: postrema, quòd his positis intemperantia præ cæteris animi vitijs sit maximè fugienda. Ab istis conclusionibus hæ, quas in fronte vides, eruuntur quæstiones, quas etiam breuiter perstringendas puto. Prima est, An rectè definiatur temperantia? rectè Seneca; Est (inquit) temperantia habena voluptatis: rectè Boetius, Est (inquit) temperantia nihil aliud, quàm casta humanæ vitæ moderatrix, & magistra: rectè Aristot. Est (inquit) temperantia virtus animi inter voluptatem, & stuporem naturę posita, quæ linguam

Conclusiones Aristotelis de temperantia.

Intemperãtia in primis fugienda.

Expositio primæ quæstionis.

guam & manum, id est gustum & tactum in suis obiectis moderatur. Gustum & tactum dico, non quòd alij sensus suis obiectis non delectentur (vt aures fabulis, vt oculi picturis) sed quòd per se in illis solùm, in his per accidens versetur temperantia. Propriè enim tum temperantes dicimur, cum gustum & tactum rectè moderamur. Cæterùm nescio, quantum virus in reliquos sensus à gustu & tactu spargit voluptas. Est enim compta, sed fallax: est venusta, sed insidiosa meretrix: quippe voce, vultu & veste fallit. Voce aurem, vultu oculum, veste fragrante odoratum capit. Istis enim (vt ait Philosophus) libidinosi in memoriã suarum cupiditatum redeunt & reuocantur. Quare non solùm linguæ & manib. sed etiam oculis, alijsq; sensibus frenos temperantiæ inijciendos censeo, vt velo castitatis oculi contecti non videant Helenam: vt cerâ Vlyssis aures obstructæ non audiant Cyrcem: claudite oculos, auresque vestras obturate Iuuenes, claudite senes, nudam Dianam fugite: si hoc nõ moueat, nudam Bersabam, nudamque Susannam fugite. Nam oculus

Temperantia per se circa gustum & tactum, per accidens circa alios sensus versatur.

Voluptas omnes sensus inficit.

Sensus omnes continentes habere decet.

Vtilis digreſſio.

lus in his vulnerauit animum. Quid dicam? mores profectò noſtrorum temporum ſunt nimis diſſoluti. Quot enim vbique Veneris depinguntur Idola? Quot eidem meretriculæ pallatia? Quot paſſim de Thaide proponuntur ſpectacula? quæ omnia per oculos auresque quaſi per feneſtras hominum animos inficiunt, vt veluti aſpidis aculeo icti in ſomno voluptatis ſine ſenſu pereant. Sed quid ago? Ad ſpecies temperantiæ explicandas venio. Sunt autem quinque (vt aiunt interpretes) nimirum Abſtinentia, Sobrietas, Pudicitia, Caſtitas, & alma Virginitas. Abſtinentia circa cibum: Sobrietas circa vinum: Pudicitia circa oſculum & amplexum: Caſtitas circa ipſam Venerem: Virginitas circa intacti pudoris inſtitutum verſatur. Hæ omnes, & ſingulæ temperantiæ comites, Epulones, Bibulos, Impudicos, Luxurioſos, Hippocratis tenuem diætam & ſalutarem docent: quam ſi dicerint, nunquam cum Philoxeno gruis collum ſibi dari optabunt, vt maiore deliciarum voluptate in ſuis epulis capiantur.

Expoſitio tertiæ Quæſtionis.

Temperantiæ ſpecies quinq;.

Philoxenus intemperãs.

Tem-

Temperantiæ nomen capitur, vel
- Latiùs, pro moderatione omnium actionum humanarum quæ cum voluptate copulantur: & sic in obiectis omnium sensuum versari dicitur.
- Strictiùs, pro moderatione voluptatum in obiectis gustus & tactus: & sic hoc loco propriè definitur.

In temperantia cõsiderari solet sex
- 1. Natura, quæ est, vel
  - Communis: & sic in omnibus omnium virtutum actionibus cernitur.
  - Propria: & sic in obiectis gustus & tactus solùm versatur.
- 2. Oppositum: quod est, aut
  - Intemperantia seu libido in excessu.
  - Stupiditas naturæ & cõsuetudinis in defectu.
- 3. Obiectũ, quod est, aut
  - Propriũ & per se, vt voluptas gustus & tactus.
  - Commune & per accidens, vt turpiloquium, quod per auditum: veneris Idolum, quod per aspectum animum inficit & inescat.
- 4. Partes, vt
  - Verecundia: per quam turpia fugimus.
  - Honestas: per quam decorum obseruamus.
- 5. Species, vt suprà.
- 6. Officium, quod est
  - Conflictari cum voluptate & dolore,
  - Abstinentiam in cibo potuq; exercere,
  - Stimulos concupiscentiæ in delicijs veneris refrænare.

Opp.

Opp.

Omnis virtus est habitus animi rationis participis: sed temperantia non est habitus animi rationis participis: ergo non est virtus. Maior constat in definitione virtutis: Minor est in principio huius capit. vbi docet philosophus quòd fortitudo & temperantia simul tractari debeant, quia sunt earum partium animi, quæ sunt rationis expertes.

Resp.

Quamuis sunt duæ partes appetitus, nempè irascibilis, quàm fortitudo: concupiscibilis, quam temperantia regit: non tamen sequitur, quòd hæ virtutes in ijs partibus animi sedeant, quæ sunt penitus rationis expertes. Intelligitur ergo hic locus de officio harum virtutum, nõ de subiecto. Officium enim est irascibilem, & concupiscibilem appetitum imperio rationis subijcere & edomare. Subiectum, si requiras, voluntatem constituo.

Subiectum fortitudinis & temperantiæ, voluntas.

Opp.

Temperantia est virtus animi, ergo voluptates animi refrænaret. Quo concesso sequitur id esse absurdum in textu, quod versetur solùm circa corporis voluptates non animi.

Resp.

Circa corporis voluptates solùm: id est primariò, & per se versari dicitur.

Temperantia primariò & per se versatur in corporis voluptatibus.

Opp.

Voluptates animi sæpe immaniores sunt quàm voluptates corporis, ergo in illis moderãdis potiùs per se, quàm

in

in voluptatibus corporis versaretur temperantia. Ratio est quia virtus circa difficilius versaretur.

Resp.

Libido animi nascitur ex concupiscentia corporis.

Ratio non sequitur: quia libido ista animi ex infectâ radice (id est) ex concupiscentia corporis nascitur: per accidens autem attingit animum.

Opp.

Oculi nonnunquam lasciui & intemperantes dicuntur: similiter & aures: quia animũ suorum obiectorum lenocinijs fallunt, & inficiunt: ergo in voluptatibus gustus & tactus solùm non inhæret temperantia.

Resp.

Idola (vt dixi modò) cupidinis non probo: pallatia veneris non allaudo. Nam quamuis penicillum pictoris & scriptoris placet, venenum tamẽ (quamuis dulce) nocet. Sed ad argumentum respondeo, in aliorum sensuum obiectis casu & fortuitò, in obiectis verò gustus & tactus per se & vi suâ versari temperantiam.

Opp.

Thaidis fama nocuit Demostheni, etsi nunquam viderit: memoria amplexus nouas flammas excitat, etsi externa obiecta gustus & tactus desint: phantasia denique in somno aliquando faces libidinis incendit, etsi gustus & tactus obdormierint: ergo interni etiam sensus, vt voluntas, memoria, phantasia pestifero habitu libidinis inficiuntur: quo dato sequitur, quòd opus sit tẽperantiâ nõ minùs in his internis, quàm in illis externis sensibus modetandis.

R. Resp.

Resp.

Sensus externi primùm corrumpũtur, tum interni.

Appetitus memoria, phantasia, alijq; interni sensus ictu quidem concupiscentiæ vulnerantur, at (vt antea ostendimus) per ipsum corpus, quòd primùm in potentias animæ transfundit venenum. Quare etsi consopitis externis sensibus phantasia aliquando ad turpitudinem nos in somno alliciat, turpis tamen & voluptuosa actio suam originem ab ipsis sensibus primùm infectis hausit.

Opp.

Stupor naturæ tantus in nullo est quin aliquando tolum æstumq; cupidinis sentiat: ergo malè definitur temperantia medium inter excessum voluptatis, & stuporem naturæ.

Resp.

Nullos homines istis temporibus in smaragdos, id est, in castitatis lapides commutatos scio: paucos admodum sponte factos eunuchos audio. Non ergo quid sit, sed quid possit esse hoc loco quæritur. Potest quidem fieri vt aliquis in vsu, modo, ordine voluptatis deficiat, & hic in stupore peccare dicitur. Stupor enim hoc loco non priuatio, sed defectio legitimæ voluptatis definitur.

Dubium 6. *Vtrum belluæ voluptatibus aliorum sensuum à gustu & tactu delectentur?*

Obiectis sensuum
- Internè, per
  - *Memoriam sensitiuam, vt canis viso domino.*
  - *Communem sensum, seu phantasiam: vt ouis visâ matre.*
  - *Instinctum sagacis naturæ: vt aranea visâ prædâ.*



Opp.

Canis leporis odore non delectatur, sed pastu: leo voce bouis non capitur, sed esu: & sic in omni genere brutorum animantium: ergo vana & inutilis est ista distinctio. Antecedens est Aristotelis in hoc. cap.

Resp.



Opp.

Cantus Cygni ante mortem non est causa tibi quem non capit, aut coitus quem abhorret: ergo est aliqua sensibilis delectatio in eo per se, & non per accidens, vt docetur in textu.

Resp.

Cantu suo Cygnus per se non delectatur, sed sic agere naturæ instinctu cogitur. Vt enim natura Phœnicem docuit in extrema senectute seipsam vrere: ita hanc auem senio confectam docuit dulciter ante suam mortem tacere.

Aliud dubium cap.

An temperantia & natura aliquâ ex parte opponantur?

Opp.

Licet secundum naturam concupiscere, nec non explere voluptatem: sed temperãtia hæc prohibet, ergo temperantia & natura aliqua ex parte opponuntur.

Resp.

Cõcupiscentiæ modum præscribit tẽperantia.

Natura duplex est, Animalis & humana: Insitum est quidem vtriq; concupiscere coniunctionis & procreationis causâ: sed ita insitum est, vt belluæ instinctum suæ cõstitutionis, homines verò habitum rationis sequerentur. Dedit ergo natura appetitum non vt voluptati ad libidinem, sed vt necessitati conseruandæ speciei cum modo & ordine subseruias. Hunc ergo modum & ordinem solùm præscribit tẽperantia naturæ ipsius optima conseruatrix.

Cap.

Cap. XI.

An cupiditas naturalis sit vitium?
Quid cupiditas? Quid intemperantia & stupor?
An intemperantia magis repugnet temperantiæ quàm stupiditas?
An omnis cupiditas sit cum dolore coniuncta?

OMnes libidinis, omnisq; intemperantiæ in nobis est ardens quę dam naturæ cupiditas, quæ vulgo concupiscentia dicitur. Hæc tanquam lepra appetitum inficit, & quasi Hydra percussa semper maiora acquirit capita. At desperandum tamen non est. Nam istius præsens remedium est inclytissima virtus temperantia. Cæterùm ne in capitibus istius malæ bestiæ excindendis minùs cautè & prudenter laboremus, post definitam temperantiam ipsam cupiditatem hoc loco diuidit & definit philosophus: sic enim loquitur, Cupiditatum aliæ cõmunes sunt & naturales, aliæ propriæ & adscititiæ: vt cibi cupiditas naturalis est, Omnes enim cum vacui sunt, cibum aut

Cõcupiscentia est quasi hydra multorum capitum.

Conclusiones quatuor de cupiditate.

potum appetunt,& vt ait Homerus,cubile optat adolescens: Hac proposita diuisione, quatuor sequuntur conclusiones: prima quòd perpauci admodum in communi & naturali cupiditate peccent: 2. quòd proprijs cupiditatibus ferantur homines in multorum facinorum præcipitia: 3. quòd cupiditates hominum nõ sint sine turpi dolore animi: postrema quòd vix aut nunquam reperiantur illi, qui in defectu voluptatis delinquunt. Hinc primùm quæritur, An naturalis cupiditas sit vitium: In naturali cupiditate *consideran*tur, Radix, actus & cõsensus: *in radice potentia, in actu habitus, in consensu animi* affectus cernitur. In radice est quidem pulsus motusq; naturæ, *idemq;* aut simplex aut corruptus, simplex vt cum esurias appetere cibum,&hoc modo cupiditas non est peccatũ: corruptus vt in concupiscendo transire modum, & sic vt ait philosophus est flagitium. Hic pulsus enim est vt motus cordis quem nemo mortalium in hac vita reprimit: si addas actũ, caue, nam citò ardescet: si addas consensum, fuge, nam aliter magnum nascetur incẽdium.

Est

Est enim cupiditas fomes & fumus peccati: fomes quo accendimur: fumus quo suffocamur. Vis scire præclaram sobolem istius seminis? audi: ab hoc tanquam à sordida lacuna fluunt fornicatio, adulterium, stuprum, nocturna pollutio, incestus, & immane illud scelus contra naturam, si cupias scire quàm pulchræ sint istæ filiæ, attende: Fornicatio est vaga & profusa soluti cum soluta intemperantia. Adulterium est in diuiduæ societatis ac matrimonij violatio. Stuprum est virginis turpis & libidinosa corruptio. Incestus est affinis & cognati sanguinis contaminatio. Nocturna pollutio est per corruptam phantasiam dormientis ad turpitudinē, prouocatio. Peccatum contra naturam (quia est horrendum) sub velo silentij ac verecundiæ dissimulandū cēseo. Hinc liquidò cōstat, quid sit cupiditas, quid intēperantia, & qd ex opposito sit stupor naturæ. Cupiditas est quædā naturalis ad peccandū in humano appetitu, pcliuitas & propēsio. Intēperātia est, vt ait philosophus in textu, vitiosa voluptatū exuperantia: Stupor est voluntaria & nimia licitæ voluptatis fuga &

Quid Fornicatio.
Adulteriū.
Stuprum.
Incestus.
Pollutio nocturna.
Peccatum contra naturam.
Cupiditas.
Intemperantia.
Stupor.

suppressio. In excessu tetriùs & frequentiùs, in defectu autem leuiùs ac rariùs peccare nos docet Aristot. Pauci enim sunt qui scintillulas naturę in flammas cupiditatis non cõuertunt: est tamen omnis cupiditas cum dolore coniuncta & copulata. Sitis enim voluptatis febrim mentis parit, quæ semel accensa in corde ac per omnes regiones corporis dispersa gelidis Dianæ fontibus facilè non extinguitur.

Quæst 3.

Quæst. 4.

Cupiditatum aliæ sunt
- Communes, versatæ in rebus omnibus quæ appetuntur, vt in cibo, potu, venere, & honore, &c.
- Propriæ, positæ in circumstantijs rerum quæ appetuntur, vt in hoc cibo, hoc potu, hac venere, hoc honore. In vtroque membro huius diuisionis peccatur, si cõcupiscentiam naturaliter mouentem actus & cõsensus vel cum defectu, vel cum excessu sequantur.

Alia distinctio eiusdem quæstionis,

Cupiditatũ alia est
- Naturalis seu insita, quæ est in
  - Appetitu coniunctionis & procreationis ad affectum.
  - Impetu declinationis ad peccatum.
- Moralis seu acquisita, quæ est vel
  - In nõ repugnando voluptati cum alliciat.
  - In indulgẽdo eidem cũ incendat & istis modis per actum & consensum animi cupiditas (alter peccati fomes) ipsum peccatum redditur.

Opp.

Opp.

Nemo peccat in his quæ nobis à natura insunt: sed cupiditates insunt nobis à natura, ergo nemo in illis peccat. Maior probatur quia virtus & vitiũ non insunt à natura.

Resp.

Cupiditates considerantur, vel

- *Secundũ essentiam, & sic insunt nobis à natura fomites q; vitiorum dicuntur,*
- *Secundum exuperantiam, & sic non insunt à natura, sed ipsa vitia appellantur.*

Cupiditas quomodo insit vel nõ insit à natura.

Opp.

Si repletus & distentus Baccho plus vini appetat, hoc facit quidem naturaliter, sed ita appetere est vitium, ergo naturalis cupiditas est peccatum.

Resp.

Ista cupiditas non est communis & naturalis, sed propria & voluntaria, secundum quam (vt ait philosophus) plùs mille modis offendimus.

Opp.

Stupor multùm prodest ad acquisitionem virtutis cum sit fuga voluptatum, ergo non est vitium.

Resp.

Stupor est fuga voluptatũ, sed sine ordine & ratione,

Stupor inordinata fuga voluptatum.

Opp.

Stupor vel ex mala complexione, vel ex agritudine

nascitur, ergo non est vitium: omne enim vitium est voluntarium.

Resp.

Non solùm complexio & ægritudo: sed etiam nonnunquam mala consuetudo eundem parit.

Opp. contra 3. Quæst.

Cupiditas est aut naturalis aut propria: ergo nulla est cum dolore coniuncta: ratio tenet quia natura in naturali, & voluntas in propria dolorem fugiunt.

Resp.

Cupiditas considerat-ur, vel
- *Per se, & sic est delectabilis.*
- *Per accidens, & sic res tristis & molesta dicitur: cum enim concupiscens aut diutius aucupetur voluptatem, aut non assequatur cum velit, mordacissimum dolorem & animi cruciatum sentit.*

Opp.

Nocturnæ pollutiones non sunt voluntariæ, ergo non sunt peccata. Antecedens patet, quia contingunt in dormientibus.

Resp.

Causa istarum est duplex, vel
- *Natura, & sic non sunt peccata: non est enim culpanda natura si expellat venenum.*
- *Mala præcedens cõsuetudo, & sic sunt peccata: quippe voluntas corrupta ex motu naturæ suum præbet consensum.*

Cap.

Cap. XII.

An optima remedia intemperantiæ sint abstinentia & castigatio?
An intemperantia sit magis voluntaria quàm timor qui opponitur fortitudini?

QVoniam nihil prodest detegere plagam, si non adhibeas medicinam: cōuenit vt hanc intemperantiæ satis prolixam narrationem consilium philosophi medicinæ loco sequeretur. Concludit ergo hunc librum Aristot. cōsilio potiùs quàm præcepto, dehortando magis ab hoc mōstro scelerum, quàm nouum aliquod thema aut argumentum demonstrando. Sunt tamen istius capitis quatuor argumēta, quorum primum est quòd intemperantia cum voluptate coniuncta sit magis voluntaria quàm timor animi, quē dolor sequitur: alterum, quòd intemperantia sit ob fœdam voluptatem sui quasi pedissequam maiore reprehensione digna quàm timor: 3. quòd in pueritia & flore ætatis hoc vitium concupiscentiæ incalescat maximè: Postremum quòd optima remedia istius scelcris sint duo, Remedia intemperantiæ.

duo, abstinentia & castigatio. Vtinam profectò hoc breue consilium (sicuti decet) ab omnibus perciperetur: tum sanè Gulosi suam crapulam, ebriosi suam insaniam, libidinosi suam infamiam fugerent, imò abhorrerent. O tempora in quibus nunc viuimus: quot gula, quot venter, quot turpis libido perdidit? Gulose quid quæris? cibum. Ebriose quid sitis? vinum. Libidinose, quid petis? venerem.

O curas hominum, O quantum est in rebus inane?

Gulę, ebrietatis, & veneris comites.

Gulę comes putredo est, ebrietatis obliuio est, veneris ignominia, molliusculè tamen & delicatè viuimus. sed quid ago? melius est auersâ facie pudenda *istorum* temporũ contegere, quàm dicendo multa multorum animos nimium exulcerare. Vis epulari? licet: sed vtere abstinentia. Vis vinum bibere? placet: sed sobrietatem adhibe. Vis mulierem tangere? id tibi nõ negatur, si adsint castitas & pudicitia. Cæterùm absq; his frænis hæc agere non licebit, quippe venter cibo vinoq; æstuans citò spumat libidinem: est enim periculosa res gula, nam tollit vitam: est luxuriosa res vinum, nam tollit ingenium. Rectè Propertius, Vi-

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas,
Vino fœde suum nescit amica virum.

Sapienter Ouidius.

Nox & amor, vinumq; nihil! moderabile suadent.

Istorum nunc tandem queris remedium? age ergo, audi Poëtam,

Ocia si tollas, periere cupidinis arcus,
Contemptæq; iacent, & sine luce faces.

Audi philosophum: Castigatione quadam adhibita, contrahi debet id omne in nobis, quod rerum turpium ac libidinosarum cupiditate rapitur nimiumq; exultat ac luxuriat. Summa omnium est: si sit animus propensior in libidinem, adhibe ieiunium: si sit præceps & effrænis, adhibe consilium: si sit præcipitantior, adhibe flagellum. Cōsilium enim labētes: lapsos ieiunium: insanos & furentes flagellum sanat: est quidem hoc corpus insolens & superbum naturæ mancipium quod laxis habenis aliquando furit, retractis tamen nonnunquam obediens rationi & virtuti redditur. Hieronymus pius ille pater multis ieiunijs maceratus dormiens olim in eremo delicias Romæ vidit: O Christe, quid nos exquisitis ferculis saginati, mero distenCastigatio vtilis.

Nota.

Hieronymus in eremo delicias Romæ cogitauit.

distenti, lasciuâ musicâ perfusi, in eburneis lecticis securi & consopiti agimus? sed hîc finem impono studiose lector, modò memineris teipsum consilio & abstinentiâ vincere: quod si feceris audi sapientem Senecam, Bis vincit qui se vincit: quod si non feceris, audi iterum, Bis interimitur qui suis armis perit.

Bis vincit qui se vincit.

Bis perit, qui suis armis perit.

Ex Boetio.



Distinctio secundæ Quæstionis.

Intemperantia est magis voluntaria quam stupor, propter
- Procliuitatem naturæ, vnde motus.
- Innatam cupiditatem, vnde affectus.
- Vnitam voluptatem, vnde consensus.
- Obiectorum varietatem, vnde habitus intemperantiæ nascitur.

Opp.

Abstinentia seu ieiunium naturæ vires frangit, spiritus diminuit, sanitatẽ tollit, totum denique hominem minus aptũ ad præstandum virtutis officium reddit: sed virtus quæ est conseruatrix naturæ hæc prohibet: ergo abstinentia seu ieiunium non est optimum remedium intemperantiæ.

Resp.

Quemadmodum seruus contumax puniri debet, non vt dispereat, sed vt submissior fiat: ita corpus hoc nostrum sic macerare debemus, non vt cadat, sed vt rationi pareat & obsequatur.

Corpus tractandum vt seruus contumax.

Opp.

Quod natura abhorret vt malum, non est eiusdem salutare remedium: sed castigationem & flagellum natura abhorret vt malum: ergo non debet adhiberi vt remedium.

Resp.

Si lasciuienti iumento plus oneris quàm ferre valet imponatur, in itinere corruet: sin minus, cõtra stimulum calcitrabit: ita si vltra vires hoc corpus affligas, malum est: si verò moderatè feries, salutare est.

Castigatio modica salutaris est.

Opp.

Opp.

Pharisæi hæc fecerunt, & tamen hypocrita à Christo sunt appellati: ergo hoc præceptum non videtur vtile & fructuosum.

Resp.

Castigârũt se Pharisæi hypocriticè.

Fecerunt quidem Pharisæi sed dissimulãter: fecerunt etiam Moyses, Elias, Iohannes præcursor & ipse Christus eadem vere & efficaciter. In Iohannis abstinentia tria imitatione digna mihi videntur, tenuis dieta, vestis aspera, eremus solitaria. Non est ergo hoc præceptum inutile, non est contra fidem. Paulus enim vas electionis castigauit corpus suum, & in seruitutem redegit, ne fortè cum alijs prædicauerit ipse reprobus inueniretur. Cæterùm pondus hoc quod nobismet imponimus, æquis prudentiæ lancibus est trutinandum, vt ferentem neq; grauitate opprimat, neq; leuitate licentiùs insolescere & superbire sinat. Vt enim nauis si supra modum oneretur, subsidet, si infra modum, ad omnem flatum vacillat & periclitatur: ita corpus nimis afflictũ perit, minùs verò quàm decet, statim veluti inflata vesica seu bulla intumescit.

Castigatio voluntaria neq; nimis grauis esse debet, neq; nimium leuis.

Contra aliam quæstionem.

Opp.

Voluntas est æquè principium omnium vitiorum & virtutum, vt habetur in 2. lib. Ethic. ergo intemperantia non est magis voluntaria quàm stupor, quia ex altera parte temperantiæ opponitur.

Resp.

Resp.

Duo in vitijs & virtutibus spectantur,

- *Essentia, vt sunt habitus, & sic æquè voluntaria habentur omnia.*
- *Circumstantiæ, vt sunt actus, & sic intēperantia est magis voluntaria quàm stupor, quia illa voluptatem, hic verò dolorem concomitantem habet.*

Alia quædam dubia capitis.

An dolor magis labefactet naturam quàm voluptas? Dubia cap.

Opp.

Intemperantes & libidinosi sunt breuissimæ vitæ: ergo voluptas quæ est illorum comes, magis labefactat naturam quàm dolor. Antecedens experientia probat.

Resp.

Voluptas in textu secundum naturam non secundum exuperantiam intelligitur: illa enim conseruat, hæc verò magis labefactat quàm dolor. Voluptas immodica plus nocet quàm dolor.

An vehementes voluptates insanire faciant?

Vehemētior voluptas insanire facit, quia

- *Cerebrum humanum nimis exiccat,*
- *Spiritum animalem nimis perturbat,*
- *Varijs intentionibus phantasiam vulnerat.*
- *Immensos dolores in appetitu excitat.*

Voluptas vehementior ad insaniam adigit,

Opp.

Animus rationis compos est vt ait Arist. libr. 3. de anima, cap. 5. ab omni perturbatione liber & immunis: ergo à voluptate ita non vincitur vt insaniat.

Resp.

Animus rationis compos consideratur bifariam, vel

- *Absolutè vt est spiritus, & sic est immortalis ab omni perturbatione & affectu.*
- *Comparatè vt est actus, & sic affectibus corporis aliquando vincitur, nec non sæpe eorum impetu à sede rectæ rationis dimouetur.*

Deo gloria.

LIBER

LIBER QVARTVS.

Cap. I.

Quid liberalitas? Quæ sint eius extrema?
An magis in dando, quàm in accipiendo
versetur?
An auarus sit deterior prodigo?

Ratio instituti in sequentibus libris explicandis.

HAcusq; per capita veluti per vestigia sequuti sumus Aristot. nunc verò si quidam audirentur interpretes, vel omnino clauderetur hoc opus, vel saltem contractis velis concluderentur omnia. Sunt enim qui axiomata philosophi probant de virtute in genere, eius autem præcepta de virtute in specie non dilaudant. Sunt & alij non contemnendi interpretes, qui vasta & nimis oblonga, in ea quæ sequũtur, scriptitârunt glossemata: nos verò & horum tædium, & illorum ocium fugientes, ipsum nunc medium tenere

pro virib. enitemur. Pergemus ergo cum philosopho, ea solùm posthac in singulis capitibus tractaturi themata, quæ nobis de hac re impensiùs considerantibus videbuntur necessaria. Disputatum iam est de duabus eximijs virtutibus, quarum altera bilem, altera gulam in nobis moderatur. Ordine nunc alia virtus insignis (manu Cæsaris nõ indigna) sequitur (ipsa nempe liberalitas) quæ nõ aliter manum in diuitijs, quàm temperantia mentem in delicijs dirigit. Hęc virtus est, quâ nulla habetur vel ad nomen propagandum melior, vel ad beneuolentiam conciliandam aptior, vel ad inopiam pauperum subleuandam accommodatior. Quippe laus, amor, fama, portam & arcã liberalis semper reserant & aperiunt. Huc tanquam ad cõmune ciuitatis asylum, inopes, oppressi, miseri, pro auxilio, consilio, solatio confluolant. Sed his omissis ad textum venio, in quo 4. præcipuè proponuntur: 1. natura liberalitatis: 2. obiectum: 3. proprietas: 4. extremorum comparatio. Natura eius est, vt liberalitas sit habitus inter auaritiam & prodigalitatem positus, quo homo tan-

De liberalitate.

Liberalitatis laus.

Natura eius quæ.

tanquam aureâ rationis regula in dandis & accipiendis pecunijs vtatur. Per habitum genus, per prodigalitatem & auaritiam vitiorũ repugnantiam, per hominem ſubiectum, per rationis regulam multiplicem circumſtantiam, per dare & accipere duplex liberalis officium, per pecuniam omnem diuitiarum affluentiam in hac definitione intelligo. Pecunia enim non ſolùm hîc pro ſignato nummo accipitur, ſed etiam pro omni rerum omnium (quę in commutationem cadunt) ſupellectile & abundantia. Nam obiectum liberalitatis eſt pecunia, id eſt, aurum, argentum, æs, ſtannum, ager, granum, & quicquid aliud eſt, quod commutantis iuſtitiæ menſuram reſpicit. Quippe hic dicitur liberalis, qui nudis veſtem, qui famelicis cibum, qui ægrotantibus medicinam dederit. De naturâ & obiecto liberalitatis ſatis. Sequitur vt de multiplici proprietate officioq; pauca dicamus. Officia liberalis ſunt aut cõmunia, aut propria. Communia ſunt, vt dare & accipere: propria verò, vt rarò accipere, rariùs autem ab alijs petere, plurimos ſibi benignitate deuincire, pruden-

Pecunia latiùs hoc loco ſumitur.

Obiectum quod.

Proprietas & officium liberalitatis.

ter ſuarum facultatum rationem habere, in dando maiorem laudem quàm in accipiendo acquirere, omnes deniq; affluentis fortunæ Nilos niſi ad beneficentiam exercendam contemnere. Quòd autem in dando potiùs quàm in accipiendo verſetur liberalitas, triplici ratione in textu conſtat: à naturâ virtutis: à proprio: & ab effectu. A naturâ, quæ magis in agendo quàm in patiendo cernitur, ſed dare eſt agere, accipere pati, ſplendor ergo liberalitatis potius in dando quàm in accipiendo cernitur. A proprio, quia proprium virtutis laus eſt, ſed laus maior dãtem quàm accipientem ſequitur. Ab effectu, *qui eſt* dilectio, quæ pro accepto beneficio danti magis quàm accipienti debetur. Rectè ergo Ouidius cecinit,

Liberalitatem in dando potius quàm in accipiendo verſari.

Crede mihi res eſt ingenioſa dare.

Reſtat nunc in poſtremo loco extremorum comparatio. Extrema duo ſunt: Prodigalitas & Auaritia. Prodigalitas eſt, vt ingeniosè quidã definit, vas magnum ſine fundo, ingens arca ſine ſerâ. Omnia enim profundit, reponit nihil. Si apertiùs agas, Prodigalitas eſt ſtulta & inconſiderata

Extremorũ cõparatio.

Prodigalitas quid.

rata rerum profusio, quam plerumq; inanis gloria, insignis stultitia, magna inopia, sera animi pœnitentia sequũtur. Hinc illam describit Aristoteles vitiosum habitum, quo deprauati omnia sine modo, ordine, & ratione exhauriunt. Huic opponitur Auaritia omnium meo quidem iudicio vitiorum Pandora. Est enim (vt ait Philosophus) malum insanabile, & inextinguibilis pecuniarum sitis. Istam definit orator esse inordinatum habẽdi amorem, qui in appetendo sine fine, in acquirendo sine modo, in retinendo sine iure versatur. Furto enim, vsurâ, rapinâ, fraude, periurio, mendacio, alijsque sexcentis iniustis modis rapit & corradit omnia. Quare vt nullum vitium deterius est auaritiâ: ita auaro nihil est scelestius. Quippe nihil est magis execrandum, quàm adorare pecuniam. Non ergo immeritò hoc loco Aristoteles prodigum longè meliorem auaro esse existimat. Quia prodigus largiendo prodest multis, auarus nemini: prodigus aliquando consilio, aliquando necessitate sapit, auarus nunquam: Prodigus in dãdo benignum, & liberalem imi-

Auaritia quid.

Auaro nihil deterius.

Prodigus auaro melior.

tatur, Auarus portam & manum claudit: Prodigum amant multi, auarum vt monstrum detestantur omnes.

In liberalitate spectanda sunt quinq;
- Natura, vt si virtus, quæ in recto vsu pecuniarum cernitur.
- Obiectum, quod est duplex,
  - Externum vt pecunia.
  - Internum vt pecuniarum concupiscentia.
- Officium, quod est, vel
  - Commune, vt dare accipere.
  - Proprium, in dando obseruare, vt sint
    - Mens iucúda,
    - Frons grata,
    - Res propria,
    - Proportio iusta,
    - Cura honesta,
    - Causa pia.
- Oppositum quod est, vel in
  - Excessu, vt prodigalitas.
  - Defectu, vt auaritia.
- Vsus, qui est aut
  - Publicus, vt ciuitatis cõseruatio.
  - Priuatus, vt liberalitas hominis, laus, fama & dilectio.

Distinctio secundæ quæstionis.

Liberalitas magis in dando, quàm in accipiendo cernitur, quia
- Beatius est dare, quàm accipere.
- Magis laudatur propter beneficium.
- Magis diligitur propter vsum.

Distin-

Distinctio tertiæ quæstionis.

Prodigus duplex est, vel
- Simplex, qui alijs vitijs non est depraua-tus, & hic est melior auaro
  - Propter faciliorem reductionem, quæ fit, aut
    - Progressu ætatis.
    - Consilio.
    - Vrgente necessitate.
  - Propter maiorem similitudinem eiusdem cum liberali in dando.
  - Propter saniorem animum in iudicio virtutis.
  - Propter firmiorem laudem, & admirationem populi.
- Compositus, qui est alijs etiam flagitijs coopertus, & iste in hac comparatione non intelligitur.

Opp.

Magnificentia est virtus inter prodigalitatem & auaritiam, quæ in vsu pecuniarum cernitur: ergo aut confunditur cum liberalitate, aut liberalitas probè hoc loco non definitur. Antecedens est Aristot. in 2. cap. huius libr. vbi dicit magnificum esse necessariò liberalem. Vnde à coniugatis sequitur magnificentiam esse necessariò liberalitatem.

Resp.

Suprà demonstratum est magnificentiam & liberalitatem non re, sed ratione tantùm differre. Magnificen-

tia enim in magnis, liberalitas in paruis sumptibus versatur.

Opp.

Aequè in magnis, ac in paruis versatur liberalitas: ergo rectè illud discrimen non assignatur. Antecedentis *verba sunt circa medium istius capitis.*

Resp.

Magnum bifariam acceptum.

Magnum sumitur bifariam, aut

- *Absolutè pro re excelsa & illustri: & sic in magnis non versatur liberalitas.*
- *Comparatè pro re mediocri, & sic in magnis cernitur.*

Opp.

Circa domum, agrum, oleum, aliaq; infinita versatur liberalitas, ergo non solùm circa pecuniam, vt circa proprium obiectum.

Resp.

Pecunia dupliciter sumpta.

Pecunia accipitur, aut

- *Strictè pro signato Numismate, & sic non est adæquatum obiectum liberalitatis.*
- *Fusè pro re omni, cuius æstimatio mẽsuratur pecuniâ, & sic est obiectum.*

Opp.

Circa concupiscentiam diuitiarum versatur liberalitas: ergo aliud ponendum est obiectum præter pecuniam.

Resp.

Est liberalitatis obiectũ duplex,

- *Externum, vt pecunia.*
- *Internum, vt diuitiarum concupiscentia.*

Opp.

Opp.

Dare & accipere sunt oppositain hac definitione liberalitatis, ergo mala est definitio. Argumentum est Arist. 6. Top.

Resp.

Dare & accipere non sunt contraria, accipere enim ita sequitur liberalitatem animi, vt optima visio sanitatem oculi.

Opp.

Nulla virtus perdit obiectum suum, sed liberalitas perdit: ergo non est virtus.

Resp.

Non perdit, sed impendit, & in rectũ vsum elargitur.

Opp.

Nulla virtus naturæ vi ac propensioni repugnaret, sed potiùs eãdem perficeret: at alijs plura dare quàm sibi retinere naturæ vi ac propensioni repugnat, ergo id agere non est omnino liberalitatis, & proinde fallax est textus, in quo idipsum proponitur.

Resp.

Bona sunt, vel

- *Interna, vt virtutes & scientiæ: de quibus plura nobis appetere quàm alijs dare oportet.*
- Externa, & hæc sunt, vel
  - *Necessaria, respectu vitæ & famiæ: in quib. tenetur quilibet sibi magis quàm alijs prouidere.*
  - *Superflua: de quibus locus Arist. intelligitur. Ex his enim plura alijs dare, quàm nobis retinere debemus.*

Opp.

Opp.

Dare & accipere differunt specie, ergo non sunt actus vnius virtutis.

Resp.

Dare & accipere specie non differunt.

Specie non differunt, si secundum circumstantias ex præscripto rectæ rationis considerentur. Nam opportunè accipere dandi habitum & facultatem conseruat.

Argu. contra tertiam quæstionem.

Opp.

Is peior est qui in seipsum, quàm qui in alios peccat: sed talis est prodigus, ergo prodigus est deterior auaro.

Resp.

Auarus in se grauiùs peccat quàm prodigus.

Auarus grauiùs in seipsum & in alios peccat quàm prodigus: is enim nec sibi, nec alijs fauet, hic verò & sibi per benevolentiam, & alijs per pecuniam prodest.

Opp.

Prodigus, qui stultus in textu dicitur, magis opponitur prudentiæ quàm auaritiæ, ergo est peior.

Resp.

Auarus prodigo rationi magis repugnat.

Non minùs opponitur auaritia prudentiæ, ac ipsa prodigalitas, imò si altiùs consideres, magis rationi ac prudentiæ repugnat. Ratio enim & prudentia iubet, vt detur & expendatur pecunia.

Opp.

Auaritia in textu malum incurabile dicitur, & ex conse-

consequenti non est vituperabile, quo posito sequitur, quòd auarus non sit deterior prodigo, cum sub reprehensionem non cadat.

Resp.

Incurabile dicitur duobus modus, vel
- *Absolutè, pro eo quod omnino curari non potest: & sic auaritia malum incurabile non dicitur.*
- *Respectiuè, pro eo quod difficulter curari potest: & sic hoc loco accipitur.*

Dubium in textu.

An vsura sit malum sub auaritiâ per se?

Res quædã sunt quarũ
- Vsus & consumptio non distinguuntur, vt vinum, granum, oleum, pecunia, pro quorum vsu aliquid vltra sortem exigere, est (si attenderis) aut id quod non est vendere, sed hoc est contra ius naturæ, aut eandem rem bis vendere, quod est cõtra legem iustitiæ: non ergo licet pecuniam pro vsu pecuniæ accipere quandoquidem ipsa pecunia in suo vsu consumitur & collocatur.
- Vsus & consumptio differunt, vt vsus domus est inhabitatio non autem dissipatio eius: & in istiusmodi rebus licet pro ipso vsu aliquid (reseruato sibi rei dominio) postulare.

Vtilis de vsura ex Thoma distinctio. Secunda secundæ cap. 78.

Opp.

Vsus pecuniæ vt ait Arist. in 5. lib. Ethicorum est res in commutatione adæquare, ergo consumi non est eius vsus vt in hac distinctione docetur.

Resp.

Resp.

Ratio non sequitur, nam etsi res commutabiles adæquare sit quidam vsus pecuniæ, proprius tamen & vt ita dicam principalis vsus pecuniæ est consumptio seu distractio secundum quod in commutationes expenditur, vnde illicitum est pro vsu eiusdem mutuatæ aut consumptæ pretium accipere.

Opp.

Nullus contractus voluntarius & commodus est per se malus: sed vsura sæpe est talis contractus, ergo non est per se malus.

Resp.

Voluntarium duplex. *Voluntarium est, vel*
- *Simpliciter, & sic non est vsura respectu recipientis.*
- *Ex parte, & sic est: præterea malum vsuræ ex intentione pendet, quæ est contra legem, naturam, & societatem.*

Opp.

Leges permittunt vsuram, ergo non est mala per se.

Resp.

Vsura non ideo licita quia permittitur & tolleratur.

Aliud est permittere, & tolerare: aliud est sancire, & approbare: leges permittunt sæpe malum, ne maius incidat periculum sequatur, at non approbant, imò à malo deterrent, & dehortantur.

Cap.

Cap. II.

Quid magnificentia? Quæ eius opposita? An pauper possit esse magnificus?

HAEC ætas (proh dolor) rarò de magnificentiâ cogitat. Perpauci siquidem nunc sunt dierum, qui nouas ciuitates constituere: pauci, qui nouas Academias propagare: pauci, qui sacra templa erigere: pauci, qui noua Musarum hospitia ad suam ipsorum famam, vsumq; posterorum extruere cogitēt. Quidam olim ruinam Romæ tum florentis in re militari prospiciens (non sine animi dolore proculdubio) in has voces prorupit, Vbi nunc sunt Fabritij? vbi Decij? vbi nunc Cęsares? vbi Catones? Date veniam, si de statu Athenarum iā tacitus mecum repetens hoc vnum quęram: vbi iam sunt VVyckami? vbi VVaynfleti? vbi VVhiti? vbi nunc omnes magnifici & illustres viri, qui Angliam beatissimam regionem duob. longè augustissimis gymnasijs perbearunt? De quibus olim Coriatus poëta hoc modo cecinit, De magnificentia.

Et duo

Et duo sunt totum Gymnasia nota per orbem,
Oxonium studijs florens, mihi dulcis Alumna,
Regis opus: tuaq; illustris Rex Cantaber aedes,
Magnificè florens sacris Academia Musis.

Magnificentia quid.

Hæc sunt verè Corinthia opera: hæc sunt expressa veræ magnificentiæ (de qua nunc loquimur) exemplaria. Nam philosophus in textu docet magnificentiam esse magnam liberalitatem, versatam quidem in rebus honorificis, cuiusmodi sunt quæ dijs adhibētur donaria, apparatus, sacrificia, similiterq; ea omnia, quę in cultu & religione diuina impenduntur, quæq; in republ. honestæ gloriæ causâ exhibentur. Quid multis opus est? Magnificentia in subiecto, in obiecto, in modo, in fine cum liberalitate conuenit. Circa hæc tamen eminentius se gerit, & veluti ad alta, regia, & excelsa volat. Alexander petenti denarium dedit vrbem. Magnificus enim dat ille quidem, sed magna: extruit, sed insignia: facit multa, sed dignitate & honore plena. In hoc ergo magnificus à liberali differt, quòd ille summam rerum dignitatem, hic mediocrem suorum sumptuum rationem spectat. Pauper itaque qui for-

Magnificentia cum liberalitate confertur.

Magnificus a liberali discrepat.

fortunam semper nouercam habuit, magnificus esse non potest. Quippe tria impediunt, inopia rerum, ignorantia honoris, defectio generosi pectoris: quia rē non habet, honorem nunquam est assecutus, quia tametsi honorem adeptus esset splēdidè aut decorè propter abiectionem animi non tractaret. Opposita huius virtutis sunt immanis profusio, & sordida parsimonia. Immanis profusio, qualis illa fuit Cleopatræ, quæ Antonio totā Aegyptum vno hausto propinauit. Sordida parsimonia: qualis fuit illa Mydæ, qui dum inhiauit pecuniæ, inedia confectus perijt. Magna est profectò in hac ætate auri sacra fames. Vbiq; (vt ait poëta)

Magnificus esse pauper non potest.

Magnificentiæ oppositæ.

Creuerunt & opes, & opum furiosa libido,
Et cum possideant plurima, plura petunt.

Vbi est illa Sympathia & veluti sensus alienæ miserię? Ad portam diuitis accedit pauper, at clausam reperit: pulsat sæpe, respondet nemo: alta tum voce clamat, cōtinuò his quæsitis oneratur: quis tu? quid tibi vis? vnde venis? quid hîc quæris? si respondeat se Homerum esse, mox petunt, quid secum duxerit: si dicat lachrymas, ridēt;

dent: si literas, eludunt: si se nihil diuitiarum asportâsse fateatur, cõfestim exprobrant,

Cum nihil attuleris, station Homere foris.

O pestiferam pecuniarum sitim, & stygio veneno infectam parsimoniã. Hanc fugere oportet, si magnificentiam desideras. Nam magnificẽtiæ lues odiosa, quam iam descripsimus est auaritia.

Magnificentia est duplex,
- Diuina, quę respicit Dei cultũ, vel in
  - Templis deo sacris,
  - Beneficijs ad templorum vsum conferendis.
- Humana, quæ respicit reipubl. dignitatem, vel in
  - Aedificiorum ornatu.
  - Conuiuiorum & ludorum apparatu.
  - Beneficiorum magnitudine.
  - Operum excellentium visu & pulchritudine.

Distinctio secundæ propositæ quæstionis.

Pauper capitur, aut pro
- Homine opibus indigente solùm, & hic potest esse magnificus, quoad habitũ animi, quamuis aduersæ fortunę flatu agitatus diuitijs careat.
- Homine affluente opibus, vsu tamen carente, qui non potest esse magnificus.
- Homine, cui & animus excelsus, & opes etiam desunt, & hic non potest esse magnificus, quia
  - Non habet materiam,
  - Non nouit vsum,
  - Ignorat agere secundum habitum.

Argu-

Argumenta contra primam quæstionem.

Opp.

Liberalitas tenet medium, sed magnificentia excedit liberalitatem, vt est in textu: ergo magnificentia non tenet medium, & ex consequenti non est virtus.

Resp.

Magnificentia excedit liberalitatem, nõ quoad essentiam virtutis, sed quoad existẽtiam ornatus: quippe non est melior, sed cultior & splendidior virtus.

Opp.

Burleus, Buridanus, aliiq; quidam interpretes defendunt magnificentiam specie distingui à liberalitate, ergo malè hîc defenditur non distingui.

Resp.

Amicus Plato, amicus Socrates, magis amica veritas.

Opp.

Actus & obiecta liberalitatis & magnificentiæ specie differunt, ergo ipsæ virtutes specie differunt. Antecedens probatur, Quia actus & obiectum magnificentiæ sunt in honorabilibus, sed actus & obiectum liberalitatis solùm in laudabilibus reponuntur.

Resp.

Hoc quidem argumentum est Buridani, sed non cohæret. Nam vt ipsæ virtutes secundum magnum & paruum

differunt: ita & actus & obiecta virtutum distinguuntur.

Opp.

Si secundum magnum & paruum solùm differant, tũ liberalitas videretur nihil aliud, quàm dispositio quædam ad magnificentiam: sed hoc est absurdum ponere, cũ sit æquè habitus ac ipsa magnificentia: ergo plus quàm modo & ratione differunt.

Resp.

Maior non tenet. Potest enim esse in re mediocri (qualis est materia liberalitatis) perfecta actio, proportioq; virtutis.

Opp.

Oppositæ magnificentiæ in reprehensionem non cadunt, vt ait Aristot. in fine huius cap. ergo magnificentia non videtur esse laudabilis.

Resp.

Reprehensio extremorũ sumitur bifariam: vel

- *Fusè: & sic extremæ magnificentiæ reprehensione non carent.*
- *Strictè pro eo cui annectitur infamia: & sic Aristot. dicit illa in reprehensionem serè non incurrere, quia nec proximis noceant, nec insignem habeant deformitatem.*

Argumenta contra secundam quæstionẽ.

Opp.

Pauper potest esse prudens. ergo potest esse magnificus.

Argu-

Argumentum probatur: quia omnes virtutes morales sunt connexæ in prudentiâ vt habetur 6. Ethic.

Resp.

Non negatur quin pauper possit esse magnificus quoad habitum, quamuis non sit quoad ornatum virtutis.

An magnificentia sit nobilior liberalitate. Dubiũ tex.

Magnificentia est nobilior, propter
- *Magnitudinem rei, circa quam versatur,*
- *Dignitatem personæ agentis,*
- *Splendorem actionis,*
- *Vsum, qui est plerumq; totius ciuitatis.*

Magnificentia quatuor de causis nobilior liberalitate.

Opp.

Liberalitas est communius bonum, ergo melius. Arg. est in 1. 5. Ethic. est etiam in 3. Topicorum. Antecedens probatur: quia liberalitas (vt ait philosophus in textu) est circa omnes pecuniarum vsus, magnificentia verò nõ est, vt in hoc textu concluditur.

Resp.

Vna virtus communior aliâ dicitur, vel respectu
- *Frequentioris actus: & sic liberalitas est communior magnificentiâ.*
- *Insignioris vsus: & sic magnificentia est communior: quia ad vsum totius ciuitatis immediatè refertur.*

Vtrum fundatores templorum & Donariorum in cultum dei sint magnifici?

Sunt respectu
- Magnorum sumptuum, quos expendunt.
- Maximarum rerum, quas faciunt.
- Diuinarum laudum, quas maximè intendunt.

Cap. III.

An magnanimitas rectè assignetur? Quæ eius opposita? Quæ species? Quæ propria?

De magnanimitate.

INter Heroicas virtutes maximè splendet animi magnitudo, quæ vulgo magnanimitas appellatur. Hæc non aliter à modestia quàm liberalitas à magnificentia differt. Quare vt illæ duæ se inuicem sequuntur: ita harum altera alteram proximè & immediatè suo ordine, suoq; loco sequitur. In hoc tractatu, si Aristotelis textum contemplemur, quinque nobis proponi videntur. Magnanimitatis distinctio: eiusdem definitio, explicatio oppositorũ, proprietatum enumera-

meratio: & quarundam partium insinuatio. Distinctio est, quòd nomen magnanimitatis accipiatur duob. modis: vel generatim, & sic est omnium virtutum lux & ornamentum: vel speciatim, & sic est optimum tam in prosperâ quàm in aduersâ fortunâ animi subsidium. Primò modo accepta magnanimitas nullam certam ac definitam materiã habet, secundo modo honorem suo iure, vt propriam materiam & obiectum vendicat. Est tamen honor duplex, alius internus, qui est fœlicitatis præmium: alius externus, qui est magnanimitatis obiectum: vtrumq; quærit, & in hoc appetendo & moderando versatur maximè. Sedet enim magnanimitas veluti in excelso loco, sub cuius pedibus lubricam fortunam quasi captiuam & iacentem videas. Ferunt Timotheum illum Athenienſem reti olim cepisse fortunam, vnde fortunatus dicitur. At beatior est lõgè magnanimus, qui non reti illam vt piscem, sed virtutis manu illam vt seruam tenet. Quorsum hoc? vt intelligas magnanimitatis obiectum esse honorem in rotâ, manuque fortunæ positum, quo

Obiectum eius honor.

Magnanimitatis definitio triplex.

vtitur splendidè si possideat, quem facilè aspernatur si non habeat. Hinc rectè definitur magnanimitas moderatrix fortunæ, & quasi norma rectè appetendi honoris. Quam aliàs sic describit Arist. vt sit virtus, quâ pręditi honorem, eiusq; occasum ferre & moderari possimus. Iterum si placet hoc modo, Magnanimitas est mediocritas inter pusillanimitatẽ & elationem animi, quæ in magnis & summis honoribus acquirendis humanum appetitum dirigit ac moderatur. Magnos & summos honores nomino, quia circa paruos & mediocres versatur modestia, quę ab hac virtute secundum magnum & paruum id est ratione non re distinguitur. Tertio in loco tractanda sunt magnanimitatis opposita, quæ sunt pusillanimitas & elatio animi. Pusillanimitas est quædam abiectio mentis, & inepta voluntatis in fugiendis honoribus defectio. In hoc vitio perpauci offendunt, quippe pauciſſimis hac tempestate artiũ stimuli & virtutum præmia, id est honores offeruntur. Sunt tamen aliqui qui dum sceptrum, id est honorem in theatro gestarent, musicas cum Domitia-

Magnanimitas differt à modestia ratione tantùm.

Pusillanimitas quid.

no

ao insectantur: de quibus nihil aliud dico, quàm quod seruus Domitiani olim dixisse dicitur. Interrogatus enim is, essétne quispiam cum suo domino, respondit, ne musca quidem, quippe ille omnes suo reti sustuliisset. Quid multis? vocante nos patriâ, veniendum, offerente virtutis præmium (si digni simus) accipiendum puto. Alterum vitium ex aduerso huic respondens elatio animi, & superbia dicitur, quæ tantum tumorem in animo efficit, vt aui diùs quàm leones prædam fugacem honoris vmbram aucupemur. Est enim superbia (si verè definias) caninus appetitus gloriæ, quâ prorsus indigni sumus. Istius comites sunt insolentia, iactantia, ambitio, discordia, seditio, curiositas, & philautia. His malis semel fascinati ad omne facinus & periculum rapimur, modò regno potiamur. Regnum petijt ambitiosus Cęsar, sed præceps de summo gradu fortunæ in ipso senatu cecidit. Alexander regnorum Helluo totius terræ imperium voluit, sed illum parũ veneni sustulit. Regnum inter omnes optauit Aristippus, sed tenui filo appensus gladius caput philosophi

Superbia quid?

Superbiæ comites.

perturbauit. O quot & quantas hominum strages, quot & quantas ciuitatum ruinas peperit siticulosa honoris ambitio? Quarto in loco sequitur proprietatũ enumeratio. Magnanimitas, quę ab Arist. respectu modestiæ extremum, respectu rationis medium, respectu laudis excelsum, respectu honoris diuinum dicitur, multas in textu traditas proprietates habet, quæ omnes ad duo quasi capita reuocari possunt: Nempe vt aliæ sint internæ, aliæ externæ. Internæ sunt, vt modestè & decorè honores appetere, heroïcè in illis acceptis se gerere, inanem populi strepitum laudemque contemnere, suas res gestas non prædicare, rebus secundis non efferri, aduersis non deprimi, non recordari iniurias, Assentatores & parasitos à se longè abigere, solùm à veritate & conscientia in omnibus suis actionibus pendere. Externæ sunt vt sit in magnanimi incessu quædam maiestas, in voce grauitas, in oratione firmitas & constantia. Partes magnanimitatis duæ insinuantur, humilitas & patientia. Illa magni viri purpura, hæc anchora dici potest. Rectè Patricius: nihil magis

Multiplex diuerso respectu magnanimitatis appellatio.

Magnanimitatis proprietates quæ.

Magnanimitatis partes duæ.

Patritij dictum.

magis summos viros in prosperis decet quàm humilitas, nihil magis in aduersis consolatur quàm patientia. O quàm pulchra res est in viris primarijs animi submissio, quàm diuina res est in illis si mala eueniant dolorum contemptio? Illius fructus est amor populi: huius effectus est honor animi. Amorem illum humilitas, Honorem hunc patientia dabit.

Distinctio.



Opp.

Opp.

Quæcunq; eadem sunt essentiâ, distinctè non tractarentur: sed magnanimitas & modestia sunt eadem essentia: ergo distinctè ab Arist. non tractarentur.

Resp.

Considerantur in eisdē duo, nempe

- *Essentia, & sic vna tractatio sufficeret.*
- *Modus, qui potest esse diuersus: & sic distinctè eadem tractari possunt.*

Opp.

Nulla virtus virtuti contrariatur: sed magnanimitas virtuti contrariatur, nempe humilitati: ergo magnanimitas non est virtus. Minor patet ex textu, vbi probatur, quòd magnanimus putet se dignum magnis honoribus alios q; præse contemnat, at humilis his planè contraria facit.

Resp.

In humili considerantur duo, nempe

- *Habitus internus animi, secundum quem nouit & iudicat se dignum honoribus, qui sibi ex præscripto rectæ rationis offeruntur.*
- *Actus externus: secundum quem alios sibi præponit, quia studio potiùs contemplatiuæ quàm actiuæ vitæ delectatur, hanc enim consultò eligit, illam tamen non negligit.*

Opp.

Opp.

Omnis virtus est circa bonum, quod est in agente: sed magnanimitas est circa honorem, qui est in honorante, & non in honorato: ergo magnanimitas non est virtus.

Resp.

Duplex est obiectum magnanimi. { *Externum quod est honor.* / *Internum quod est moderata appetitio honoris, & hæc in ipso magnanimo reperitur.*

Opp.

Magnanimitas circa obiecta aliarum virtutum (vti patet in textu) versatur: ergo non est distincta virtus ab alijs.

Resp.

Magnanimitas communiter & heroicè sumpta circa obiecta fortitudinis, iustitiæ, & aliarum virtutum versatur: & sic Seneca in libro de quatuor cardinalibus virtutibus magnanimitatem & fortitudinem confundi docuit: at propriè accepta distinguitur, vt suprà demonstrauimus.

Opp.

Omnis contẽptor est malus: sed magnanimus est contemptor: ergo est malus.

Resp.

Contemnimus aut { *Personam, & hoc est malum:* / *Vitium, & hoc est bonum: quo quidem modo magnanimus superbos & insolentes contemnit, res vanas & caducas etiam spernit magnanimus.*

Opp.

Opp.

Verecundia non est in bonis: sed verecundia est in magnanimo, vt patet in textu: ergo magnanimus non est bonus.

Resp.

Verecundia sumitur, vel pro { *Affectu: & sic non est in magnanimo.* / *Effectu modestiæ: & sic inest.*

Opp.

Magnanimus non recordatur beneficij accepti, vt est in textu: ergo videtur ingratus.

Resp.

Non recordatur vt nouum accipiat: sed meminit vt grati animi officium persoluat.

Opp.

Res pulchras potiùs quàm fructuosas spectat magnanimus: ergo non videtur prudens.

Resp.

Res pulchræ respectu magnanimi sunt fructuosæ: aureum enim diadema gemmis pretiosis ornatũ caput imperatoris decet.

An elatio animi sit deterior abiectione?

Opp.

Qui se abijcit est dignus honore, at qui elato est animo est indignus: ergo abiectio est melior quàm elatio, quia abiectus est melior quam elatus.

Resp.

Etsi in fine istius capitis Arist. contrarium doceat, in eo

eo tamen sensu est intelligendus, quòd elationem non penitùs pro superbiâ, sed pro immoderata cupiditate honoris accipiat: & sic est melius appetere honorem in repub. vt discas meliùs viuere, quàm omnem honorem fugiendo sordide & ignominiosè latitare.

An melius sit honorari, quàm honorare?

Honor sumitur, vel
- *Fusè: qui definitur signum beneuolæ opinionis, & sic tã malis quàm bonis conuenit.*
- *Propriè: qui est signum reuerentiæ exhibitum alicui in testimonium virtutis: & sic est melius honorari propter inhærentem virtutem.*

Honor bifariam sumptus.

Vtrum magnanimi sit potiùs contemnere quàm appetere honorem? Dub. 3.

Est melius contemnere, quia
- *Animi excelsi est res incertas parui existimare.*
- *Honor est res fragilis, siue pro statu dignitatis, siue pro applausu multitudinis sumatur.*

An magnanimi sit recordari iniurias? Dub. 4.

Non est propter
- *Excellentiam mentis,*
- *Præstantiam virtutis,*
- *Sapientiam hominis, qui aduersa ad vsum & splendorem virtutis mutat.*

Cap.

Cap. IIII.

An modestia rectè definiatur?

Magnanimitatē modestia, vt magnificentiam liberalitas comitatur.

QVi attentiùs verba Philosophi in principio huius capitis de modestiâ legerit, mecum (vt opinor) de connexione tam modestiæ cum magnanimitate quàm liberalitatis cum magnificentiâ consenserit. Verba hæc sunt: Videtur etiam in eo (id est) in honore alia virtus cōsistere (id est) modestia, quæ eandem rationem habet ad animi magnitudinem, quam habet ad magnificentiam liberalitas. Nam vt vtraq; (id est) tam liberalitas quàm modestia à magnitudine (puta) sumptuum & honorum recedant: nos tamen in rebus mediocribus & paruis rectè afficiunt. Quasi diceret, vt magnificentia in magnis pecunijs, liberalitas in paruis: ita magnanimitas in magnis honoribus, modestia in paruis versatur. Huc etiam si illud adijciatur, modestiam eadem sibi opposita cum magnanimitate in hoc textu ab Aristotele constituta habere, probabilis est hæc futura opinio, quòd sit summa huius cum illâ in essentiâ con-

conſpiratio. Si enim diſpoſitio & habitus apud dialecticos vnam ſpeciem conſtituant, multò magis modeſtia & magnanimitas, quæ ſolùm in magno & paruo differunt, vnam virtutem conſtituerent. Vt ergo eſt idem motus, etſi nunc ſit tardior, nunc incitatior: ita eſt eadem virtus, etſi nunc humilior, nunc excelſior eſſe videatur. Eadem ſcilicet eſt manus expanſa & contracta, ſimiliter eadem eſt virtus mediocris & auguſta. Principes ornat magnanimitas, principes etiam numeris omninibus abſolutos reddit modeſtia: vtraque ergo eadem eſt virtus in eodem ſubiecto, materia officioq; poſita, modo tamen diuerſa. Quod cum ita ſit mutato nomine, quod modò de magnanimitate idē nunc de modeſtiâ dictum iri exiſtimādum eſt. Quare paucis admodum de hac virtute demonſtratis, ad ea quæ ſequuntur feſtinabimus. Eſt ergo modeſtia duplex: communis, & ſic eſt ordo decorum obſeruans in omni actione vitæ: propria, & ſic hoc loco definitur, circa mediocres honores laudabilis habitus ſeu mediocritas: cuius oppoſita ſunt vacuitas honoris & ambitio.

Modeſtia & magnanimitas arctiſsimè copulantur.

Modeſtia duplex.

Modeſtiæ oppoſita.

tio. Per vacuitatẽ honoris, abiectionem animi: per ambitionem, tumidam & inflatam elationem intelligo. In defectione rariſſimè, in exceſſu multùm nos ſæpè offendimus. Nam in ambitione eſca quædam eſt quam capere conantes (non aliter quàm auiculæ) capti perimus: eſt itaq; in omni bene inſtitutâ republ. (ſi audiamus Platonem) maximè fugienda ambitio, quæ eſt veluti rabida dominandi libido. Hac olim incenſus Pyrrhus Epirotârum Imperator initurus bellum cum Romanis, modeſtè à Cyniâ ſapiente viro interrogatus, quid agere tandem decreuerit, quid tandem? Romam inquit humo adæquabimus. Quid tum? Italiam deuaſtabimus. Quid hinc? Siciliam expugnabimus. Quid præterea? iam à Libya & Carthagine quis abſtinebit? Numquid hîc apicem impones? neutiquam. Quippe Macedoniam, Græciam & reliquas partes mundi oppidatim depopulabimur. Subactis his omnibus quid quæſo acturi? triumphandum medius fidius & feriandum tunc cenſeo. O Pyrrhe Pyrrhe acclamat Cynias, ad quæ per cædem & ſanguinem

nos

nos tuos ducis? sat habes, si his quæ habes rectè vti didiceris. Iratus autem rex, eoq; magis stomachabundus spreuit consilium, bellum gessit, saxo percussus in obsidione ciuitatis perijt. Videte (quæso) quàm periculosa sit ambitio, quàm citò reges & regna euertat. Multi altas Cedros ambitionis scandunt, at fractis ramis periculosè decidunt: melius est ex humili racemo vuas colligere, quàm in summa Cedro ad breue tempus nō sine iacturâ grauis vitæ triumphare.

Distinctio.

Modestia est duplex, { Naturalis: quę est insita homini verecundia circa honores. / Moralis: quæ est veluti habena abiectionis & elationis animi.

Abiectio duplex.

Voluntaria abiectio sumitur, aut p { Humilitate: & sic est virtus. / Vanâ animi simplicitate aliquando hypocrisi palliatâ: & sic est vitium.

Opp.

Nullus honor est paruus, ergo modestia non est virtus circa paruum honorem versata. Antecedens probatur, quia honor est præmium fœlicitatis: & à philosopho dicitur maximum inter omnia bona externa.

Resp.

Honor sumitur, aut pro

- *Causa siue materia honoris: & sic nihil aliud est quàm res honorabilis.*
- *Substantia honoris, & sic est signum datum homini in testimonium virtutis.*
- *Effectu honoris: & sic est ipsa opinio laudabilis. At istis tribus modis augeri & diminui potest, prout res & ratio postulat. Est ergo honor magnus circa quem magnanimitas, paruus quodam respectu circa quem modestia versatur.*

Opp.

Nullus honor debetur virtuti: ergo circa honorem non versatur modestia. Antecedens est Aristot. 2. lib. Et hic, vbi probat virtutis proprium laudari solùm.

Resp.

Honor internus fœlicitati, externus virtuti debetur.

Etsi honor ille internus, de quo antè egimus, solùm fœlicitati debeatur, honor tamen externus virtuti vt materia, rectè obijcitur.

Opp.

Omnis virtus versatur in affectionibus moderandis: sed honor circa quem versatur modestia non est affectio: ergo modestia non est virtus.

Resp.

Internum obiectum modestiæ est appetentia honoris, externum de quo hoc loco agit philosophus est ipse honor.

Opp.

Opp.

Modestia apud Senecam & Ciceronem pro ordine decorè agendi in omni virtute sumitur, ergo accommodatè hîc à philosopho non tractatur.

Resp.

Modestia abillis fusè & communiter: ab Aristot. verò strictè & distinctè tractatur.

An liceat honorem vt magistratum appetere?

Licèt, si
- *Absit ambitio.*
- *Prioris status nostri habeatur consideratio.*
- *Reipubl. solius causâ fiat petitio.*

Cap. V.

An mansuetudo seu clementia sit virtus moralis?

De mansuetudine seu clementia.

VT in publico statu ciuitatis sunt quædam prælucentes virtutes, verbi gratiâ, fortitudo, temperantia, liberalitas, magnificentia, magnanimitas, & modestia, de quibus iam diximus: ita in priuato vsu humanæ vitæ aliæ sunt, exempli causâ, mansuetudo, comitas, & affabilitas, de quibus iam breuiter

dicturi sumus. Harum prima ab *Arist. in* textu clementia dicitur, quæ meritò affabilitatem comitatemque præcedit, quia magis interna & necessaria esse videtur. Nulla enim omnium virtutum homines hominibus magis conciliat & deuincit, quàm mansuetudo eiusq; comes patientia. Inter mansuetudinem & clementiam hoc tamen interest, quòd illa iram, hæc pœnam moderetur. Qui enim iram supprimit, mansuetus: qui pœnam diminuit, clemens ac mitis dicitur. *Mansuetudo* ergo est inter iracundiam *in defectu*, nimiamq; indulgentiã *in excessu optima moderatrix*: cuius proprietates sunt *quatuor* (vt in textu explicatur) Iracundiam & odium cohibere: vindictam non appetere: rarò, aliquando tamen iustè irasci: nemini iniuriam aut molestiam inferre. Huius extrema sunt iracundia, quam inuidia: nimia indulgentia, quam securitas morumq; licentia sequitur. Iracundia est vitium animi, quo incensi ad inuidiam, malitiã, odium præcipitati sumus. Indulgentia ex aduerso est quoq; vitium, quod nimiam hominũ securitatem, morumq; disso-

Mansuetudo quid.

Mansuetudinis proprietates quot & quæ.

Extrema mansuetudinis.

Iracundia quid.

Indulgentia quid.

dissolutionem parit. Vt enim est in illâ accensa tæda ad incendium: ita quidem est in hac aperta via ad perniciem: & sicut nimiâ seueritate periclitatur ciuitas, ita nimiâ securitate tandem dissoluitur. Athenodorus philosophus ille rogatus olim ab Augusto Cæsare, vt aliquod sibi monumentum relinqueret, hoc (inquit) relinquam Cæsar: Si contigerit te irasci, nihil prius dixeris feceriscq; quàm 24. literas recitaueris. Nouit hic sapiens iram principis esse vnguem leonis, hoc cognomen ergo clementiæ ac mansuetudinis Cæsari exoptauit. Istius vitij tres species in textu ab Aristot. insinuantur, leuis animi concitatio, furor & acerbitas. Prima in biliosis, secunda in melancholicis, tertia in pernicioſis cernitur. Prima enim est breuis furor, secunda est quędam naturæ peruersitas, tertia est implacabilis, contumax, & belluina feritas, qualis fuit illa Neronis, qui matrem, præceptorem, & seipsum occiderit: & illa Astyagis, qui Harpago suum ipsius filium deuorādum apposuerit. Rectè Ouid.

Athenodori consilium salutare.

Candida pax homines, trux decet ira feras.

Sed vt carnifices & Anthropophagi, qui humano sanguine delectantur, non sunt tolerandi in ciuitate: ita rosa sine spinâ, id est, nimia indulgentia sine seueritatis virgula in bene administratâ republ. florere non debet. formica suum splenem & musca suam bilem habet. Natura docuit irasci, virtus non prohibuit, licet ergo aliquando ense resecare malum, ne pars sincera (vt quidam sapienter ait) in periculum trahatur. Audiant hoc parentes, audiant præceptores, audiant etiam & principes. Multi patres, præceptores, Cæsares indulgentiâ nimia & sese & suos perdiderunt. Nam vt nauis tutò non regitur sine experti gubernatoris manu: Ita domus, scholæ, regna necessariò ruunt sine disciplinę & seueritatis norma, quæ impios supplicij metu coercet. Quare vt auiculas (id est) innocentes, cum Xenocrate ab vngue accipitris in sinũ admittere aliquãdo debemus: ita vultures, id est pernicioſos nonnunquam ad crucem, ad ensem, ad mortem destinare oportet, si nulla reperiatur alia medicina.

Ad quoduis castigãdi genus inuiti veniamus, & nũquam nisi necessariò.

Distin.

Distinctio.



Opp.

Comitas est quædã moderatrix iræ, ergo videtur confundi cum mansuetudine.

Resp.

Comitatis officium duplex,

- *Primarium siue proprium, vt iocos & ludos concinnare.*
- *Minus primarium seu commune: vt iracundiam supprimere, & homines hominibus conciliare.*

Opp.

Idem non potest esse obiectum & oppositum, ergo iræ non rectè assignatur à philosopho vtrumq; respectu mansuetudinis.

Resp.

Ira considerat bifariam, vel vt est

- Affectus: & sic est materia mansuetudinis.
- Habitus ex multis actionibus acquisitus: & sic est oppositum mansuetudini.

Ira enim in 2. loco nihil aliud est quàm iracundia, quæ habitus vitiosus dicitur.

Opp.

Nulla defectio est virtus: sed mansuetudo est defectio, ergo non est virtus. Minor videtur probari posse ex textu, vbi dicit philosophus, mansuetum peccare in eam partem, quæ medium deserit.

Resp.

Defectio videtur esse, nõ quòd deficiat à mediocritate rectæ rationis sed quòd aliquid detrahat de seueritate debitæ punitionis.

Opp.

Omnis materia alicuius virtutis est in potestate agentis: sed ira (quæ tollit vsum rationis) non est in potestate agentis, cum sit naturalis: ergo non est materia mansuetudinis.

Resp.

Ira quomodo sit materia mansuetudinis.

Vt ipsæ potentiæ animæ rationis ac voluntatis imperio subiiciuntur: ita omnes illarum potentiarum affectus & perturbationes subiici quidem possunt: licet ergo ira sit affectio naturalis, quæ vsum rationis tollit, si furentius sæuiat: retracta tamen habenis mãsuetudinis imperium rationis magis confirmat.

Du-

Dubia capitis.

Vtrùm liceat Irasci?

Opp.

Homo natus est ad alterius subsidium: sed ira est in alterius interitum & excidium (vt ait Seneca) ergo irasci non licet: Minor probatur à definitione iræ, quæ est appetitus vindictæ.

Resp.

Homo homini Deus est, & homo homini Dæmon. Natus quidem est ad subsidium, & non ad perniciem alterius. Cæterùm frustrà hic affectus iræ homini non datur; irasci ergo licet sed non furere, vlcisci licet, sed non desæuire.

Vtrùm clementia sit virtus distincta à mansuetudine?

Opp.

Clementia habet aliud obiectum, aliamq; proprietatem à mãsuetudine: ergo est virtus distincta. Antecedens probatur, quia clementiæ obiectum pœna est, proprietas pœnam diminuere: obiectum mansuetudinis ira est, proprietas verò iram mitigare.

Resp.

Mansuetudo duob. modis considerat. vel

- *Quoad internum obiectum nempe iram, & sic propriè mansuetudo dicitur.*
- *Quoad externum obiectum nempe pœnã: & sic distinctionis causâ clemẽtia nominatur. Nõ est ergo distincta virtus, sed eadem varijs modis considerata.*

Vtrum

Vtrum Iracundia & Ira naturâ differant?

Opp.

Iracundia & ira sunt appetitiones vindictæ: ergo natura non differunt.

Resp.

Ira & iracũdia re differunt.

Fatendum est nomine sæpe hæc duo confundi: re ipsa tamen differunt. Nam iracundia habitum, ira affectum significat: est enim iracundia veluti præmeditata malitia, est verò ira præceps animi ad vltionem incitatio.

Cap. VI.

An affabilitas sit virtus moralis? An iocari liceat?

De affabilitate & Ioco.

IN consuetudine vitæ sermonumq́; ac factorum communione, ne nimijs doloribus aut curis contabesceret natura, sæpe adhibenda est delectatio, sed honesta & decora, in qua vt sæpe propter infirmitatem, ita non multùm propter vanitatem, quæ inde sequitur, versari debemus. Hinc assignantur duæ ab Aristot. virtutes, affabilitas & comitas, vt dicta & facta nostra aliquando sale festiui ingenij condiantur. Non sum seue-

ſeuerus vt Stoicus, nec diſſolutus vt Epicurus. Nõ enim triſtari ſtudeo cum Catone, nec ſemper ridere velim cum Democrito: ſed videor mihi audire hoc loco Ariſt. ſic affatum, quid ludis iuuenis? cur perdis horam? temporis iactura non reficitur, laboris omiſſi naufragium non reuocatur. Quid quæſo? non licet omnino ludere? licet, cur ergo intonas? modum ſeruãdum ſuadeo, nimium fugiendũ doceo. Quid? vis vt ſemper inhiemus ſtudijs? non: ſed vt ſæpe etiam vacetis iocis. Iocemur ergo? placet, ſed in iocis ſpectari debet tempus breue, nam lõgius nocet: locus honeſtus, nam ſuſpectus inficit: modus iuſtus, nam profuſus lædit: licitum iocandi genus, nam iniquum vulnerat: vtilis finis, malus peruertit omnia. Vnde quæſo hæc ſingula perdiſcantur? ex noſtris præceptis de affabilitate & comitate traditis. Quid eſt affabilitas? eſt virtus inter aſſentationem & contentionem poſita, quæ in iucunditatibus moleſtijsq; cernitur, quæ ex colloquijs hominum oriuntur. Si breuiùs definire velis, eſt dulcis Muſarum quaſi philomela, cuius voce omnes ſine offenſione

Ne quid nimis.

Iocanti quæ obſeruãda.

Affabilitas quid.

Affabilitas qua in re differat ab amicitia.

sione capiuntur. Quid interest inter affabilitatem & amicitiam, cui similem hanc esse dicit? hoc nimirum, quòd illa sit sine affectu amoris in eos quibuscum versetur, hæc cum nobis & familiaribus tãtùm congrediatur. Quid est assentatio? est vitiosus habitus loquendi placentia, vel si placet, est vitium, quo tanquam nouo aucupio hominum gnatonici sui ventris & commoditatis causa vtuntur. Hinc assentator est quasi polypus qui se in omnem formam facilè conuertit. Quid est contentio? est peruersus habitus animi, qui morosos, difficiles & implacabiles reddit: tales sunt plurimi hodie sub Saturno nati, qui omnem honestam animi recreationem fugientes, aliorum vt aiunt leuitatem Satyrice carpunt & persequuntur. Licet ergo iocari? licet, modò cum Aegyptio sophista non arbor, non aqua, non fera fias. At ioci & facetiæ sæpe offendunt: non, si vt prudentia præscripserit adhibeantur. Estne aliud quod de affabilitate docebis? nihil si probè teneas animo illa quæ didiceris.

Assentatio quid.

Contentio quid.

Distin-

Distinctio.

Affabilitatis quatuor sunt præcipuè effecta,

- Honesta & delectabilis recreatio mētis, nihil enim magis reficit.
- Iucundus & ingeniosus vsus sermonis, nihil enim rem apertius ante oculos depingit.
- Suauis & fructuosa captatio benignitatis, nihil enim efficaciùs homines hominibus conciliat.
- Insignis & artificiosa moderatio perturbationis, nihil enim potentius animū perturbatum sanat & moderatur.

Adulatio est vt ait Thomas, in

- Imitando simia, nam si ais ait, si negas negat.
- Apparendo gemma, nam vt vitrum splendet, sed cum splendet frangitur.
- Fallendo vmbra, nam citò fugit & euanescit.
- Mordendo vipera, nam periculosè ipsa præcordia ferit.
- Occidendo Cicuta, nam velociter famam suffocat & extinguit.

Opp.

Voluptas & dolor communia obiecta omnium virtutum dicuntur 2. Et hic. ergo proprium obiectum affabilitatis non constituunt, vt in hoc textu requirit Arist.

Resp.

Vt voluptas restricta ad gustū & tactum est obiectum temperantiæ: ita voluptas restricta ad sermonem est materia affabilitatis. versatur ergo affabilitas circa voluptatem & tristitiam, non vt in genere actionis, sed vt in vsu sermonis reperiuntur.

Voluptas sermonis est materia affabilitatis.

Opp.

Opp.

Ficta & fucata est actio affabilis, ergo affabilitas non est virtus. Antecedens probatur, quia affabilis agit quasi amicus, cum tamen non sit, vt in textu probatur.

Resp.

Actio affabilis sitne ficta.

Ficta non est omnino actio vbi nulla latet dissimulatio, at affabilis non amicitiam sed dulcem morum veluti harmoniam apud omnes profitetur: delectat enim non quia diligit, sed quia recreatione opus esse prudenter animaduertit.

Opp.

Placere hominibus non videtur opus virtutis esse: sed affabilis est placere hominibus, vt patet in textu: ergo affabilitas non est virtus.

Resp.

Placere licet, modo non ledas: honesta enim recreatio est necessaria.

Opp.

Omnis homo est capax cuiuscq; virtutis, cum virtus sit habitus electiuus animi: sed mutus homo non est capax affabilitatis, cum in vsu sermonis solum consistat: ergo affabilitas non est virtus.

Resp.

Mutus an queat esse affabilis.

Internum habitum affabilitatis hominib. mutis non negamus, vsum tamen & actum negare cogimur. Alij respondent hanc virtutem non solùm in sermonibus, sed etiam

etiam in actionibus & rebus consistere, in quibus muti se esse affabiles rectè ostendant. Nam vt in tragœdijs sæpè multa multis spectaculis insinuantur, ita affabilis manus, oculi, aliæq; corporis partes nonnunquam placidè multa loquuntur.

Opp.

Omnis virtus est necessaria: sed affabilitas non est necessaria: ergo non est virtus. Minor patet, quia multi in contemplatione & solitudine defixi per totam ætatem facerijs non capiuntur.

Resp.

Necessitas virtutis consideratur, vel
- *Absolutè respectu totius vitæ humanæ, & sic omnis virtus necessaria est.*
- *Comparatè respectu huius vel illius circumstantiæ, & sic omnis virtus nō est necessaria.*

Virtutis necessitas duplex.

Vtrùm affabilitas duplex habeat obiectum vt cæteræ virtutes? Dub. I.

Affabilitas duplex obiectum habet.
- *Internum, nempe delectationem strictam ad delectabilem vsum sermonis.*
- *Externum, nempe ipsum sermonem in communi congressu hominum.*

Vtrùm affabilitas differat naturâ ab amicitia?

Differt af-
- *Genere, est enim affabilitas habitus, amicitia verò affectus.*

affabilitas ab amicitia,

Materia, affabilitas enim circa delectabile, amicitia verò circa amabile versatur.

Modo, affabilitas enim agit sine affectu, amicitia verò cum affectu.

Proprietate, affabilitatis enim est delectare, amicitiæ verò diligere.

Opp.

Omnis distincta virtus habet distincta opposita: sed amicitia non habet distincta opposita ab affabilitate: ergo non est distincta virtus. Minor patet, quia assentatio & contentio vtriq; opponuntur.

Resp.

Opposita affabilitatis & amicitiæ quomodo distinguantur.

Opponuntur affabilitati, vt sunt industriâ elaborati habitus. opponuntur verò amicitiæ, vt sunt à natura instincti affectus: sunt enim morosi, sunt etiã placidi à naturâ: sunt qui vsu difficiles, sunt etiam qui arte blandientes fiunt.

Cap. VII.

An veritas rectè definiatur? An mentiri liceat?

De veritate.

INter affabilitatem & comitatem, quæstio de veritate ab Aristot. rectè mouetur, vt ad eam tanquam ad trutinam vtriusque virtutis præcepta dirigantur. Sunt enim dicta affabi-

fabilis incondita, comisq; facta iniucunda, si veritatis purpurâ non vestiantur. Veritas enim non solùm in omni sermone, sed etiam in omni negotio vitæ politicæ est necessaria. Insidias enim & fraudem tollit, arrogantiam reprimit, prodit mendacem omnem, simulationem & dissimulationē fugat. Huius multiplex est distinctio. Vno enim modo veritas transcendens dicitur, & sic bifariam: vel cohærens cum rebus, vt est quædam proprietas entis; vel per se subsistens, vt est infinitum & incommutabile bonum, ad quod omnia referuntur. Alio modo capitur pro consensu rei & intellectus, vnde à veteribus conformitas animi ad rem subiectam definitur. Postremò pro habitu dicendi verum in omni congressu vitæ, & sic hoc loco moralis virtus dicitur. Est enim veritas hoc modo accepta virtus inter arrogantiam & dissimulationem posita, quæ mouet hominem, vt qualis sit & verbis & factis palam ostendat. Quippe verax est (vt ait philosophus in textu) qui & vitâ & oratione ea in se inesse cōfirmat, quæ insunt, nec maiora, nec minora. Cęterùm animaduer-

Veritatis necessitas.

Veritas multifariam accipitur.

Veritas moralis bifariã sumitur.

aduertẽdum hic eſt, veritatem moralem ſumi duobus modis, vel ſtrictè quoad perſonã cui ineſt, vel fusè quoad materiã in qua verſatur. Primo modo ſermonẽ tantùm, ſecũdo modo omnẽ actionem vitæ humanæ reſpicit: nõ ergo requiritur ſolũ vt verũ dicas de his quæ in teipſo inſunt, ſed vt ſine omni diſſimulatione & mendacio de re qualibet ipſam veritatem proferas. Vnde reſpectu vtriuſq; veritas definitur, rectus animi habitus, quo quis verum ſiue affirmando ſiue negando, omni remota ſimulatione & diſſimulatione, conſtanter dicit: veritas enim tũ demum apparet maximè, cum vera ipſius animi ſenſa dictis & factis noſtris adæquentur. Hęc virtus (proh dolor) rara eſt, & à paucis nunc dierum colitur. Quot ficta teſtamẽta? quot falſa teſtimonia? quot inſidioſa ſophiſmata? imò quot mercatores fraudulẽti? quot diſſimulatores periuri? quot hypocritæ palliati vbiq; per forum cõſcientiæ & veritatis volitant, texunt, retexunt, aiunt, negant, tegunt, detegunt? Quid multis? mentiuntur omnia, ſalutant blandè, reſalutant ſæpe; at frontem

Veritas quid.

ſere-

serenam, mentem fallacem habent. Vetus est illud,

Multis annis iam transactis,
Nulla fides est in pactis,
Mel in ore, verba lactis,
Fel in corde, fraus in factis.

Ferunt olim ab Apelle veritatem graphicè depictam fuisse tanquam perpulchram fœminam, simpliciori habitu vt sinceritatem, nudo & defosso pectore vt animi simplicitatem videas. Multi sanè istis temporibus simplicem eius aspectum imitantur, at pauciſſimi defossi & aperti pectoris sinceritatem profitentur; aliud enim ore profertur, aliud mente geritur. Vis scire vnde hoc cõtingit? Obsequium amicos, veritas odium parit: sed (si audias Senecã) vetus hoc inuerte prouerbium, nam veritatem fidelis amicitia, obsequium nihil aliud quàm odium & dissimulatio sequitur. Tritum id est, qui nescit dissimulare nescit viuere: at verum hoc est, nescit viuere qui nouit mẽtiri & dissimulare. Opposita huius virtutis sunt iactantia & dissimulatio: illa excessus, hæc quædã defectio dicitur; illius tres gradus sunt,

Veritatem quomodo depinxerit Apelles.

Veritas amicitiam, obsequium parit odium.

Nescit viuere, qui nouit mentiri.

mendacium, gloria, lucrum; huius verò duæ, fraus & serpentina hypocrisis. Iactator est (vt ait Aristoteles) qui sibi res magnas & præclaras sumit & vendicat, cum non insint. Dissimulator verò contrà est, nimirũ qui negat in esse quæ insunt, quiq; diminuit extenuatque ea quæ apparent. Quæritur hîc obiter, an mentiri liceat: respondetur quòd in mendaci spectanda sit intentio mentis, quæ est, vel ad damnum alterius, & sic non licet: vel ad vsum & officium vitæ, & sic (vt ait Thomas) adhibitis quibusdam cautelis & circumstantijs licet. Intelligit vir doctus mendacium fabulosum, quod regnat in poëtis, & officiosum quod in periculis vitæ & ciuitatis cernitur.

Iactator quis.

Dissimulator quis.

Mentiri an liceat.

Distinctio.

Veritas est duplex,
- Theorica, vt sacra pagina digito Dei scripta & authoritate ecclesiæ confirmata.
- Politica, quæ hîc à philosopho definitur, habitus dicendi verum in omni negotio, siue publico, siue priuato, sine vlla fraude, arrogantiâ, aut dissimulatione.

Opp.

Nulla virtus moralis est in intellectu: sed veritas est

in

in intellectu, cum sit eius obiectum: ergo veritas non est virtus moralis.

Resp.

Veritas sumitur, aut

- *Materialiter, & sic est in re ipsa, vt in prædicamento substantiæ docetur.*
- *Formaliter, & sic est in oratione, quæ adæquatum signum veritatis appellatur.*
- *Effectiuè, & sic est in intellectu, cuius cum re conformitas & proportio dicitur.*
- *Finaliter, & sic est in voluntate, quæ per illam in omni negotio & sermone ad verum dicendum flectitur.*

Opp.

Omnis virtus est medium: sed veritas non est medium, ergo veritas non est virtus: minor probatur, quia non est excessus veritatis: nemo enim dicendo verum possit excedere.

Resp.

Consistit veritas in medio duarum (vt aiunt) falsitatum, quarum altera affirmat id esse quod non est, vt arrogantia, altera negat id esse quod est, vt dissimulatio: illa dicendo excedit, hæc deficit à medio. Veritatis extrema.

Opp.

Ea non sunt opposita quæ definiuntur per idem: sed arrogãtia & dissimulatio definiuntur per idem, puta mendacium: ergo non sunt opposita veritatis.

Opposita quomodo per idem definiri possunt.

Resp.

Non est absurdum, si opposita definiantur per idem remotum & commune vtriq;, quale est mendacium respectu istorum oppositorum.

Opp.

Nullum vitium est in bonis: sed dissimulatio est in bonis: ergo non est vitium. Minor probatur in textu per exemplum Socratis, qui dissimulanter dixit, hoc vnum scio me nihil scire.

Resp.

Intentio mali.

Omnis extenuatio personæ non est dissimulatio, quæ hoc loco intelligitur, sed illa sola quæ intentionem mali habet.

Opp.

Dissimulatio aliquando arrogantia dicitur: ergo hæc non sunt opposita. Antecedens probatur, quia aliquis dissimulando & extenuando se nimium, sæpe plus sibi arrogare quàm detrahere intendit & conatur.

Resp.

Dissimulatio consideratur, vel respectu
- *Materiæ circa quam versatur, & sic est semper defectio.*
- *Personæ quæ dissimulat, & sic sæpe est fraudulenta intentio.*

Dub.

Vtrùm omne mendacium sit turpe?

Opp.

Textus docet omne mendacium esse malum: ergo sic esse videtur.

Resp.

Resp.

- *Simplex, quod fit nullius rei gratiâ, sed solùm quia mendax dicendo falsum delectatur, & hoc genus mentiendi otiosum dici potest.*
- *Mendacium est vel*
  - *Cõpositum, quod fit alterius rei causâ, & hoc est vel*
    - *Iocosum, quod est* { *Poeticum, vt fictio.* / *Ironicũ, vt illusio.*
    - *Officiosum, quod fit cum intentione boni, vt vitam aut ciuitatem tueri.*
    - *Malitiosum quòd maximè prohibetur, propter*
      - *Intentionem falsi.*
      - *Persuasionem mali.*
      - *Illationem damni.*

Quid mendacium? An mentiri liceat?

Mendacium est falsa vocis vel operis significatio cum intentione fallendi, ideo non est omnino licitum, quia

- *Peruertit ordinem sermonis ad quem est institutus.*
- *Auertit intellectum à suo obiecto, nempe à vero ad quod est destinatus.*
- *Fallit & seducit credentem, qui est veritatis cognoscendæ cupidus.*

Mendacium cur illicitum.

Opp.

Fabulæ poëticæ, Ironia, dissimulatio pro vita hominis aut salute ciuitatis sunt mendacia: sed hæc sunt licita: er-

go mendacia sunt licita. Minor probatur quia fiunt aut recreationis causâ, aut sine vlla intentione mali.

Resp.

Propriè mea quidem sententiâ ista non sunt mendacia, quia in illis non est intentio fallendi aut nocendi alteri.

Dub. ## An dicens verum aliquando mentiatur?

Verum quis dicens an possit mentiri.

Dicens verum aliquando videtur posse mentiri, si

- *Dicens ipse non credat quod dixit: verbi gratiâ, si quis non credens esse antipodes, dicit tamē esse eo animo vt alios fallat, quamuis verum dixit (nimirum esse antipodes) mentitur, quia intendit fallere & nocere.*
- *Dubium & incertum pro certo & indubitato aliquid confidentiùs affirmet.*

Opp.

Mendacium semper opponitur veritati: ergo nullo modo dicendo verum aliquis mentiri potest.

Resp.

Mendacium veritati quomodo opponitur.

Opponitur semper veritati in re cuius respectu non est mendacium: non tamen semper in persona, cuius respectu hoc loco mendacium dicitur: hominis enim intentio vt sub nomine veritatis alios fallat mendacium efficit.

Cap.

Cap. VIII.

An comitas sit virtus moralis?

VT somno vires corporis, ita festiuitate ingenij vites animi recreantur. Ludere ergo licet, sed lædere non decet. Est (inquit Philosophus) in hac vita aliquid loci relictum quieti, in eaq; aliquid ludo conceditur temporis. Rectè Poëta, De Comitate.

Quod caret alterna requie durabile non est:
Hæc reparat vires, fessaq; membra leuat.

Cæterùm vt in iocis ac ludis nulla turpitudinis nota appareat, de Comitate (quæ est illorum moderatrix) pauca iam traduntur præcepta: consistit enim hæc virtus in iocis ac ludis. Attamen summa adhibenda est consideratio temporis, loci, personæ: non enim semper, vbiuis, & apud quoslibet, sed apud eos quibus grata sunt, vtendum est: nec nisi vt vitæ graues molestiæ honestâ quadam hilaritate leniantur. Definitur ergo Comitas, virtus moralis inter scurrilitatem & rusticitatem posita, quâ præditi decorũ in iocis & ludis obseruamus. Ex hac definitione patet

Comitas iocorum moderatrix.

Comitatis obiectum & finis.

Comitas quid.

Comitas quid differat ab affabilitate.

tet manifestè discrimen inter affabilitatem & comitatem, quas tamen virtutes quidem temerè confundunt: est enim affabilitas inter adulationem & contentionem, est verò comitas inter scurrilitatem & rusticitatem morum: iterum, affabilitas salsè dictum, comitas ingeniosè hilariterq; factum materiam habet: affabiles enim facetias sine dente, Comes verò iocos & ludos sine tædio concinnare student. Facetiæ sermonem tantùm, ioci & ludi actionem etiam requirunt. Hæc verba in descriptione harum virtutum sæpe occurrunt, sales, facetiæ, lepos, quę etsi videntur esse synonyma, sic tamē à quibusdam distinguuntur, vt sales ad ingenium, facetiæ ad sermonem, lepos ad habitum corporis referatur: sed de verbis non contendimus, obiectum comitatis (vt iam demonstraui) iocus, & finis recreatio: opposita scurrilitas rusticitasq; morum. Scurrilitas est insulsa, molesta, nec non sæpe odiosa dicacitas, quâ ordo, modus & decorum in ludis iocisq; peruertuntur. Scurræ enim sunt veluti dicaces histriones, Momi & Sophistæ qui ludunt sed insulsè, qui

Comitatis obiectum, finis & extrema.

Scurrilitas quid.

iocos

iocos & risum commouent, sed non decorè. Cæterùm attende: ciuiles hîc ludos, verbi causa comœdias: ciuiles actores, verbi causâ Rossianos non accuso: est enim in illis comitas summaq; delectatio, si opportunè ac tempestiuè adhibeantur. Rusticitas (quæ ex aduerso huic respondet) est vitium, quo quis infectus ab omni festiuitate sic abhorret, vt nulla ludorũ iucunditate demulceri, nulla iocorum suauitate deliniri possit, sed manet semper agrestis, rusticus & inhumanus, qualis olim fuit Timon Athenienſis ille. Ludus & iocus, quæ obiecta huius virtutis ponuntur, sunt omnes actiones ac res delectabiles: quibus oblectamenti causâ vtimur, quales sunt, in stadio contendere, hastam vibrare, hymnos & psalmos in triumpho canere, Cytharis, Psalterijs, alijsque id genus rebus nosmetipsos recreare. Ab hoc catalogo rerum omnes obscœnos iocos omnesq; illiberales ludos, quales sunt cãtus veneris, iactusq; alearum, delendos & expungendos censeo: res enim tales sunt, quibus (vt ait Plato) nemo rectè vti potest.

Ludi ciuiles.

Rusticitas quid.

Distin-

Distinctio.

Comitas accipitur, aut
- Naturaliter, pro insita quadam humanitate naturæ humanæ.
- Moraliter bifariã: vel
  - Internè, in affectibus nempe irâ ac indulgentiâ moderãdis, quę mansuetudo dicitur.
  - Externè, in iocis ac ludis concinnandis, & sic hoc loco definitur: cuius
    - Obiectum est iocus vel ludus.
    - Oppositũ est scurrilitas in excessu, rusticitas in defectu.
    - Proprium est delectare:
      - Dicto faceto,
      - Facto decoro,
      - Ioco opportuno.

Scurrilitas est
- Impudentia in audacibus:
- Molestia in histrionibus:
- Vitium in omnibus.

Rusticitas est
- *Stupiditas in fatuis,*
- *Immanitas in barbaris:*
- *Vanitas in omnibus.*

Opp.

Comitas non versatur circa difficile: ergo non est virtus. Antecedens probatur, quia versatur circa ludos: sed ludere non est difficile.

Resp.

Ludere est quidem facile: sed ludere vt decet ex præscripto rationis, est valde arduum & difficile.

Opp.

Opp.

Omnis actio virtutis tendit ad beatitudinem: sed ludere, quæ est comitatis actio, nō tendit: ergo comitas non est virtus. Minor est philosophi 1. lib. Ethic.

Resp.

Aliquid tendit ad beatitudinem, vel
- *Proximè, & sic ludere non tendit.*
- *Remotè, & sic tendit: nā gignit quietem animi, liberat q̄ à curis & doloribus, quib. obrutus fœlicitati studere nō potest:*

Opp.

Nemo studiosus à ludo vel lusu dicitur: ergo comitas in ludo lusuq̄ posita non videtur esse virtus.

Resp.

In ludis spectantur
- *Circumstantiæ artis, secundum quas studiosi non dicimur.*
- *Circumstantiæ moris, secundum quas ludentes studiosi nominamur: artis enim præcepta ludos definiunt, moris autem circumstantiæ demonstrant vsum, vnde omnis laus & commendatio nascitur.*

Ludorum circumstantiæ.

Opp.

Nulla virtus offendit: sed comitas aliquando offendit, vt est in textu: ergo non est virtus.

Resp.

Offensa est accepta non data, si verè sit comis qui ludit, vel dicendum est, quòd vt æmico liceat aliquando obiurgare, ita comi & affabili liceat aliquando malos offendere, non tamen acerbè, non inuidè, non malitiosè.

An

An ludi Scenici sint liciti, & sub hac virtutis materia contenti?

Ludi Scenici quinã sint liciti.

- Communes & populares, qui ad scurrilitatem potiùs quàm comitatem referuntur.
- Ludi Scenici sunt vel
  - Academici, quales sunt comœdiæ ac tragœdiæ recreationis honestæ causâ institutæ, & hæ sunt licitæ
    - Propter memoriam antiquorum temporum, quam ad viuum repræsentant.
    - Propter multiplicem scientiam rerum, quam in se comprehendunt.
    - Propter magnam experientiam, qua nos exornant.
    - Propter vim vocis, gestus, & affectus, quam optimè depingunt.
    - Propter delectabilem affabilitatis & comitatis vsum, quem graphicè ante oculos proponunt.

Opp.

Quod est indecorum, virtutis opus non est: sed in ludo scenico est aliquid indecorum, ergo virtutis opus non est. Minor probatur, quia est non solùm indecorum, sed instar monstri, vt vir meretricis habitu ornatus in theatrum prodeat.

Resp.

Non est indecorum, si eò fiat vt vitia meretricis depingantur: non est enim monstrum vestes sed mores meretricis induere.

Opp.

Opp.

Priscæ ætatis patres acerbiùs contra istos ludos disputârunt: ergo non sunt liciti.

Resp.

Simpliciter contra omnes non disputârunt, sed contra illos, qui in honorem Idolorum celebrati fuerunt. alij respondent illos contra excessum non contra vsum ludorum disputâsse.

Opp.

Iniuriosum nec non contumeliosum est regibus, vt sutores ac infimæ conditionis homines illorum purpurâ, sceptro ac diademate in ludis scenicis ridicule abuterentur: ergo decorum in illis non est.

Resp.

Ridiculum est quod obijcitur. Nam præterquàm quòd hîc non agitur de sutoribus, sed de viris liberaliter educatis & Academicis, hoc responderi potest, minùs esse indecorum regem in theatro agere quàm regem in tabula depingere: sed hoc licet, cur ergo illud non placet? Insuper vt in tabula cognoscitur vmbra regis delineari non in contemptum dignitatis: ita in Theatro intelligitur expressa imago regis proponi sine iniuria & contumelia imperatoriæ maiestatis.

Cap. IX.

An verecundia sit virtus?

De verecundia.

QVoniam pudor vitiorum adstudium & amplexum virtutis requiritur (est enim pudor vitij purpureus quasi splendor ac color virtutis) non incommodè de verecundia (quæ pudor vitiorum definitur) hoc loco ab Arist. disputatur. Rectè Xenophontem pulchrum, probum Iuuenem olim laudauit Socrates, quòd purpurâ virtutis, id est, verecundiâ suas malas tinxerat. Tum enim res salua est cum bonæ indolis puer erubescit: quippe hęc hedera naturę *veluti* in fronte suspensa primitiæ sunt futuræ virtutis. Verùm hîc quæritur, An sit ipsa verecundia virtus, an potiùs aliquis laudabilis animi affectus? virtutem esse in hoc cap. negat Arist. idq; probat quinque argumentis, quorum primum ducitur à definitione, 2. à tempore, 3. à contrario, 4. à proprio, 5. à subiecto. A definitione hoc modo, nullus metus est virtus, sed verecundia definitur metus, ergo verecundia non est virtus. A tēpore, quia virtus omni æta-

Verecundia quid.

Verecundia sitne virtus.

Verecundia quod virtus nō sit, quinque rationes.

ætati potest conuenire, sed verecundia non conuenit. A contrario, quia virtus solùm bonis conuenit: sed verecundia etiam in malos cadit. A proprio, quia virtus laudatur per se, sed verecundia laudatur fortuitò. Postremò à subiecto, quia omnis virtus est voluntaria, sed verecundia non est: ergo verecundia non est virtus. His positis affectum esse concludit & definit philosophus, quo perculsi timemus notam infamiæ ac dedecoris: est enim verecundia si verè definias, laudabilis affectus inter impudentiam & pauorem constitutus, qui timorem dedecoris ex turpi aliqua actione contracti inijcit. Timemus (vt ait Isocrates) vmbram peccati, id est, dedecus & infamiam, sed ipsam causam dedecoris, id est, flagitiũ & turpitudinem non timemus: erubescimus enim si quis nobis obijciat scelera, sed in perpetrando nullus nos timor remoratur. Attamen quod dat natura accipimus: nã verecundia est laudabile signum futuræ probitatis. Huic opponuntur pauor & impudentia, in illo timidum ingenium, in hoc ferreum, & quasi adamãtinum supercilium

Verecundia quid.

Vmbrã peccati timemus, peccatum non timemus.

Oppositæ verecundiæ.

Pauor quid,

cernitur: est enim pauor vitiosus affectus, quo leui aut nulla de causa ad dedecoris metum impellimur. Est verò impudentia ex aduerso huic respondens affectus, qui frõtem aut omnino tollit, aut saltem ita perstringit, vt nullo dedecoris metu ad erubescentiam moueatur: hæc labes, hæc lues est istis temporibus nostræ iuuentutis. Nam (vt grauius nihil dicã) rarò nunc inuenitur, cui dicat Diogenes, macte virtute puer, macte, nã hic est color virtutis.

Impudentia quid.

Verecũdia sumitur bifariã, pro

- Actu erubescendi, & sic definitur in
  - Secundo lib. Rhetoricorum, vt sit motus seu perturbatio animi circa mala quæ videntur inferre infamiam.
  - Hoc loco, vt sit metus dedecoris seu infamiæ: pauci enim timent peccatum, at multi infamiam subsequentem timent.
- Dispositione naturali ad actum istum inflectente hominem, & sic quoq; sumitur bifariam,
  - Communiter pro metu dedecoris proprij siue alieni: sunt enim qui alterius infamiã sæpe vulnerantur, sunt qui alienis malis ad verecundiam commouentur.
  - Propriè pro metu dedecoris sui, & sic in hoc capit. viro probo competere non posse dicitur.

Opp.

Opp.

Timorem sequitur externus pallor: sed verecundiam non sequitur pallor: ergo malè definitur verecundia ab Arist. timor dedecoris.

Resp.

Timor bifariam contingit, vel

Ex forti imaginatione mentis, cum à corde in phantasiam sursum rapiuntur spiritus, qui illic non comprehensi statim per malas diffunduntur, & talis timor dicitur verecundia.

Ex vehementi passione cordis, cum spiritus ad ipsum cor relabuntur tanquam ad fontem suum in quo conseruentur, & talis timor hîc non intelligitur.

Opp.

Laus debetur soli virtuti: sed verecundia est laudabilis: ergo verecundia est virtus. Maior est in primo lib. Ethic. minor in hoc cap.

Resp.

Laus debetur soli virtuti simpliciter & per se, per accidens verò & ex consequenti (vt aiunt) mediocribus affectibus etiam attribuitur: hinc in Iuuene verecundiam laudabilem, in sene verò vituperandam esse docet philosophus. Ratio est, quia in iuuentute signum est virtutis, in senectute argumentum sceleris.

Laus soli virtuti quomodo debeatur, & quomodo etiam nonnullis affectibus.

Opp.

Opposita verecundiæ sunt vitia, nempe pauor ingenij & impudentia, ergo verecundia est virtus.

Resp.

Opposita verecundiæ non sunt vitia, si strictè sumantur vitia: sunt tamen mala quædam, vt verecundia respectu quodam bonum dicitur.

Opp.

Verecundia inesse potest viro probo ac studioso: ergo fallitur Arist. in textu. Antecedens probatur lib. 3. Ethic. vbi probatur quòd vir fortis debeat timere infamiam, sed verecundia nihil aliud est quàm timor infamiæ.

Resp.

Timor infamiæ contingit, vel ex commisso malo, & sic non timet nec timere debet vir fortis: vel ex inuidia, quæ est virtutis comes, & sic timere, id est sibi cauere debet fortis, ne dentes malitiosi sentiat.

Opp.

Magnanimo conuenit verecundia, vt expressè docet Arist cap. 3. huius lib. de magnanimo: ergo viro probo inesse potest verecundia.

Resp.

Verecundia bifariam sumpta.

Verecundia sumitur, vel

- *Fusè pro omni motu pudoris, & sic magnanimus in accipiendo beneficio decore erubescit.*
- *Strictè pro motu animi ex turpi causa oriente, & sic non conuenit.*

Opp.

Si magnanimus suis vestibus spoliatus, in forum aut thea-

theatrum nudus cogatur, spectante corona hominũ, erubescit: ergo verè conuenit viro probo ac studioso.

Resp.

Hæc passio in eo nõ contingit ratione actus turpis sponte designati, quod requiritur in verecundia strictè propriéq; sumpta.

Vtrum verecundia contingat ex alienis malis?

Opp.

Ad pudorem commouentur aliquando viri fortes, cum de vitijs vxorum, filiorum & amicorum audiunt, ergo contingit verecundia ex alienis malis.

Resp.

Conceditur quòd verecundia communiter sumpta ex alienis malis aliquando oriatur: propriè verò strictéq; accepta nobis ex nostris ipsorum malis oriunda conuenit.

Vtrùm verecundia fusè sumpta aliquando in bonis præueniat rationem? Dub.

Verecundia contingit, vel ex

- *Imbecillitate naturæ, & sic (quoniam est motus naturæ non voluntatis) rationem in bonis aliquando præuenit & præcurrit.*
- *Suspicione sceleris commissi, & sic non præuenit, quia boni scelera nõ cõmittunt.*

Verecundia rationem quomodo præueniat aliquando.

An verecundia sit seni vtilis?

Opp.

Pudor vitij est vtilis seni: sed verecundia est pudor vi-

tũ: ergo est vtilis seni. Antecedens probatur, quia reuocat senem à turpitudine sceleris.

Resp.

Verecundia est in senectute sceleris pleniq; indicium sit.

Non reuocat, quia cum senex erubescit, signum est altius infixi sceleris quàm quod facilè deleri possit. Ratio est, quia senex propter tarditatem spiritus non sine facinoris suspicione ad erubescentiam commouetur.

Opp.

Verecundia non est motus voluntatis sed naturæ: ergo potest senibus conuenire.

Resp.

Fatemur senibus posse conuenire: sed flagitiosa senectus ut signum quidem, nisi ex magna imbecillitate contigerit, esse docemus. Præterea quamuis verecundia motus naturæ non voluntatis dicitur, est tamen peccatum voluntarium, à quo vt à causa fluit: at longè turpissimum est senes peccatis obrui & mancipari: cum æstus peccandi in illis extingueretur.

Laus Deo.

LIBER

LIBER QVINTVS.

Cap. I.

An legalis iustitia sit Heroïca virtus & specie distincta à reliquis? An rectè definiatur?

QVod homo est sine animâ, id est respub. sine iustitia. Est enim iustitia ciuitatis domina, dextrâ tenens gladium, quo malorum scelera vindicare, sinistrâ suspendens lancem, quâ bonorum opera ex æquo pensitare possit. In huius vnius pectore omnes reliquæ virtutes tã moris quàm mentis, nõ aliter quàm sydera in cœlo lucent: vnde Euripides (vt ait philosophus in textu) olim affirmauit neq; hesperũ neq; luciferum æquè magnã sui excitare admirationem, atque ipsam iustitiam. Quippe iustitia ciuitatis norma, magistratus anima, causa & fundamẽtum legis est, cuius veluti canales in singulos cætera-

Pulcherrimum Iustitiæ simulachrum.

rum virtutum riuulos fluunt ac deriuantur. Hanc ipsa natura peperit, experientia nutriuit, sapientia deniq; multarum ætatum in solio maiestatis, vt augustissimam rerum humanarum imperatricem, collocauit, quippe nulla pars vitę vacat iustitiâ. Huius acceptiones in hoc capite duæ à philosopho insinuantur, altera communis & absoluta, altera particularis & comparata: illa legalis, hæc propriè moralis dicitur: illa non vna, sed omnis virtus, hęc verò vna & distincta ab omnibus definitur: illa est (vt vtar verbis Philosophi) affectio voluntatis qua apti sumus ad res iustas gerendas, quaq; res iustas & facimus & desideramus facere: vel vt alij definiunt: est virtus quâ homo rectè disponitur ad bonum publicum & commune. In his definitionibus consideranda mihi videtur quatuor. Subiectum, obiectum, modus, finis. Subiectum est voluntas: obiectum est omnis res iusta, seu actio virtutis: modus est vnio, seu coniunctio voluntatis & operis; quippe neq; intentio sine opere, nec opus sine intentione iustitiæ actionem parit: finis deniq; est nō priuatum

Iustitiæ legalis duplex definitio.

Quatuor in iustitia legali obseruanda.

Subiectum, Obiectum, Modus, Finis.

uatum sed publicum, non proprium sed commune ciuitatis bonum. Sub hoc fine quatuor officia legitimę iustitiæ cõtinentur, quæ sunt, bonas sancire leges, sancitas definire, definitas exercere, & denique in exercendo ad beatam subditorum vitam, bonumq; cõmune easdem referre. Hinc qui in luce hominum versantur discunt nõ sibi sed alijs viuere, vnde illud Biãtis in textu: magistratus indicat virum. Vnde illud Arist. optimus is quidẽ est, qui virtutẽ nõ ad suam sed ad aliorum vtilitatẽ accõmodat. At arduũ hoc opus est res nostras negligere, & alienas promouere. Particularis seu comparata iustitia est, quæ æqualitatis lancibus omnia in ciuitate ponderat: versatur enim in adæquandis rebus, quæ (vt loquuntur philosophi) sunt ad alterum. Hinc à iurisconsulto definitur constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi: voluntas, id est voluntatis habitus: constans quoad actionem; perpetua quoad propositum & intentionem (oportet enim iustum propositum habere perpetuò seruandi iustitiam) tribuens cuique (id est) Deo & homini: ius

Finis partes.
1.
2.
3.
4.

Moralis iustitia quæ.

Institutionum lib. 1. Iustitiæ moralis definitio explicatur.

ius ſuum (id eſt) rem iuſtam & debitam. Quippe hoc loco ius non capitur pro habitu (qui eſt ars boni & æqui) ſed pro omni re iuſtâ ſiue in commutatione rerum, ſiue in diſtributione bonorum poſitâ. Diuus Ambroſius in libr. officiorum hanc rectè definit. Iuſtitia (inquit) eſt virtus, quæ vnicuique quod ſuum eſt tribuit, alienum non vendicat, vtilitatem propriam negligit, vt communem æquitatem cuſtodiat. Ex his patet, hoc modo acceptam iuſtitiam eſſe virtutem diſtinctam à cæteris. Habet enim propriam materiam, in qua verſetur; habet vitia vtrimque repugnantia, quibus opponatur. Materia eſt res ciuilis alteri ab altero debita: vitia oppoſita ſunt iniuſtum facere & iniuſtum pati. Sed attende, quòd extrema hoc loco aſſignentur quoad actum. Quippe iniuſtum pati non eſt ſemper vitium, niſi in patiente voluntarium actum reſpicias. Iniuſtum enim aliquando volentes patimur, iniuriam nunquam. Hæc virtus ab Ariſtot. ſæpe æquitas appellatur, quæ eſt habitus bonus quo quis neque plus, neque minus aut accipit aut tribuit quàm

Iuris acceptio duplex.

Quæſtio ſecunda.

Materia iuſtitiæ quæ. Extrema iuſtitiæ moralis.

Moralis iuſtitia cur æquitas nominetur.

quàm oportet, sed vt vnusquisque dignus sit ac mereatur. Quare vt paucis concludam omnia, quemadmodum est generalis iustitia, quæ legitima; & particularis, quæ propriè Ethica seu moralis dicitur: ita est generalis iniustitia, quæ in omni vitio; & particularis, quæ in propriâ materiâ cernitur: generalis seu illegitima est (definiente philosopho) omne vitium, vel (si placet) est deprauatus habitus animi, quo quis magistratu & dignitate fungens à sancta legum gubernatione deficit, suosque subditos vitiorum contagione infici & conspurcari sinit. Particularis iniustitia est appellata iniquitas, quâ aliquis plus minusque accipit aut tribuit, quàm dignum est ac oportet. Sequitur nunc, vt de partitione iniustitiæ particularis in commutantem ac distribuentem agamus, quæ in proxima quęstione fusiùs explicabitur.

Contraria contrariorũ est ratio.

Iniustitia Gener. Partic.

Iniustitiâ generalis quæ.

Iniustitia particularis.

Iusti. { Generalis, quæ in conseruandâ societatis humanæ æquâ litate versatur. { Ius diuinum, quod officium hominis erga Deum continet. / Ius humanum { Naturale, vt quod tibi fieri non vis alteri ne feceris.

tia

tia est duplex { tur, bonũq; commune respicit, & hæc comprehendit. { manũ, quod est vel { Legale, quod versatur in vsu omnis virtutis, cuius actum lex præcipit, hinc omnes virtutes in hac solâ iustitia cõprehẽdi dicuntur.

Specialis, quę est duplex, { Cõmutans, quæ in commercijs atque negotijs æqualitatem seruat. { De quibus in proximo capitulo dicemus.
Distribuens, quæ in præmijs & pœnis pro vniuscuiusq; merito proportionem considerat.

Opp.

Omnis virtus non est iustitia, ergo in calce primi capitis non rectè dicit philosophus re confundi iustitiam omnemq; virtutem.

Resp.

Consideratur virtus duobus modis: vel

Absolutè, vt est habitus per quem homo rectè disponitur in ordine ad seipsum, & sic omnis virtus non est iustitia.

Comparatè, vt est habitus per quem homo rectè disponitur in ordine ad bonũ commune, & sic omnis virtus legalis iustitia hoc loco dicitur, omnium enim & singularum virtutum actiones lex, quæ est iustitiæ norma, iubet prohibetq; contrarias.

Opp.

Opp.

Frustra habetur tam verbosa apud philosophum de iustitia disceptatio, si nulla iustitiæ à reliquis virtutibus haberetur distinctio: præterea in 2. lib. numeratur iustitia vt distincta virtus à reliquis: ergo aut hîc aut illic malè assignatur.

Resp.

Etsi iustitia legalis sit omnis virtus in ordine ac relatione ad commune bonum: est tamen distinctio, si reliquæ virtutes in se suaq; propriâ essentiâ considerentur. Virtutis ratio duplex. *Est enim duplex cuiusq; virtutis consideratio: altera propria & absoluta, altera communis & respectiua: secundum illam re distinguitur à iustitia, secundum hanc, ad illam vt ad totum vniuersale refertur. Exempli causa, temperans per habitum tẽperantiæ castè & sanctè viuit, & hoc est bonum proprium ac singulare: temperans autem castè sanctéq; viuendo concîui per concupiscentiam nec damnum nec iniuriam facit, & sic est bonum publicum ac commune: illo modo accepta temperantia distinguitur à iustitia, hoc verò modo accepta ad illam reducitur. Aliter respondent interpretes, quòd particularis iustitia (quæ in commutantem ac distribuentem diuiditur, quæq; in hoc libro potissimum tractatur) à reliquis virtutibus & re, & ratione differat.*

Opp.

Virtus & obiectũ re differunt (vt patet de liberalitate & pecunia) sed omnis virtus est obiectũ seu materia iustitiæ legalis: ergo iustitia legalis ab alijs virtutib. re differt. Minor patet, quia commune bonum, quod est obiectũ iustitiæ, nihil aliud est quàm tota (vt ita dicam) virtus.

Resp.

Resp.

Bonum cõmune bifariam consideratur.

Bonum commune consideratur bifariam, aut quoad

Habitum & essentiam in ordine ad personam, & sic non est obiectum legalis iustitiæ, sed ipsa virtus.

Actum, modum, & vsum in ordine ad rempublicam & sic est obiectum legalis iustitiæ. lex enim præsupponit habitum in homine, & iubet actum vsumq; virtutis in ciuitate.

Opp.

Actus reliquarum virtutum & obiecta re differunt ab actu & obiecto legalis iustitiæ: ergo à legali iustitia specie differunt. Antecedens patet, quia quælibet virtus habet proprium actum propriumq; obiectum. Ratio tenet, quia illæ virtutes essentialiter differunt, quarum actus & obiecta specie distinguuntur.

Virtutes vt discrepant essentiâ.

Resp.

Quamuis à quibusdam obligatio legis vt materia, & adæquatio rerum vt actio iustitiæ legalis assignetur, vt habeatur specifica (vt aiunt) distinctio inter iustitiam reliquasq; virtutes: omni tamen curiositate veterum remotâ dicendum est (vt suprà) quòd iustitia & virtus (vniuersim sumpta) in ordine ad commune bonum actu & obiecto non differant. Nam virtus hominem aut perficit in seipso, & sic distinguitur specie: aut hominem perficit in relatione ad bonum ciuitatis, & sic non distinguitur à iustitia.

An iustitia sit nobilissima virtutum?

Opp.

Opp.

Fortitudo teste philosopho circa maximè difficile versatur. ergo est nobilissima virtus.

Resp.

Dignitas virtutis pẽdet, vel à

- *Subiecto: & sic sapientia est nobilissima, quia est in mente diuinâ.*
- *Materia seu obiecto: & sic fortitudo dicitur omnium virtutum præclarissima, quia circa mortem bellicam versatur.*
- *Fine: & sic hoc loco iustitia appellatur maximè Heroica, quia non suum, sed commune bonum ciuitatis respicit.*

Opp.

Honorificentius est dare suum quàm dare alienum: sed magnificentiæ est dare suum, iustitiæ dare alienum: ergo magnificentia est virtus nobilior iustitiâ.

Resp.

Non est honorificentius dare suum, quàm alienum: si finem iustitiæ spectes, qui est non sibi sed ciuitati prodesse, quo quidem nihil honorificentius esse potest.

An rectè definiatur iustitia?

Opp.

Iustitia definitur per res iustas, ergo malè definitur. Argumentum probatur. quia non iusta agendo, sed iustè agendo denominamur iusti. Præterea idem per idem definiri non potest: sed iustum & iustitia sunt eadem, cum

sint coniugata: ergo non rectè per iustum definitur iustitia.

Resp.

Res iusta in definitione iustitiæ sumitur pro æquali in ordine ad bonum ciuitatus, quod est, vel

- *Arithmeticum: cum verbi causâ tantundem redditur quantum adimitur, vnde ius naturale deriuatur.*
- *Geometricum, quod est, vel*
  - *Priuatum, quoad personam ex placito, quando quis se contentum putat.*
  - *Publicum, quoad rem publ. ex præscripto magistratus, vnde ius positiuum nascitur.*

Opp.

Iurisperiti aliter definiunt iustitiam quàm Arist. ergo vna non videtur bona.

Resp.

Iustitiæ definitio duplex, iurisconsultorũ, & Aristotelica, re vna est.

Quamuis verbis differunt, re tamen conspirant. In vtraque enim insinuantur hæc tria, cõstantia voluntatis perpetuitas intentionis, vniuersalitas legis: quibus addi potest ciuitatis in ordine ad publicum bonum conseruatio.

Opp.

Nulla virtus moralis est perpetua, ergo malè attexitur in definitione iustitiæ, vt sit voluntas perpetua.

Resp.

Perpetua dicitur non quòd non dormiat aut moriatur

tur iustus, sed quia iustè agens propositum perpetuò agendi iusta retineret, vt ciuitati quæ semper viuit, quantum in se est, prouideret. Iustitiæ quomodo sit voluntas perpetua.

Vtrùm iustitia legalis versatur circa passiones animi? Dub.

Opp.

Duæ sunt rationes in hoc cap. quæ probant iustitiam circa actiones solùm versari. Prima est, quia iustitia respicit opera externa & aliena, 2 est, quia non in appetitu (in quo sunt affectus) sed in solâ voluntate ponitur iustitia.

Resp.

Opus nullius virtutis rectè perficitur, nisi primùm affectus animi superetur. Est quidem hominis cupiditatem lucri reprimere, aliasq; passiones refrænare, antequam iustus habeatur. Hinc iudex æquus sine oculis & manibus rectè depingitur: sine oculis ne videat affectum, sine manibus ne capiat pecuniam quæ est corruptela hominum. Quare respondendum est ad argumenta, quod Aristot. non intelligat iustitiam versari solùm circa externa opera, aut ita esse in voluntate, vt non omnino fumos & flammulas affectuum sentiat: sed hoc præcipue contendit docere, nempe iustitiam inter cæteras virtutes maximè ad aliud referri, alienumq; bonum, idq; non vnius hominis sed totius ciuitatis maximè respicere ac intueri. Affectus superandi homini iusto. Iusti iudicis viua imago. Iustitia in voluntate quomodo ponatur.

Vtrùm ius, iustum, lex, iustitia, & actio iusti differant?

Ius, iustum, lex, iustitia, iustificatio quomodo differant.

Differunt hæc definitione, nam

- *Ius est præceptum seu præscriptũ domini tenens in bonum subditorum, hîc verò dominus est, vt*
  - *Deus, vnde ius diuinum*
  - *Natura, vnde ius naturale*
  - *Homo, vnde ius humanum*

  constituitur.
- *Iustum est, quod cuiq; secundum ius id est secundũ præceptum ac præscriptum domini concessum est.*
- *Lex est norma rationis, domini imperiũ ac subditi officium continens: & hæc est vel*
  - *Innata quæ naturalis,*
  - *Scripta quæ ciuilis*

  dicitur.
- *Actio iusti est operatio procedens ab habitu iustitiæ.*
- *Iustitia est ipsa virtus, de quâ anteà.*

Opp.

Ius naturale non est præceptum domini: præterea ius aliquando est ex pacto & consensu æqualium: ergo rectè non definitur præscriptum domini.

Resp.

Natura est quodammodo humanarum rerum & actio-

actionum domina, cuius leges ac præscripta infixa & inconcussa manent. Ius quoq; ex pacto & consensu legis & rationis præceptum sequitur: vnde ius à quibusdam obligatio seu facultas ad aliquid faciendum, vel non faciendum ex lege, consuetudine, iudicato, vel pacto definitur: in quibus omnibus quidam principatus domini ordinantis omnia ad commune bonum insinuantur.

Natura quomodo sit actionũ domina.

Cap. II.

An præter generalem iustitiam ponenda sit particularis?
An particularis rectè diuidatur in commutantem ac distribuentem?

QVoniam iustitia est tacita naturę connexio, ac societatis humanæ vinculum, quo firmo ac stabili omnia in ciuitate constant & cohærent, quo dissoluto ruunt? necesse est vt (præter hanc rasam tabulam, in quâ solùm facies iustitiæ cernitur) alia eiusdem lineamenta, ac veluti membra speculemur: pergit ergo Aristot. ac instar Apellis, qualis sit hæc regina virtutum, quàm pulchra, quàm necessaria, penicillo suo graphicè & artificiosè depingit. Est inquit præter illam in genere iustitiam alia, quæ

Distribuentis & commutantis iustitiæ discrimen.

distincta pars ac ſpecies virtutis dicitur. Hanc in diſtribuentem & commutantem diuidit, illam in præmijs & pœnis, hanc in cõmercijs ac negotijs ciuitatis conſtituit, illam definit eſſe virtutem, quâ vnicuiq; pro merito de publicis communibusque bonis tribuitur, hanc etiam definit virtutem, quâ æqualitas, ac veluti arithmetica proportio rerum inter homines ſanctiſſimè obſeruatur. Per arithmeticam proportionem in hac definitione nihil aliud intelligo, quàm verbi causâ, vt tantum detur pretium, quanti res empta & commutata valet. Eſt ergo cõmutans iuſtitia ſumma pacis conſeruatrix, vt religioſè ſeruata æquitate, omnes iniuriæ ac damna reſarciantur. Fruſtra enim pacem in ciuitate tueri contendit, qui æquitatis formam non dilexit: at labitur æquitas, vbi æqualitas non ſeruatur. Sed pergo: huius virtutis nempe commutantis materia in pactis & commercijs cernitur, quorum alia ſunt voluntaria, vt vẽditio, emptio, mutuum, ſponſio, locatum, depoſitum, cõductum: alia ſunt non voluntaria, & hæc ſunt aut clandeſtina, vt furtum, adulterium, venefici-

Diſtribuens iuſtitia quæ.

Cõmutans iuſtitia quę.

Proportio Arithmetica quid.

Materia cõmutantis iuſtitiæ.

Quot pactorum genera voluntaria.

Quot non voluntaria.

Clãdeſtina.

ficium, lenocinium, seruorum sollicitatio, cædes dolo facta, falsum testimoniū: aut violenta, vt vincula, mors, rapina, membrorum debilitatio, conuicium, cōtumelia, quæ omnia apud philosophum in calce huius capitis recensentur. In his & similibus versatur hæc pars iustitiæ, vt omnia ad æqualitatem rationis (in qua inest summa animorum consensio) tendant & perducantur. Neglectâ enim iustitiâ in istis, fraus, discordia, ruina omniū, omniaque mala in ciuitate consequuntur. Altera species, nimirum iustitia distribuens non æqualitatem quantitatis, quæ est arithmetica, sed æqualitatem proportionis, quæ est geometrica, respicit & obseruat. Bona enim ciuitatis nō sunt æqualia, nec ciues inter se officio ac dignitate pares. Sed de istâ duplici proportione vtriusq; in proximo capite pluribus disputabitur.

Violenta.

Proportio iustitię distribuentis geometrica.

Distinctio ex Burleo.



do

do hominibus pro meritis iustè & sollicitè occupatur.

Mutilatio, quæ est membrorum in corpore obtruncatio.

Conuicium, quod est alienæ famæ malitiosa vulneratio.

Contumelia, quæ est tam in factis quàm in dictis alterius nominis ignominiosa detractio, vel potius vt ait Boetius inuidiosa contemptio.

Opp.

Iustitia legalis sufficit ad instituendum hominem in in his quæ sunt ad alterum, vt est in textu: ergo non opus est iustitiam particularem addere.

Resp.

Iustitia legalis sufficit ad instituendum hominem in ordine ad bonum commune, requiritur particularis iustitia, quæ perficit hominem in seipso.

Opp.

Posito toto ponuntur & partes: sed iustitia legalis est tota virtus, vt habetur in textu: ergo in ea iustitia particularis continetur.

Resp.

Posito toto ponuntur & partes confuse, sed non distinctè. Posito toto ponuntur partes.

Opp.

Species nulla re distinguitur à suo genere: sed particula-

cularis iustitia est species legalis iustitiæ, ergo ab illa non distinguitur.

Resp.

Etsi re non distinguitur species à genere quoad materiam, distinguitur tamen quoad formam, vt patet in homine & animali: quare ad distinctam scientiam iustitiæ, necesse est præter iustitiam communem aliam particularem ponere ac definire.

Opp.

Particularis nec subiecto, nec obiecto, nec fine differt à legali: ergo non distinguitur.

Resp.

Iustitia particularis à legali differt.

Quamuis in istis reipsa non differt, in ratione tamen vsúq; horum omnium ab illa distinguitur. Nã subiectum legalis iustitiæ est publica persona, subiectum verò particularis iustitiæ est priuatus homo. Præterea iustitia communis bonum ciuitatis, particularis verò bonum operantis respicit: Ad hæc obiectum legalis iustitiæ est omnis actio humana sub ratione debiti, ad quod lege obstringimur: obiectum verò particularis iustitiæ est omnis actio humana sub ratione boni, ad quod sponte allicimur. Postremò iustitia legalis requirit vniuersam prudentiam, vt rectè in omnibus dirigatur: at iustitia particularis requirit propriam prudentiam, vt circa suam ipsius materiam iustè & honestè versetur.

Opp.

Legalis iustitia totam rempub. particularis priuatam personam respicit: ergo si proportio obseruetur, deberet assignari & alia iustitia, quæ familiam & dominum respice-

spiceret. Nam familia inter ciuitatem & solitarium hominem medium quasi locum vendicat.

Resp.

Domus (vt ait philosophus) est quasi parua ciuitas: quare vt illa sub ciuitate, ita particularis iustitia, quæ regit domum, sub communi æquitate comprehenditur.

Argumenta in 2. quæstionem.

Opp.

Vnum & multum diuersitatem materiæ non formæ discrimen arguunt: sed iustitia commutans & distribuens hoc solùm modo differunt: quia illa vni, hæc multis tribuit: ergo specie non differunt, & ex consequenti, iustitia in has species non rectè diuiditur.

Resp.

Hoc solùm modo non differunt, sed etiam in obiecto & fine, vt anteà probatum est, distinguuntur.

Opp.

In eodem subiecto numero diuersæ species esse non possunt: sed iustitia commutans & distribuens sunt sæpe in eodem subiecto numero: ergo non sunt diuersæ species. Minor patet, quia idem homo potest & cõmutare & distribuere.

Resp.

In eodem subiecto prædicationis diuersæ species inesse non possunt, vt homo & bellua non sunt in Socrate: sed in eodem subiecto inhæsionis inesse possunt: vt diuersæ virtutes specie in vno singulari sæpe inhærent.

Vtrùm

Vtrùm iuſtitia particularis ab alijs virtutibus obiecto, actione, ac proprietate differat?

Opp.

Qui temperanter ac fortiter agit, iuſtè agit: ergo actione ab illis non differt. Præterea cupiditatem pecuniarum tam iuſtitia quàm liberalitas moderatur: ergo proprietate ab illis non diſtinguitur. Poſtremò iuſtitia circa honorem pecuniam, aliarumq; virtutum omnium materiam verſatur: ergo ab illis obiecto non ſeiungitur.

Reſp.

Particularis iuſtitiæ propria actio, materia paſsio.

Fatendum eſt in actione, obiecto, ac proprietate ſuiè ſumptis iuſtitiam cũ alijs virtutibus conſpirare, ab his tamẽ per ſe ac propriè acceptis reipſa diſtinguitur: eſt enim propria particularis iuſtitiæ actio diſtribuere, vel commutare: eſt quoq; eiuſdẽ propria materia res omnes in commutatione ac diſtributione poſita: eſt denique propria paſſio iuſtitiæ ad alterum non ad ſeipſum referri.

Dubium.

An verum ſit illud in textu Ariſt. adulterum non eſſe, qui lucri non concupiſcentiæ causâ alienam contrectet vxorem?

Opp.

Qui thorum alterius contaminat, eſt adulter: ſed qui lucri causâ alienam contrectat fœminam, thorum alterius contaminat. ergo eſt adulter.

Reſp.

Resp.

Non negat philosophus adulterum esse, sed contendit probare potiùs iniustum, cupidum & auarum esse appellandum: quia non concupiscentiam fœdæ voluptatis, sed cupiditatem & sitim pecuniarum secutus hoc scelus perpetrauit.

Opp.

Lucrum sequitur adulterium, quod lucri causâ committitur: ergo eiusdem maculam ac denominationē non tollit: quippe priùs à posteriore non tollitur.

Resp.

Lucrum sequitur in actione, sed in proposito ac intentione animi præcedit, præsertim cum non propter delectationem, sed propter quæstum tale perpetretur flagitium. Quare vt qui telo in scopum missō, quamuis fortè occidit hominem, pro homicida lege non condemnatur: ita qui lucro solùm proposito adulterium committit, potiùs auarinomine quàm adulterij crimine dignus iudicatur. Elegans auari & adulteri dissimilitudo.

Cap. III.

An iustitia distribuens sit medium geometricum?
An proportio munerum respondere debeat dignitati personarum?
An honor tribuendus sit regibus ob solam virtutem?

DIgna res est iustitia (vt ait Plato) sed cōstans & perpetua eiusdem actio omnium virtutum dignitatem Virtus in vsu cernitur.

tatem ſuperat. Vt enim gladius non in vagina ſed in manu prodeſt: ita virtus nō in mente ſed in actu vſuq; cernitur. Quare non ſatis iam eſt definijſſe iuſtitiam, niſi etiam adhibeantur quædā nunc ſequentia præcepta: in quibus veluti motus æquitatis & iuſtitiæ ad quietem reipublicæ explicetur. Hinc paucæ numero, ſed fructu plenæ deinceps mouentur quæſtiones: quarum aliæ actum, aliæ materiam, aliæ proportionem, omnes deniq; fructum & excellentiam iuſtitiæ nobis proponunt. Inter quas prima eſt, an in diſtribuente iuſtitia ponenda ſit geometrica proportio: hoc eſt, an impar & inæqualis bonorum communium, veluti ex ærario ciuitatis deſumptorum, pro prudentia magiſtratus ſit adhibenda partitio? ſi philoſopho credatur, affirmandum eſt. Cęterùm in hac diuiſione rerum ſpectanda ſunt quatuor, res ipſæ, perſonæ, perſonarum merita, & proportio: quæ quatuor minima in textu vocantur. Verbi causâ, Res ſunt quæ diſtribuuntur, perſonæ quibus munera & dignitates reipub. debētur, perſonarum merita ſunt quę præcipuè ad virtutem

Summa ſequentis libri.

In diſtribuente iuſtitia quatuor ſpectanda. Res, Perſonæ, Merita, Proportio.

tutem referũtur, proportio deniq; est (vt ita loquar) rerum ipsarum quantitas, quæ in distributione obseruatur. Sed attende. Nam hæc proportio duplex est, rerum ac rationũ: illa in cõmutante iustitia, hæc in distribuẽte cernitur: illa arithmeticam & incõmutabilem æqualitatẽ sine respectu personarum, hæc geometricam & cõmutabilem æquitatem cum respectu meritorũ munerũq; respicit. Cõmutans. n. iustitia nõ quærit, quis fecerit, princeps an sub ditus, diues an pauper, magistrat⁹ an ciuis, doctus an ignarus, bonus an malus, vir, an mulier: sed hoc solum conatur sine personarũ acceptione, damnũ & iniuriam, plus & minus iudicij lance ponderare, & æqualitatis lege resarcire: vt habetur in 4. c. hui⁹ libri. Verba philosophi sunt ista; Nihil interest vtrùm bonus vir sceleſtũ spoliauerit, an bonum improbus: lex enim damni solùm spectat dissimilitudinem, &c. Est ergo distribuens iustitia medium geometricum, definiturque habitus inclinans flectensq; hominem ad distribuendum bona communia reipub. puta honores, munera, & diuitias secundum merita virtutis & pro-

Vt iustitia sic proportio est duplex.

& proportionem rationis: quæ proportio est, vt habetur in textu, aut coniuncta, si rebus & personis in aliquo termino iustitiæ deuinctis, aut disiuncta si rebus ac personis nullo æquitatis medio copulatis applicetur. Exemplū est apud philosophum difficile, sed facilī sic explicatur. Ponatur A pro viro cōsulari. Ponatur B, pro dignitate eidē viro propter virtutem debitâ. Ponatur C, p ipsa virtute, quę est veluti medium viri ac dignitatis. Ponatur D, pro ipsa ꝓportione rationis. Nunc vt A. i. vir cōsularis refertur ad B, id est ad dignitatem, ita & A & B, id est vir consularis & dignitas ad C, id est ad virtutē referuntur. Sic tamen vt in D, id est, in proportione rationis tanquam in medio geometrico & quoad nos hæc omnia deuinciantur. De hac Analogia alia iam mouetur quęstio, An proportio munerum & bonorum respondere debeat dignitati personarum? soluitur hæc dubitatio vno verbo, nempe quòd dignitas sit duplex, alia absoluta, alia comparata: illa in sola virtute, hæc in fragili natura ac blandiente fortuna constat: illa summos honores per se meretur, hæc etiam

Quæstio. 2.

in

in politico vsu ciuitatis loca excelsa quærit. Natura enim sæpe honorem tribuit, cum successione potiùs quàm electione principes creari voluit, quibus tam malis quàm bonis omnem honorē, omnemq; obedientiam præstare oportet: quia totius reipubl. personam induerunt. Verùm enim verò in hoc maximè candor ac prudentia magistratus perspicitur, si pro meritis virtutum ac sciētiarum (quas honos alit) homines in theatrum ac lucem reipub. pertrahātur. Sed (proh dolor) quàm difficilis est bonis ac studiosis hominibus honoris via, quàm periculosa dignitatis custodia, quantam iacturam tum sentit respub. cum pernicioſis ciuibus eiusdem diuidantur beneficia? Hoc tamen toties contingit, quoties distribuentis iustitiæ manu ciuitatis claues non tenentur. Vsus distribuentis.

Postremam dubitatiunculam obiter reteximus, nempe Regibus non solùm ex merito virtutis, sed etiam ex præscripto naturæ ac ciuitatis, honorem tribui debere. Nam quamuis soli virtutis actioni secundum philosophum per se & vi sua debeatur honor, lege tamē naturæ, quæ san- Quæstio. 3.

guinis ſucceſſione multis imperium tradidit, legeq́; iuſtitiæ, quæ idem imperium ad tollendum omnis ambitionis periculum confirmauit, obſtringimur, nec non tenemur ſummos honores regibus noſtris demandare.

Diſtinctio primæ quæſtionis.

Medium diſtribuentis iuſtitiæ à medio commutantis quomodo differat.

Medium diſtribuentis iuſtitiæ à medio commutantis differt trib. modis,

Quia medium diſtribuentis ponderatur ſecundum merita perſonarum, at medium commutantis iuſtitiæ non item.

Quia perſonæ commutantes ſunt ante commutationem æquales in ordine ad rem commutabilem, at in diſtribuendo non ſunt, nam ſi Socrates plus duplo laborauerit quàm Plato, plus duplo dignitatis ei debetur.

Quia commutans detrahendo & addendo rei proportionem ſpectat, vt damnum & lucrum, plus & minus ad æqualitatem reuocet, ſed ita in diſtribuente iuſtitia non agitur, quæ acceptione perſonarum & terminorum ponderat.

Diſtinctio ſecundæ quæſtionis.

Proportio eſt duplex,

Rei, & ſic ſemper dignitati perſonarum non æquiualet.

Rationis, quę eſt geometrica præmiorum ac honorum diſtributio, prout merita hominum poſtulant, & iuſtitia diſtribuens præſcribit, & ſic æquiualere debet.

Diſtin-

Distinctio tertiæ quæstionis.

Regi tribuendus est honor, aut
- Absolutè, si vir bonus sit.
- Comparatè, siue sit bonus siue malus propter officiũ, repræsentat enim
  - Totã ciuitatem quàm lædere non licet.
  - Diuinam iustitiam & æquitatẽ, cui resistere non oportet.

Regi etiam malo tribuendus est honor,

Argumenta in primam quæstionem.

Opp.

Iustitia tribuens multitudini nocet: ergo non est virtus, & ex consequenti non est medium: Antecedens probatur quia distribuendo bonum commune quod est totius populi ac multitudinis, veluti ærarium exhaurit & consumit.

Resp.

Non exhaurit gazam ciuitatis, sed pro virtutis merito, opes eiusdem honoresq; prudenter ac moderatè distribuit.

Opp.

Opus iustitiæ est suum cuiq; reddere, sed distribuens iustitia non suum sed nouum, non proprium sed commune ac publicum bonum tribuit: ergo non est propriè appellanda iustitia.

Resp.

Suum & proprium tribuit. Nam bonum quod est totius, est etiam quodam respectu partis, si mereatur. Est

enim inter totum & partes quædam consensio ac veluti reciprocatio.

Opp.

Consideratur dignitas personæ in commutante iustitia non minus quàm in distribuente: ergo hoc discrimen vtriusq; medij malè in textu assignatur. Antecedens probatur quia docente philosopho non licet principem percutientem repercutere: quod quidem non diceret, si dignitatis nulla in commutante iustitia haberetur consideratio.

Resp.

Princeps cur non sit percutiendus.

In commutante iustitia non attenditur dignitas personarum, sed æqualitas inæqualitasq; rerum, vt puta damni & lucri. Quòd verò non liceat principi percutienti vim inferre, non dicitur respectu dignitatis, sed respectu læsæ communitatis, quæ vulnerato principe maximum damnum ac nocumentum patitur. Iustitia in hoc casu non dignitatem viri, sed inæqualitatem damni respicit.

Opp.

Omnis virtus est medium geometricum & quoad nos: vt docetur in secundo libro: ergo hoc discrimẽ mediorum in tractatu iustitiæ malè assignatur.

Resp.

Omnis virtus est medium quoad nos, si actum spectes, non tamen ita se res habet, si vel habitum vel proportionem consideres in commutatione rerum.

Argu-

Argumenta in secundam quæstionem.

Opp.

Virtus nunquam satis remunerari potest: ergo proportio munerum viri boni ac studiosi dignitati respondere non potest.

Resp.

Etsi re non potest, rationis tamen lege potest.

Opp.

Est respectus personarum secundum iustitiam distribuentem, qui (vt ait philosophus in textu) sæpe seditionem parit: ergo non videtur in ea obseruari proportio.

Resp.

Est respectus, sed secundum prudentiam, vt quisq; pro merito virtutis ad dignitatem in republica aditum patentem habeat.

Argumenta in tertiam quæstionem.

Opp.

Laus & honor definiuntur, reuerentiæ extrinsecus datæ hominibus in signum virtutis, quâ alijs præluceant; ergo malis regibus non debentur.

Resp.

Nota.

Est virtus duplex,
- Viri, quæ honestam vitam & decoram reddit, & huic honor & laus per se debentur.
- Officij, quæ aliquãdo in malo ciue ac rege esse potest, vt habeatur in politicis, & huic etiam laus honorq; debentur respectu
  - Naturæ, qua sanguinis successione hanc dignitatem dedit.
  - Ciuitatis, cuius personam rex semper induit.
  - Diuinæ iustitiæ, qua malis regib. in scelera aliquando hominum iustè animaduertit, quibus resistere est, quantum in nobis est, diuinam prouidentiã tollere.

Opp.

Maxima mala grauissimam ex præscripto iustitiæ merentur pœnam: sed mali principes maxima sunt mala (cum in perniciẽ totius ciuitatis tendant) ergo maximam merentur pœnam, id est, ignominiam, & proinde sequitur quòd honore non sint afficiendi.

Resp.

Reges soli deo subijciuntur.

Attendendum est, quòd reges nemini subÿciantur nisi deo & naturæ. Nam illis tota respublica tantùm æqualis est, multitudo verò inferior: cum ergo neq; par in parem, neq; inferior in magistratum authoritatem habeat: relinquitur in ratione iustitiæ, quòd nemo principi aut pœnam infligat, aut ignominiæ notã inurat. Quare si mali

(vt

(vt sæpe) contingant principes, ex æquitate iuris est, vt propter causas superiùs allatas debito honore insigniantur. Furor ergo est arma in regem sumere, ac maiestati violentas manus inferre. Hoc Dauid in reprobum Saulem non fecit, quem bis potuit transfigere: sed in eum qui simulauit se obtruncasse regem, grauius animaduertit, eumq; propter audax facinus simulatũ morte mulctauit.

Regi violentæ manus inferendæ non sunt.

Cap. IIII.

An iustitia commutans sit medium rei inter damnum & lucrum?
An specie distinguatur à distribuente?
An iudex, damnum, & lucrum rectè definiantur?

SEquitur vt de commutante iustitia nunc disputemus, quæ in contrahendis rebus tam voluntarijs quàm non voluntarijs cernitur: vt enim distributio honorum cum prudẽtia magistratus, ita commutatio rerum cum prudẽtia Iudicis ac moderatoris, plurimũ ad forensem ciuitatis statum corroborandum pertinet. Quippe si in contractib. vt in honoribus non obseruetur æquitatis proportio, pculdubio statim accensâ veluti seditionis face summa inter ciues suboriretur cõtentio. Sed vt textum philosophi in hoc capite referemus, alienum nõ

Quorsum spectat commutatio.

erit ab instituto, si omnia quę hîc agũtur, ad pauculas cõclusiones reuocem⁹. Sunt ergo numero sex, quarum prima à definitione iustitiæ commutantis: secunda à distinctione medij: tertia à comparatione contrarij: quarta à relatione ad iudicem ac magistratum: quinta à proportione & exemplo: postrema à fine & effectu ducitur. In prima conclusione definit philosophus commutantem iustitiam esse virtutem, quâ omnia negotia, omnesque contractus inter ciues ad proportionẽ arithmeticam reducuntur. In secunda docet ideo hanc partem iustitiæ esse medium rei, quia non dignitatem hominis, sed æqualitatem iuris respicit. In tertia lucrum & damnum, vt quædam oppositæ iustitiæ commutantis definit, nempe vt lucrum dicatur quando plus boni & minus mali: damnum verò quando plus mali & minus boni in commutatione existit. In quarta iudicem oraculum ciuitatis, moderatorem iustitiæ, legemq; loquentem esse ostendit. Nam vt lex mutus magistratus: ita iudex lex animata dicitur. In quinta exemplum arithmeticæ proportionis tradit,

Conclusiones sex.

Cõmutans iustitia quid.

Lucrum & damnum rei quid.

Iudex lex animata.

tradit, idemq; ad iustitiam cõmutantem applicat. In vltimâ quæstum sine iniuria, pacem sine discordia, possessionem proprij iuris sine inuidia æquitatis euenta esse insinuat. Ex hisce conclusionibus eximuntur tres illę quæstiones, quas in fronte istius capitis præfixas esse vides. Prima est, an iustitia commutans sit medium arithmeticum inter damnum & lucrum, interq; agere ac pati iniuriam? Affirmat esse philosophus, quia non personam, sed rem ipsam; non dignitatem hominis, sed æqualitatem legis; non affectionem animi, sed proportionem rei; non meritum anteactæ vitæ, sed reatum præsentis facti respicit ac intuetur. Si vrgeas pati damnũ aut iniuriam, non esse vitium, quia sæpe innocentes iniustè condẽnantur, respondeo iterum in hac parte virtutis nõ dignitatem personæ, sed æqualitatem rei considerari, cuius respectu damnum quędam à medio rei defectio ac declinatio dicitur, & hoc est satis ad probanda opposita eius virtutis, quæ rem solam, non personam respicit. Altera quæstio, an hæc pars iustitiæ ab altera nempe distribuente spe-

Quæstio 1.

Iustitia rem non personã affectat. Quæst. 2.

cie & naturâ differat? Antea à nobis obiter discussa est, quare punctis concludo cum philosopho, illas specie differre, quia hæc est medium rei, illa rationis; quia hæc bonum proprium, illa bonum totius ciuitatis; quia hæc æqualitatem rei, illa dignitatẽ personę tractat & considerat, hoc est, in ratione medij, obiecti, finisq; differũt: ergo specie & naturâ distinguuntur. Postrema quęstio est, an iudex, lucrum, & damnum rectè definiantur? Vtinam sanè, Mutius Scęuola oraculum ciuitatis Romanæ hîc adesset, vt definiret iudicẽ. Videor mihi audire senem docentem iudicem esse dicendum illum in ciuitate magistratum, qui nec affectib. flecti ad iniuriam, nec pecunijs moueri ad iniquam sententiam deberet. Si enim toties condẽnetur iudex, quoties aut lupus absoluitur, aut agnus occiditur, qualis esse deberet in ciuitate iudex, nemo est qui nõ intelligat. Vis vt vno verbo definiam? Est oculus in sceptro principis, est sacerdos diuinæ iustitiæ & æquitatis, est moderator legis, est ipsum ius animatũ, cuius vox vitæ & mortis prænuncia & custos dicitur. Caueat hîc ma-

Quæst. 3.

Iudicis definitio.

Nota.

Iudicis descriptiones metaphoricæ & elegantes.

malus & iniquus iudex, qui sacra iustitiæ iura rescindit, cogitet secũ adesse semper in iudicio Cambysem.i.regem suum, qui impiè & corruptè iudicãti corium detraxerit. Audiat sapientem Hesiodum,

Tu iudex causa malorum
Qui violas sacra iura dei: iam dirige mentem,
Ius cole, in alterius te nulla pecunia vertat
Damna: nocet sibi qui cuiquã nocet, & malè suadet.

Iudicis officium ex Hesiodo.

Iterum paulò post sic loquitur,

Paulatim corruit ille
Dijs inuisus homo, cui mens intenta rapinis
Inuigilat, qui ius violat, stat pœna nocenti
Post obitum.

Magnum profectò iudici dãnum est, cui mala fama lucrum. De damno & lucro nihil hîc addam, quia antèa in cõclusionibus textus à nobis sunt definita. Ad distinctiones ergo & argumenta iam veniemus.

Distinctio prima quæstionis.

Extrema dicũtur, aut respectu

- Mediocritatis & quoad nos, & sic sunt duo vitia, quæ omnes reliquas antè tractatas virtutes vtrimq; obsident & inuadunt.
- Aequalitatis quoad rem ipsam, & sic damnum & lucrum pro extremis habentur, inter quę iustitia commutans, vt æquale ac medium arithmeticum versatur.

Extrema iustitiæ duplicia.

Distin-

Distinctio secundæ quæstionis.

Iustitia commutans specie differt à distribuente, quia ab illa distinguitur, in ratione { Medij, Obiecti, Officij, Finis } De quibus superiùs est satis dictum.

Distinctio tertiæ quæstionis.

Iudicis duplex definitio. Iudex definitur, aut { Metaphoricè, & sic vt supra describitur. Verè, & sic est legis publicus interpres ac minister iustitiæ, ad quem vt ad cõmune subsidium, omnes damno & iniuriâ oppressi æquitatis obtinendæ causâ confugiunt.

Opp. contra primam quæstionem.

Damnum & lucrum non sunt vitia: ergo iustitia non est medium inter duo extrema.

Resp.

Sunt vitia id est excessus & defectus respectu rei circa quam versantur: non tamen sunt respectu viri in quo insunt ac reponuntur.

Opp.

Damnum pati est aliquando voluntarium: ergo potest esse vitium viri, quod in textu negatur. Antecedens patet, quia multi damnum & iacturam suarum rerum patienter ferunt.

Resp.

Etsi sit voluntarium aliquando, non tamen sequitur esse

esse vitiosum, nisi ex pusillanimitate contingat, & hoc respectu crimen esse non negatur.

Opp. contra secundam quæstionem.

Et commutans & distribuens iustitia versantur circa pecuniam: ergo versantur circa idem obiectum: vnde sequitur specie nō distingui, quia obiecto non differunt.

Resp.

Duplex est obiectum vtriusq;
- *Formale & proprium, in quo distinguuntur vt superiùs probatum est.*
- *Materiale & commune, in quo non differunt.*

Opp.

Vtraq; ad reipub. bonum ac fœlicitatem refertur: ergo officio ac fine non differunt, & proinde illa ratio debilis est, quæ ab officio & fine ducitur.

Resp.

Fatendum est vtramq; ad reipub. bonum ac fœlicitatem referri, sed non eodem modo. Nam distribuens iustitia ad dignitatem personæ, commutans verò ad æqualitatem rei ac iuris refertur.

Opp. contra tertiam quæstionem.

Rex & iudex officio differunt, sed rex definitionem iudicis superiùs allatam potest suscipere: ergo non rectè definitur iudex.

Resp.

Resp.

Quamuis rex & iudex differunt, licet tamen regi (quia in summo loco reipubl. sedet) authoritatem iudicis exercere. Est enim rex (vt ita loquar) tota ciuitas.

Opp.

Damnum non semper dicitur vbi est plus mali ac minus boni: ergo malè hîc definitur. Antecedens probatur, quia boni viri à malis damnum sæpissimè patiuntur, in quibus est plus boni quàm mali.

Resp.

Mutatur suppositio in hoc argumento. Nam bonum & malum in vna parte respectu fortunæ, in altera respectu virtutis sumuntur. Quare fallax & insidiosum est argumentum.

Opp.

Lucrum plus debito, & damnum minus debito definiuntur alibi ab Aristot. ergo aut malè hîc, aut ineptè illic definiuntur.

Resp.

Plures vnius rei descriptiones.

Argumentum non sequitur, quia diuerso respectu plures vnius & eiusdem rei descriptiones tradi possunt. vel respondendum est, quòd hæ definitiones non re sed voce differant.

Cap.

Cap. V.

An lex talionis vel repaßionis ßit toleranda in republica?

An nummus & indigentia ßit adæquatæ menßuræ rerum commutandarum?

QVanquam Pythagorei olim omnino id ius esse definiebant, quod viciſſim quiſq; pateretur. Etſi Aeacus, Minos, Rhadamanthus Iouis filij iudicesq; inferni (vt poëtæ fingunt) idipſum ſtatuebant. Vnde illud, Quæſt. 1.

Si quæ quis faciat, eadem patiatur & ipſe,
Iudicium rectum fuerit, vindictaq; recta.

Philoſophus tamen longè maxima ac infinita incommoda hinc naſcitura in re publ. proſpiciens, damnum ac iniuriam nullo modo retaliari voluit: idque confirmat, primò ab exemplo: 2. à circumſtantijs agendi: poſtremò à conſuetudine. Ab exemplo, Si quempiam magiſtratus percuſſerit, huic parem referre gratiam magiſtratui non licet: quòd ſi quis magiſtratum violauerit, hic non ſolùm referiendus, ſed ſummo ſupplicio coërcendus eſt. A circumſtantijs agendi, quia permul-

multum interest, vtrùm sponte nostra vel inuiti, vtrùm ignorantes an præmeditati, vtrùm malitiosi an incauti quid faciamus: à quibus circumstantijs omnis iustitiæ & æquitatis promanat vis atq; energia. A consuetudine deniq; multarum ciuitatum, quæ gratiarum delubra in media vrbe solebant extruere & consecrare, insinuãtes inde, omnia ad iustitiam cum gratia, ad æqualitatem cum fauore, ad sententiam iudicis cum prudentia ac lenitate referri debere. Fauor enim nõ dentem pro dente, non oculum pro oculo, non vulnus pro vulnere, sed retalionem pœnę ac pręmij secundum proportionem rationis tribuit. Fatetur tamen Arist. ciuitatem in eo conseruari maximè vt par pari referatur: quod si inquit minus contingat, seruitus videtur esse. Sed attende: hoc fieri non debet vt quisque velit, sed vt iudex (qui est moderator *legis*) faciendum putat. Hoc quidem patet in exemplo textus de commutante iustitia. Sit (inquit) architectus A, sutor B, domus C, calceus D. A. i. architectus indiget sutoris opera. B. i. sutor indiget ædificatoris arte & auxi-

Lex Talionis sententia iudicis æstimanda.

lio:

lio: proportione iam æquitatis data in C & D. i. in domo & calceo (quæ duo hoc loco pro arte & mutua vtriusq; opera sumo) nascitur inter architectum & sutorem æqualitas societasq;, vt rectè conciues dicantur. Sic fit vt ait philosophus in omnibus alijs artibus. Nam ex medico & medico non consistit respubl. sed ex medico & agricola, alijsq; imparibus dissimilibusq;, quorum studia, contractus & actiones ad æqualitatem iuris ac societatis secundum proportionem rationis reducũtur. Cæterùm cum multarum rerum commutatio fieri non possit commodè, qualis aliquando fit grani pro oleo, lanæ pro vino, &c. inuenta est tandem mensura, quæ nummus seu pecunia dicitur. Hæc, quoniam omnia in commutatione posita metitur, rectè medium seu mensura rerum commutabilium esse definitur. At animaduertẽdum est, quòd duplex à philosopho statuatur rerum contrahendarum mensura, alia externa vt pecunia, alia interna vt indigentia: illam Phidon in Egina insula primùm signâsse, hanc ipsa natura olim peperisse dicitur. Illa à lege græcè νόμῳ

Vt ciuium, ita studiorũ in ciuitate varietas esse soler.

Quæst. 2.

Nummus quid & quotuplex inuentus.

Vt pecuniæ, sic indigentiæ origo, fructus, necessitas.

ſuum nomen & vſum, hæc à natura ſuum ortum originemq; traxit: illa legitimæ & commutantis iuſtitiæ medium, hæc naturæ & perpetuæ ſocietatis vinculum in textu appellatur: illa mediũ quia omnia commutanda menſurat, hæc vinculum, quia omnia humanę ſocietatis officia cõtinet: quippe pecunia æqualitatẽ rerum, indigentia ſocietatem hominum in communicatione iſtius vitæ probat. Eſt enim pecunia teſte philoſopho tanquã norma & regula, quæ & res aptè adæquat & ad parilitatẽ traducit. Eſt indigentia, quę quanti ſit res quęlibet cõmutanda definit. Itaq; vt eſt in textu, debẽt rerum omnium certa eſſe precia: ſic per indigentiam cuiuſq; neceſſitas in communione hominum, per pecuniam æqualitas in commutatione rerum cognoſcetur. His poſitis perſpicuum eſt iuſtitię ſeu commutantis ſeu diſtribuentis actionem, medium eſſe inter agere patiq́ue iniuriam: quippe modis anteà explicatis omnia ad legem, ad iudicem, ad æqualitatẽ (quæ tria media ſunt) traducere & reuocare conatur.

Pecunia quid.

Indigentia quid.

Diſtin-

Distinctio primæ quæstionis.

Lex talionis in ciuitate non est tolerãda, propter

- Inæqualitatẽ personarum, quæ sunt aut { Publicę, Priuatę.
- Aequitatem legum & iudicum, qui in omni damno, lite, & iniuriâ arbitri constituuntur.
- Diuersitatẽ ac dissimilitu dinẽ actionũ, quarũ alię sũt { Inuitæ, Volũtar.
- Periculum seditionis, ne liceret cuilibet quodlibet sub prætextu æqualitatis.

Lex talionis cur minimè toleranda.

Distinctio secundæ quæstionis.

Mensura rerum duplex est,

- Naturalis, vt indigentia.
- Ciuilis, quæ lege cõstituitur, propter
  - Adæquationẽ rerum, vt ad pretij æqualitatem traducantur.
  - Communionem hominum, vt ad societatem & amicitiam concilientur.
  - Perpetuam commutationem negotiorum, quibus respub. conseruantur.

Mensura rerum duplex.

Opp. contra primam quæstionem.

Nec plus nec minùs debito habere est proprium iustitiæ, vt antè docetur: sed hæc æqualitas optimè seruatur in lege talionis: ergo lex talionis est toleranda.

Resp.

Nec plus nec minùs debito habere est proprium iustitiæ, sed ita, vt ratio iudicis (qui est oraculum ciuitatis)

& proportio rationis (quæ est norma iudicij) postulat & præscribit.

Opp.

Si lex talionis non sit iusta, hoc esset propter discrimen & respectum personarum: sed hoc negatur in quarto ca. ergo hæc lex est iusta: Maior est in fronte huius ca. Minor est in principio præcedentis. Hîc enim ait magistratum esse respiciendum, illic verò apertè negat.

Resp.

Hæc loca facilè reconciliantur si in magistratu iniuriam quam infert, & personam quam gerit consideremus. Vbi enim docet philosophus non dignitatem personarum in commutante iustitia pōderandam esse, sed æqualitatem rerum: Hoc non vult vt si magistratus priuatum percusserit, reuerberetur: sed vt pro iuris iudicio, æqualitate sine respectu personarum damnum innocentis resarciatur.

Opp.

Par pari referri est retaliari: sed hoc in textu requiritur: ergo lex est iusta.

Resp.

Par pari referri est retaliari in proportione rationis non quantitatis.

Opp. contra secundam quæstionem.

Si indigentia sit mensura, tum qui magis indiget, ma-

iori

iori pretio emeret: sed hoc est absurdum respectu pauperum, quibus omnia propemodū desunt: ergo non est mensura.

Resp.

Indigentia est duplex,
- *Communis, quæ hoc loco intelligitur, per quam pondus precium q; rerum cognoscitur.*
- *Particularis, & hæc non intelligitur.*

Opp.

Multa ad ornatum & dignitatem, multa ad delicias & voluptatem coëmuntur, quorum indigentia non est mensura: ergo omnium commutabilium mensura nō est indigentia.

Resp.

Indigentia consideratur, aut respectu
- *Necessitatis, & sic in istis non est mē sura.*
- *Decori, & sic est, nam purpura non minùs decet principem, quàm pannus rudiore filo contextus pauperem.*

Opp.

Fuit commutatio ante inuentionem pecuniæ: ergo vniuersalis & necessaria mensura non est.

Resp.

Fuit. sed nec facilis, nec fructuosa: non est enim possibilis rerum multarum commutatio sine pecuniâ.

Opp.

Vnius & eiusdem rei commutabilis secundum eandem

dem rationem manentis vna & eadem debet esse mensura: sed in rebus, quæ in vsum humanum cadunt videmus ex indigentia sæpissimè mutari pretium & mensuram. ergo pecunia propriè mensura non est.

Resp.

Verum est in naturali non in legali mensurâ rerum, qualis est pecunia.

Vtrùm omnia commutabilia sint eiusdem generis?



Opp.

Res animatæ, vt planta, bellua, homines pluris sunt, quàm omnes diuitiæ orbis terrarum (teste philosopho 2. Metap.) ergo omnes res commutabiles non possunt pecuniâ mensurari. Resp.

Resp.

In rebus animatis considerantur

- Essentia, & sic pluris est æstimanda vna musca quam res omnes inanimatæ, propter gradū & excellentiam essentiæ.
- Vsus humanus, & sic res animatæ sub mensuram pecuniarum cadunt.

Cap. VI.

An aliquis possit agere iniuriam interim vt non sit iniustus?

An iniuria, damnum, & peccatum sint causæ legum?

An Magistratū gerenti liceat sibi cōsulere?

NE quicquam in tractatione iustitię prætermisisse videatur philosophus, postquam de natura & mensurà eiusdem egerit, de quibusdam affectionibus, quæ in vsu & veluti praxi iustitiæ cernuntur, agere nunc instituit: ac primùm quærit, An aliquis possit agere iniuriam interim vt non sit iniustus? Quæst. I. Hanc causam sic tractat, sic discutit, sic definit vt quidam interpretes (nimis temerè sanè) illum à theatro philosophorum explodendum esse opinentur. Ab interpretibus suis Arist. deseritur. Verba philosophi (quibus offenduntur isti) sunt hæc, Qui non animi iudicio sed affe-

ctu ducatur ad cõtrectandam mulierem, sciens quam cõtrectet, faciat ille quidem iniuriã, sed tamen non est iniustus: quemadmodum nec fur qui furatus est, nec adulter qui adulteratus est, itemque in cæteris. Quid quæso est in his verbis explosu dignum? illud nempe, adulterum nõ esse dicendum qui sciens adulterij scelus perpetrauit. quid? an hoc tantopere aures offendit? quid ni, dic obsecro, non putas intentionem finis actioni cuilibet nomen tribuere? Fateor. Quid si quis exardens pecuniarum siti non libidine incensus fœminam compresserit, nonnè potius auarus quàm incontinens est appellandus? quid ad rem? attende & intelliges. Nõ vult philosophus omnino Aegisthum aut Paridem crimine adulterij liberare, sed hoc contendit, vel ex parte affectus, qui nõ est per se peccatum, vel ex parte alterius intenti finis (qui aliam denominationem & respectum tribuit) sic non appellandum esse. Si quis ergo contaminet violetq; alterius thorum, est quidem adulter. Cur negat ergo Arist.? non negat. verba sic sonant certè: parum attendis, vult enim nomen

A vituperatoribus iniquis vindicatur Aristoteles.

men potiùs ab intento fine & affectu, quàm à perpetrato scelere deduci ac deriuari: verùm vt hæc concedantur omnia, nimis tamen extenuâsse scelus istud Arist. puto. Erras planè, nam potius censoriâ quadam seueritate aggrauâsse diceres. vbi quęso? In septimo lib. huius operis, in quo adulterum, qui ex affectu peccat, quadruplici pœnâ dignũ esse iudicauit: vnâ propter ignorãtiam veneni in affectu, vt quæ crassa sit, alterâ propter ipsum affectum animi, est enim malus: 3. propter commissum flagitium, est enim (vt ait) maximè belluinum: 4. propter iniuriam allatam conciui, est enim intoleranda. Si ergo vel insanus, vel à primis suę nutricis amplexibus insipiens, vel furens affectu, vel denique in alium solum finem puta quæstum intentus hoc vel illud crimen commiserit, iniuriam ille quidem facit, præcisè tamen hoc vel illo crimine (quod primario non intenderit) condemnari non debet. Voluntas enim concipit, intentio autem & electio parit peccatum, quod legis prima causa & origo extitit. Quippe iniuria, damnũ & peccatum optimarum legum

Ex malis hominum moribus ortæ sunt leges optimæ.

occasiones fuerunt. Cum enim lapsa est humana peccandi libido, & furentiùs lineas virtutis transiliret, labenti occurrendum esse, ne ruina sequeretur, maiores nostri putauerunt: hoc autem aut melius aut expeditiùs fieri non potuit, quàm leges (id est regulas vitæ & virtutis normas) sanciendo, quibus veluti frænis ferocior ista humanæ infirmitatis licentia ad imperium rectæ rationis cogeretur. Cæterùm quoniam lex scripta est muta & elinguis quasi magistra, alia lex animata nempe magistratus ipsius legis interpres & moderator in omni bene instituta ciuitate publicè creatur, qui non sibi sed suis, non priuatis sed communibus bonis debeat consulere. Quòd si aliter fecerit (vt ait in textu philosophus) potiùs impius tyrannus quàm iustus magistratus habeatur. Quorsum enim tantum honorem vt mercedem ac præmium reportaret, si plus sibi quàm reipubl. (cuius præfectum gerit) prouideret?

Distin-

Distinctio primæ quæstionis.

Iniuriam aliquis potest inferre, vel
- Furenter per affectum, vt puta insaniam.
- Inscienter per natiuam ignorantiam:
- Inuitè & fortuitò, nēpe per incuriam:
- Spontaneè & consultò per malitiam scilicet, & sic propriè iniustus ab actione iniuriæ nominatur.

Distinctio secundæ quæstionis.

Legum causa est, vel finalis, aut
- Materialis, vt peccatum, quod prohibet.
- Media, vt virtus, quam iubet.
- Vltima, vt ciuitas, quā cōseruat.

Distinctio tertiæ quæstionis.

Magistratus plus aliis quàm sibi consulere debet,
- Quia publicum officium gerit.
- Quia eius exemplum & vitam omnes intuentur, iuxta illud, Regis ad exemplar totus componitur orbis.
- Quia ideo maximum honorem mercedis loco habet, vt alijs non sibi profit.

Opp.

Omne vitium comprehenditur sub iniustitia, vt in 1. cap. huius lib. docetur: sed iniuriam facere est vitium, vt patet in 3. ergo iniuriam agere est opus iniusti, & proinde nemo infert iniuriam nisi iniustus.

Resp.

Illic generatim, hîc speciatim de iustitia agit.

Opp.

Iniuriam agere est oppositum vitium iustitiæ in specie; ergo sub nomine iniustitiæ comprehenditur.

Resp.

Resp.

Iniuria fit bifariam.

Iniuriam agere consideratur, vel

- *Per se respectu voluntatis, & sic est iniustus, qui agit iniuriam.*
- *Per accidens respectu*
  - *Affectus,*
  - *Ignorantiæ,*
  - *Incuriæ,*
  - *Fortunæ,*

  & sic prior & per se iniustus non nominatur.

Argumenta contra secundam quæstionem.

Opp.

Malum non est causa boni, oppositorum enim est opposita natura: ergo peccatum non est causa legis.

Resp.

Non est causa per se, sed ex consequenti vt ait Boreus. Aliter respondit Donatus quòd malum possit esse materia, circa quam versatur aliquando bonum.

Opp.

Priuatio boni non est causa boni: sed peccatum est priuatio boni: ergo non est causa boni.

Resp.

Non est causa per se, sed per accidens vt modò docetur.

Opp. contra tertiam quæstionem.

Naturâ est insitum vt quilibet sibi sit proximus: ergo magistratus primùm sibi consulere potest.

Resp.

Resp.

Magistratus duplex consideratio.

In magistratu duo spectantur,
- *Natura hominis priuati. & sic est sibi proximus.*
- *Persona ciuitatis, & sic magis reipubl. quàm sibi prodesse debet.*

Opp.

Magistratus est nihil aliud quàm tota ciuitas (teste philosopho) in quarto politicorum; ergo ciuitati consulendo & sibi consulit.

Resp.

Concedo omnia. Nam sibi prodesse vt iusto magistratui, est totam ciuitatem conseruare, at ita cuticulam curare, vt periculum vitæ periclitante ciuitate possit deuitare, in magistratu est valde impium & pernicioſum. Aſt vbi Codri? vbi Curtij? qui ne declinaret respub. in medium exercitum & in profundum sese iniecerunt.

Dub.

Vtrùm ius politicum, quod est magistratus, à iure domini in seruum, patris in filium, viri in vxorem differat?

Differt ab vtroq;
- *Quia est inter partes ciuitatis, alia verò inter partes domus.*
- *Quia est inter personas impares & inæquales tam in proprietate quàm in vsu bonorum, alia verò sunt inter personas coniunctas in vtroq;.*
- *Quia est legale, alia vero sunt naturalia.*

Cap.

Cap. VII.

Vtrùm ius ciuile rectè distribuatur in ius naturale & legale?
An ius naturale mutari non possit?

Quæstio. 1. QVoniam ius, lex, iudicium, & consuetudo hominum à iustitia & magistratu pendẽt, operæpretium est pauca de his, illis quæ præcesserunt attexere. Ac ne longiùs ab instituto abeam, Ius ciuile (quod est præceptum & ordinatio domini circa subditos) in ius naturale & legitimũ inprimis diuiditur. Ius naturale à philosopho definitur, quod vbiq;, & apud omnes idem valet; vt ignis hîc & apud Persas vrit. Ius legitimum, quod in initio nihil interfuit sic an secus fieret: cum autem latum positumque est, iam interest, verbi causâ, in quadragesimâ ieiunare. Sciẽdum ergo est ius omne apud philosophos aut ante legem positam & cõsuetudinem confirmatam vim suam habere, aut ab ipsa lege & consuetudine vim suam deriuare: primo modo simpliciter & absolutè naturale: secundo modo legale dicitur. Illud à Iustiniano ius gen-

Ius ciuile quid.

Ius naturale quid.

Ius legale quid.

gentium, hoc à Cicerone consuetudo appellatur. Ius naturale iterum tripartitò accipitur, primum pro iure diuino, quo omnia tam inanimata quàm animata, tam sensu quàm ratione prædita gubernantur. Deus enim in omnia quæ fecit, influit, vnde Boëtius, ô qui perpetua mundum ratione gubernas, terrarum, cœliq; sator. Alio modo accipitur pro instinctu naturę, quo veluti occulto motu rationis omnia perfecta animātia ad societatem, ad procreationem, ad amorem & conseruationem rerum, quæ partæ sunt, feruntur. Postremò accipitur pro naturali iudicio rationis humanæ, quo solùm humanum genus dirigitur & conseruatur. De hoc iure Diuus Apostolus loquitur, vbi docet gentes quæ legem scriptam nō haberent, naturę vi ea, quæ legis sunt, facere, sibi leges esse, ostendentes opus legis suis inscriptum cordibus. Iuris hoc modo accepti (vt docet orator) sex sunt species: religio, pietas, obseruantia, gratia, veritas, & vindicta. Religio est (vt definit) quæ superioris cuiusdam naturæ, quam diuinam vocant, curā, ceremoniamq; adfert.

Ius naturale triplex.

1.

2.

3.

Iuris naturalis sex sunt species.

Religio.

Vno

Pietas. Gratia. Obseruantia. Veritas. Vindicta. Ius legale vnde ortū.

Vno verbo sic, Religio est timor, amor & honor Dei. Pietas est, per quam sanguine coniunctis, patriæ & beneuolis officium cultusq; tribuitur. Gratia, in qua amicitiarum & officiorum alterius memoria, alteriusq; remunerandi voluntas cōtinetur. Obseruantia est per quam homines dignitate prȩcellentes cultu & honore iustè veneramur. Veritas est per quam præterita, præsentia, & futura inconcussa & immutata manēt. Vindicta est per quam vis, damnum, & iniuria propulsantur. Legitimum ius leuiter à natura tractum recta ratio concepit, vsus peperit, consuetudo aluit & confirmauit. Hoc verò *ius* est vel diuinum, vel humanum; diuinum, quod lege & Euangelio præscribitur; humanū, quod est vel simplex, vt politicum, vel mixtum vt pontificium seu canonicum, quod quidem per ecclesiam in cultum & honorem Dei instituitur. Hoc autem ortum & inuentum augures, aruspices, flamines, interpretes somniorum & coniectores superstitiosè condiderunt, & quod nunc illi correxerunt, quib. claues author salutis & veritatis dedit. Sed quid mo-

moror? Ius ciuile in populari statu reipublicæ plebiscitum, in consulari senatusconsultum, in regno constitutio & edictum, in arbitrario iudicio sapientis viri iustum respõsum dicitur. Sapientis enim viri sententia sępe pro lege obseruatur. Ius ciuile multiplex.

Distinctio quæstionis.





Opp.

Ius naturale & ciuile sunt oppositа, vt habetur in diuisione iurisprudentiæ capite primo decretorum: ergo ius ciuile non rectè diuiditur in ius naturale & legale.

Resp.

Propriè sumpta opposita sunt ius naturale & ciuile.

Patet solutio huius argumenti in prima distinctione Nam ius naturale & ciuile sunt oppositа, si propriè, non autem si fusè sumantur. Respice distinctionem.

Opp.

Opp.

Nulla est iustitia naturalis: ergo nullum est ius naturale. Antecedens patet primo capite secundi libri, vbi probatur quod à natura nulla virtus insit. Argumentum tenet à coniugatis.

Resp.

Lumine naturæ & rationis instructi sumus id nemini velle facere, quod nobis fieri non velimus, & hoc ius naturale adeoq; ipsa iustitia dicitur. Cum verò ordo, lex, & prudentia ad hoc lumen naturæ accedunt, tum ius ciuile ac moralis iustitia appellatur. Ad argumentum ergo respondetur negando antecedens, & ad probationem dicendum est, quod in primo cap. 2. libri Aristot. non neget tale lumen ac semen virtutis nobis inesse à natura.

Opp.

Omnis iustitia in communicatione aliqua inter homines consistit, vt liquidò patet superiùs: sed omnis communicatio inter homines est omnino voluntaria & non naturalis: ergo omnis iustitia est voluntaria & non naturalis.

Resp.

Societas seu communicatio humana capitur, vel { *Inchoatiuè, quæ est à natura, & sic iustitia est naturalis.* / *Perfectiuè & absolutè, quæ est à studio atq; industriâ, & sic iustitia est simpliciter voluntaria.*

Iustitia quo modo naturalis & quo modo voluntaria.

Opp.

Ius patris in filium, domini in seruum, viri in vxorem 1. lib. politicorum naturale esse probatur, & negatur illic esse ciuile: ergo ius ciuile non rectè diuiditur hic in naturale & legale.

Resp.

Ius ciuile seu politicum in eo loco strictè non fusè sumitur, vt in 2. argumento huius quæstionis patet.

Argumenta contra secundam quæstionem.

Opp.

Ius naturale commutari potest in legale, vt constat sæpe: ergo malè definitur in textu id esse quod commutari non potest.

Resp.

Soluitur hoc argumentum in primo cap. secundi libri Ethic. vbi docuimus aliquid esse insitum vel formaliter, quod mutari non potest, vel naturaliter, vt dextram esse fortiorem sinistrâ, habere barbam, & similia, & hoc mutari potest. Cum ergo dicit philosophus ius naturale non mutari, ex parte non simpliciter & absolutè intelligit, vt exemplis ipse in textu ostendit.

Ius naturale quomodo non mutetur.

Dub.

Vtrùm ius legale mutari possit?

Ius legale quomodo mutetur.

Ius legale mutari potest, sed { *Rarò ne incommodum* / *In melius ne periculum* / *Prudenter & sensim ne reipubl. naufragium* } *ex innouatione sequatur.*

Cap.

Cap. VIII.

An inuitè, perturbatè, ignoranter agens, iniustum aut iniuriam faciat?
An omnis læsio sit ex ignorantia, passione, aut electione?

DEscripto iure nunc demũ de iniuria agendum est, vt vnũ oppositorum per aliud rectiùs intelligatur. Quæstio est an inuitè, an perturbatè, an ignoranter agens iniustum vel iniuriam faciat? In primo capite tertij libri de triplici actione differentes obiter hanc rem attigimus: quare iam incitatis quasi passibus breuitatem pollicemur. Rectè Arist. in textu, voluntate omnem iniuriam omneq; rectè factum definiri ait: vnde primùm concludit inuitum nec iniuriam cuiquam inferre, nec æquum facere nisi fortuitò. Voluntariũ enim est quod quisq; in sua potestate positum sciens agit, non ignorans in singulis circumstantijs in quibus versatur actio: verbi causâ, quem verberet, quo instrumento, qua de causa, &c. Cũ ergo inuitè agens, aut ignorantiâ circumstantiarum, aut vi externa agat:

Quæst. 1.

Voluntariũm quid.

agat: ignorantiâ, vt in prælio nesciens suum patrem pulset, vi externa, vt qui per alium arrepta manu alterum occidat, liquidò constat inuitum nec iniustum, nec iniuriam agere nisi per accidens. De perturbatè & ignoranter agentibus antè disputatum est: hoc ergo nunc solum dicimus, illos sic agẽtes ex parte affectus, qui vi sua nec bonus est nec malus, iniustos non dici, sed ex parte habitus & electionis, quæ sæpe cum affectu & affectata ignorantia copulatur. Exempli causâ, iratus Alexander, Clitum percussit gladio, iniustus est, iniuriam fecit: rediens à Scythis se Deum appellari voluit, impius est & sceleratus. Rationem quæris? in primo facinore furorem cum malitia, in altero insaniam cum affectata ignorantia coniunctam videas: at tam abest affectata ignorantia ab excusando peccato vt ipsum commissum vehementiùs aggrauet. Sed dices Aristotelem in textu docere ignorantem, iniuriam & iniustum non facere. Attende. Nam multiplex est ignorantia, scientiæ, iuris, facti. Iterum hæc triplex, natiua, crassa, & affectata. Fatuus ab vtero matris percutit

cutit patrem, iniustus non est, iniuriam non fecit: furens seu insanus demolitur ædes, latro non est, iniuriam non fecit; venator intendens ferire feram, transfigit ciuem, homicida non est, iniuriam non fecit. Rationem quæris? in promptu est, quia ignorans fecit. Iniuria enim voluntaria & malitiosa alicuius læsio definitur. Iniuria quid.

Sed quoniam de læsione iam agitur, vno verbo de altera quæstione, quæ de ea mouetur, discutiemus. Omnis ergo læsio est, vel voluntaria, vel non voluntaria: voluntaria est quæ intenditur, vt iniuria; non voluntaria quæ non intenditur, vt patris vulneratio. Illa ex electione, hæc ex passione aut ignorantia nascitur. Rectè ergo concludit philosophus, omnem læsionem aut ex electione & voluntate; aut ex perturbatione & appetitu; aut ex ignorantia & intellectu proficisci. Quæst. 2. Læsio triplex.

Distinctio primæ quæstionis.

Agere iniuriã contingit bifariã, aut
- Strictè & per se, & sic solum à voluntate pendet: nam agere iniuriã est sponte nocere, vt patet in secũdo Topic. & quoq; in hoc textu, vbi dicit iniuriam voluntate definiri.
- Cõmuniter & per accidẽs, & sic iratus & ignorans in textu quoq; dicuntur iniuriã agere.

Distinctio secundæ quæstionis.

Omnis læsio est, aut
- Voluntaria, quę voluntatem principium habet.
- Inuoluntaria, quæ est, vel ex
  - Passione animi.
  - Ignorãtia, & hæc est
    - Iuris, quæ neminem excusat.
    - Facti, quæ excusat si non sit crassa & affectata.

Opp.

Aliquis metu extremi supplicij alium inuitus interficit, sed hoc agens iniuriam facit: ergo inuitus iniuriam agit.

Resp.

Non est inuita actio sed magis voluntaria. In voluntate enim situm fuit agere, vel non agere.

Opp.

Perturbati agere iniuriam in textu dicuntur: ergo malè negatur.

Resp.

Passio consideratur, vel vt est
- *Simpliciter & absolutè naturalis, & sic non est causa iniuriæ.*
- *Composita, quæ vsu in habitum accrescit, & sic est causa iniuriæ. Sæpe enim perturbati cum electione & malitia agunt.*

Opp.

Opp.

Ignarus medicus corpori, ignarus theologus animæ iniuriam infert: ergo ignorantia est causa iniuriæ, & per consequens ignorans tam iniustum quàm iniuriam agit.

Resp.

Ignorantia in his quæ tenemur scire, qualia sunt præcepta artium quæ profitemur iniuriam parit: est enim ignorantia voluntaria, crassa, & affectata.

Opp.

Omnes qui peccant ignorantes peccant teste philosopho libro tertio capite primo: ergo ignorantes possunt iniuriam inferre, nam hoc est peccare.

Resp.

Ignorantia illic supina & affectata, quæ est ipsum peccatum, intelligitur.

Argumenta contra secundam quæstionem.

Opp.

Arreptâ alterius manu alter aliquando læditur: sed hæc læsio neq; à voluntate, neq; à passione animi, neq; ab ignorantia sed coactè oritur: ergo rectè hæc tria principia læsionis non assignantur.

Resp.

Ista actio non est coacti hominis omnino sed cogentis, cuius respectu voluntaria dicitur.

Dub. Vtrùm inuitè agentes sint semper veniâ digni?

- *Inuitè agentes sunt veniâ digni, vel respectu*
  - *Ignorantiæ*
    - *Insitæ, vt si fatuus aut infans aliquid mali egerit.*
    - *Fortuitæ, vt si filius mittens è castra telum in turbam hostium occidat patrem.*
    - *Violentæ, vt si moriens vi morbi otiosè loquatur.*
  - *Infirmitatis, cuius lapsus comitem pœnitentiam habet.*

Dub. Vtrùm iratus sit primus author iniuriæ seu læsionis, vel is qui ad iram prouocauit?

Mali author qui irritat.

- *Primus author mali est is qui ad iram prouocat, propter*
  - *Primam intentionem mali.*
  - *Primam actionem iniuriæ.*

Cap. IX.

An sponte aliquis patiatur iniuriam?
An aliquis volens patiatur iniustum?
An omnis qui iniustum fert patiatur etiã iniuriam?

EVripides olim à suis canib. laceratus Bellerophontem, qui suam matrẽ occidit, hoc carmine minus sapienter defendit: *Quæ-*

Quæris parentem quomodo occîdi meam? Quæstio. 14
Sermo est breuis, non exitus longos habet,
Volens volentem, vel volentem non volens.

Quasi verò sit aliquis mortalium qui volens ac lubens patiatur iniuriam: iniustum sępe, iniuriam nunquam volentes patimur. Est enim iniuria nihil aliud vt supra definiuimus, quàm voluntaria & malitiosa alicuius læsio, vel vt definit hoc loco philosophus, Est damnum quod agens sponte contra legem inferre, quodque patiens contra voluntatem sustinere dicitur. Vt enim calfactio in igne est actio, & in aqua passio, ita iniuria respectu inferentis voluntaria læsio, respectu verò patientis violenta damni illatio & quasi impressio definitur. Et vt est præter naturam aquę, vt vim caloris sentiat, ita est cõtra voluntatem hominis vt vim ac impetum iniuriæ ferat. Erras ergo ferox & crudelis Nero, si effosso matris corpore, & effuso sanguine te sic excuses, Iniuria quid.

Quæris parentem quomodo occidi meam?
Volens volentem, vel volentem non volens.

Mentiris tyranne: Nam infœlix mulier hoc factum abhorruit, suumque vterum, qui

qui te monstrum gessit, secum ferre illæsum ad sepulchrum studuit. Sed ad alteram

Quæst. 2. quæstionem venio, quæ est, an quis volens patiatur iniustum? Odo & Buridanus quadrifariam nos sponte ferre posse iniustum putant, vel cum voluntas sit tacita & non expressa, vel cum sit ex parte & non integra, vel cum sit ex conditione & non absoluta, vel denique cum sit ligata & non libera. Exemplum in primo hoc esse potest. Si quis inuidus in voto habeat rem paruam à se per vim tolli, vt alij vehementiùs noceat: in secundo, si quis volens aculeum & crucem pro Christo & cœlo subeat: in 3. si quis vsu pecuniarum carens edaci fœneratori se obstringat: in 4. si puer aut infirmus nocitura petens ab alio facile concessa habeat. Si rem suam perdat inuidus, volens iniustum patitur: si crucem pro Christo iniquè condemnatus subeat, volens iniustum patitur: si quis se malo fœneratori obstringat, volens iniustum patitur: si quis deniq; infirmus venenū concessum capiat, volens iniustum

Quadrifariam aliquis potest iniustum pati.

Quæst. 3. patitur. De tertia quæstione, quæ est an omnis qui fert iniustum patiatur etiam iniuriam,

iuriam, nihil dico: nam si pati iniustum sit sæpe cum voluntate coniunctum, iniuriam verò pati sit semper à voluntate alienum, sequitur aliquem posse iniustum ferre, interim vt non patiatur iniuriam. Verba philosophi in textu in hac re sole clariora sunt: sic enim ille loquitur, Incommodum quis sua voluntate accipit, & rem iniustam perfert, at iniuriam nemo sua sponte accipit. Rationem addit, quia non est in cuiusq; potestate situm vt iniuriam accipiat, cum alter sit oportet qui infert: stultus ergo Glaucus iniuriam non tulit, etsi Diomedi vt Homerus cecinit,

Pro nouem centum, pro ferro tradidit aurum.

Distinctio primæ quæstionis.

Nemo sponte iniuriam patitur,

Quia omne iniustum est ad alterum & non ad seipsum, sed omnis iniuria est quoddam iniustum: ergo omnis iniuria est ad alterum & non ad seipsum.

Quia id quod est malũ nemo sua sponte patitur: sed iniuria est malum: ergo nemo iniuriam sua sponte, patitur.

Quia iniuria definitur voluntaria & malitiosa alicuius læsio, sed nemo seipsũ sponte & malitiosè lædit: ergo nemo volens iniuriam patitur.

Sponte neminem iniuriam pati.

Distin-

Distinctio secundæ quæstionis.

Iniustum ferre 4. modis possumus.

Iniustum ferre potest aliquis 4. modis, si

- Voluntas non sit expressa, vt inuitus patitur leuiusculum damnum, vt alteri noceat.
- Voluntas non sit integra, vt martyr iniquum iudicium patitur, vt cœlum lucretur.
- Voluntas non sit absoluta, vt pauper volens vsure dentatam limam patitur, vt necessitati subseruiat.
- Voluntas non sit libera, vt puer iniustum patitur, si ferrũ pro auro accipiat.

Distinctio tertiæ quæstionis.

Omnes qui ferunt iniustum non patiuntur iniuriam,

- Quia latiùs patet iniustum pati quàm pati iniuriam, vt in exemplis iam demonstrauimus.
- Quia voluntas aliter in patiendo iniustum, aliter in patiendo iniuriam afficitur.

Opp.

Quicunq; desperantes iugula aliorum mucroni libenter offerunt & obijciunt, vi illata sponte iniuriam patiuntur, sed multi hoc agunt: ergo multi volentes patiuntur iniuriam. Maior videtur esse probabilis, quia lex interfectorem vt homicidam puniri iubet. Minor constat ex multis exemplis & historijs, vt de Saule, & c. 1. cap. lib. 2. Regum.

Resp.

Interfectus non patitur iniuriam, quia sponte hoc fieri iubet, naturæ tamen aut ciuitati facta est iniuria. Lex

ergo

ergo interfectori infligit pœnam, non propter iniuriam illatam homini, sed propter damnum illatum naturæ & ciuitati.

Opp.

Multi innocentes iniquè afflicti & condenati illatam contumeliæ & mortis iniuriam sponte patiuntur: ergo inanis est ista quæstionis constitutio.

Resp.

Est hoc iniustum sed propriè iniuria non dicitur. Alij respondent verbera & tormenta esse contra voluntatem innocentium respectu naturæ, quæ ista abhorret: non autem respectu finis, quē voluntas innocentis sibi proponit.

Opp.

Vsuram pati est pati iniuriam: sed proh dolor infiniti volentes patiuntur vsuram: ergo infiniti volentes patiuntur iniuriam.

Resp.

Voluntas non est absoluta sed conditionata (vt aiunt) in ista passione. In voto enim est potius nolle quàm velle pati iniuriam.

Opp.

Opposita versantur circa idem subiectum: sed iustum pati & iniuriam pati sunt opposita: ergo versantur circa idem subiectum, nempe voluntatem: & per consequens volentes patimur iniuriam.

Resp.

Fatendum est vtrumq; versari circa voluntatem in essen-

essentia, sed non eodem modo: nam iustum pati in volendo, iniuriam pati in nolendo cernitur: velle tamen & nolle vnam voluntatem faciunt.

Opp.

Plus alijs tribuens modestus quàm sibi assumens sponte accipit iniuriam: ergo aliquis volens iniuriam patitur. Antecedens est in textu.

Resp.

Est obiectio non resolutio in discutienda definitione iustitiæ.

Opp. contra secundam quæstionem.

Nemo malum sponte patitur, sed omne iniustum est malum: ergo nemo iniustum sponte patitur.

Resp.

Iniustum est duplex, vel per se, vel per accidens, vt distinguitur in 8. capit. Aristotelis: illud est malum semper, sed hoc non est. Aliter respondetur quòd iniustum sit malum semper sed pati iniustum non est malum semper.

Dubia obiter mouenda ex 9. cap.

Vtrùm
- Qui damnum patitur metu maioris mali, in cuius necessitatem est coactus, patiatur iniuriam?
- Quicunq; facit iniustum, sit iniustus?
- Iudex corruptus iniquâ sententiâ magis delinquat quàm qui iudicem pecuniâ corrumpit?
- Difficilius sit iustum iudicem quàm bonum medicum fieri?

Pati

Pati iniuriam dicitur bifariam,

- *Absolutè, cum sit simpliciter contrà voluntatem, vt iniustè & malitiosè vulnerari ab hoste.*
- *Comparatè, cum sit vno respectu putà necessitatis voluntarium, altero verò respectu putà conditionis cõtra voluntatem: verbi causâ, dat aliquis suam pecuniam, aut prædoni, ne vitam tollat: aut victori, ne in hostu potestatem veniat.*

Status secundi dubij.

Iniustum fit, vel ex

- *Passione, quæ est, vel*
  - *Simplex & naturalis, vt timor, spes, gaudium, & secundum hanc aliquis facit iniustum, interim vt non dicatur iniustus.*
  - *Mixtâ & humanâ cum prauo habitu coniuncta, & secundum hanc nemo agit iniustum, quin sit iniustus.*

  Iniustum fit tribus modis.
- *Electione. & sic nemo facit iniustum, quin sit idem iniustus.*
- *Ignorantia vt suprà: quæ si sit crassa vel affectatâ, cum electione coniungitur, & iniustum reddit hominem.*

Status tertij dubij.

Iudex corruptus

- *Magis obstringitur legi, cuius iustus interpres esse debet.*

ruptus magis peccat, quia
- Magis nocet propter
  - Exemplum eminentiæ mali.
  - Damnum & periculum innocentis viri.

Corrumpitur Iudex, aut
- Timore mali } respectu sui.
- Cupiditate boni }
- Amore } respectu alterius.
- Odio }

Status quarti dubij.

Difficilius est iustum iudicem quàm doctum medicum fieri, propter
- Repugnantiam naturæ, quæ est semper propensa ad malum.
- Multitudinem effectuum & vitiorum, quæ arcem iustitiæ semper oppugnant.
- Inconstantiam fortunæ.

Cap. X.

An æquitas rectè definiatur?
An sit distincta virtus à iustitia legali?

Quæst. 1.

MIra vis est iustitiæ & magna æquitatis. Nã aquâ & igne in pluribus locis non vtimur quàm iustitia, maiori subsidio vita non munitur humana quàm æquitate. In iustitia acies gladij sæpe nimis acuitur, requiritur ergo æquitas

tas boni viri, quę seueritatem legis moderetur. vetus est illud, Summum ius summa iniuria. Vt ergo, si nulla sit remissio nerui, frangitur: ita si nulla sit moderatio legis, violatur: hæc verò moderatio legis æquitas est, de qua iam disputamus. Hanc definit hoc modo Arist. Est inquit æquitas virtus, quâ quis rectè legẽ in multis instantijs deficientem corrigit & moderatur: verbi causâ: Sit lex quòd nullus peregrinus sub pœna capitis murum cõscendat, ecce hostes nocte inuadunt ciuitatẽ, signo iam dato ad mœnia peregrini conuolant, conscendunt murum, defendunt vrbem, nihilominùs tanquam rei capitis accusantur. Si verba legis spectes sunt condemnandi, si verò æquitatem consulas non solùm laudibus sed etiam maximis beneficijs sunt cumulandi: æquitas namque relicta voce sensum legis quærit, eiusdemque defectum in circumstantijs iustè ac moderatè corrigit: hinc ab Odone emendatio legis definitur. Lex enim, quæ est norma iustitiæ sæpe deficit, multasque instantias patitur: quippe fieri nõ potest, vt omnino vniuersales, æter-

Aequitas quid sit.

Aequitas emendatio legis.

næ & incõcussæ leges humanæ fiant. Nemo enim est tam perspicax, nemo tã prudens, nemo tam rerum futurarum certus & sapiens, qui omnes mutationes & vicissitudines rerum hominumq; possit perspicere. Nam voluntates hominum sunt flexibiles, actiones hominum infinitæ sunt, & supra quàm dici potest mutabiles. Quare vt nullis demonstrationum cancellis ita nullis legum vinculis & septis concludi & definiri possunt. Deficiente ergo legislatore, deficiente lege, deficiente sensu & sententia iuris, æquitas sola moderatrix & interpres haberi debet. Hinc Aristot. in textu æquitatem quiddam iure præstantius & excellẽtius dicit. Quiddam appellat non quòd vniuersam iustitiam dignitate superet, sedq; legitimã iustitiam in sensu & defectione legis moderetur. Ex his iam positis perspicuum est æquitatem à legitima iustitia naturæ vi & specie differre. Aequitas enim aliud obiectum, aliud medium agendi, aliumq; finem ab illa vendicat. Obiectum enim æquitatis est legis defectio, actio est legis emendatio, finis deniq; ipsius legitimæ iustitiæ cõser-

Aequitas quiddam iure præstantius.

Aequitatis obiectum, actio, finis.

ua-

uatio: quippe nihil meliùs rem aliquam conseruat quàm quod rei defectus corrigit & emendat.

Distinctio primæ quæstionis.

Iustum est duplex,
- Commune, quod notum est omnibus, vt benè mereri de benè merentibus.
- Particulare, in quo est sæpe defectio, & circa hoc versatur ęquitas, aut
  - Exponendo sensum
  - Emendãdo defectum
  - Moderando pœnam
  - Legis

Distinctio 2. quæstionis in suppositionis calce satis perspicua est.

Opp.

Virtus moralis est omnibus cõmunis: sed æquitas non est omnibus communis (solùm enim principibus ac summis viris competit, quorum interest moderari, corrigere ac interpretari leges) ergo æquitas non videtur esse virtus.

Resp.

Aequitas consideratur duobus modis, aut quoad
- *Internum habitum, & sic omnibus conuenit.*
- *Externum actum, & sic non conuenit.*

Opp.

Legalis iustitia est omnium virtutum nobilissima, vt docetur in 1. cap. huius lib. ergo non rectè dicitur in textu quòd æquitas sit præstantior.

Resp.

Iustitia legalis duplicem respectum habet,

- *Generalis perfectionis in omni virtute, & sic est nobilissima omnium.*
- *Particularis defectionis in sententia aut scriptura legis, & sic hoc loco intelligitur philosophus.*

Opp. contra secundam quæstionem.

Legitima iustitia & æquitas mouent nos ad eandem actionem: ergo specie nõ differunt. Antecedens probatur, quia mouent nos vt æqualitatem seruemus, & neminem sine culpa & causa condemnari patiamur.

Resp.

Non est hoc proprium opus & officium æquitatis, nam non tam æqualitatem actionis, quam emendationem legis considerat & intuetur.

Opp.

Æquitas imminuit legitimam iustitiam, vt habetur in textu: ergo non est virtus.

Resp.

Imminuit, vt ratio & prudentia præscribit.

Dub. An æquitas sit moderatrix iuris naturalis?

Opp.

Depositum reddere ius naturale iubet: sed si furiosus suum petat depositum, id ipsum reddere æquitas omnino negat: ergo æquitas etiam ius naturale moderatur?

Resp.

Resp.

Lex est naturæ, vt neminem lædas, quare restitutio depositi secundum legem naturæ debet fieri in deponentis fauorem, non cum noceat sed cum prosit maximè.

Opp.

Ius naturæ nos omnes æquales fecit, sed æquitas hoc ius mutauit: ergo æquitas ius naturale moderatur.

Resp.

Ius naturæ omnes æquales non fecit, nam alios dominos, alios seruos, alios patres, alios filios fecit.

Cap. XI.

An aliquis sibi iniuriam inferat? An consciscens sibi mortem iniuriam sibi faciat.

NEruus iustitiæ toties disrumpitur, quoties iniuria & damnum inferuntur. Vt enim discordia pacis fundamenta concutit: ita iniuria leges iustitiæ & æquitatis violat. Altiùs neç nõ acutiùs de inferenda iniuria hoc loco discutit Arist. ne mœnia iustitię tã pręclarè fundata impetu ac quasi fulmine iniuriæ labefactata ruãt. Quid sit iniuria, qd sit etiã iniustũ, quid sit iniuriam alijs inferre De inferenda iniuria.

Quæst. 1. antea ostendimus. Restat nunc denuo, vt hunc vnum scrupulum soluamus, vtrùm aliquis sibimetipsi iniuriam inferat. Procedit philosophus in textu differendo in vtramq; partem, & tandem concludit negatiuè, nimirum neminem sibi posse inferre iniuriam. Argumenta cõtra statum & conditionem secundæ quæstionis sunt duo, alterum ab exemplo desperantis, qui sibi conscisçit mortem, alterum *ab interpretatione legis*, quæ tacitè vetat tam horrendum flagitium. Quę enim lex non iubet, ea inquit philosophus, profecto vetat, sed lex non iubet quenquam *sibi* mortem conscisçere: ergo idipsum vetat. *Si igitur* quis hoc faciat, contra legem facit; si contra legem faciat, damnum & iniuriam adfert; nõ alteri, ergo sibi. Hic respondendum est iniuriam non solum esse læsionem contra legem, sed etiam contra voluntatem eius qui patitur. Cum ergo hoc fiat sponte, iniuria rectè non definitur. His positis negantem partem quęstionis aggreditur, & demonstrat primùm à definitione iniuriæ, secundo à consuetudine ciuitatis, tertio à comparatis, quarto à con-

Quæst 2.

Pro negante parte quęstionis argumenta sex.

à contrarijs, quinto à relatis, sexto à fine.
A definitione iniuriæ, quæ est læsio contra leges sponte illata ab agente, inuitè susce- 1.
pta à patiente: sed extrema Neronis desperatio non est inuita sed optata: ergo non est iniuria Neroni. Est tamen iniuria ciuitati. A consuetudine ciuitatis, quę pœ- 2.
nam & notā sempiternæ ignominiæ constituit illis, qui furijs agitati seipsos confodiunt. A comparatis, quia vt nemo vxori 3.
suæ inferre stuprum, vt nemo suum parietem diruere, vt nemo sua furari dicitur: ita nemo sibi inferre iniuriam (etsi fauces sibi reste perstringat) iudicatur. A contra- 4.
rijs, nam (hoc posito quòd aliquis sibi inferat iniuriam) sequetur quòd idem sit & agens & patiens, quodq; actio & passio simul eidē inesse possint. A relatis, quia vt 5.
omnis iustitia ad aliud: ita vniuersa iniustitia ad alterū refertur: ergo si iniuria sit quę dā iniustitia, vt est, ad alterū nō ad seipsum 6.
referri debet. A fine, qa iniuria ab omnib. cognoscitur esse malum, sed nemo malum appetit, vt in primo Ethicorum demonstratur: ergo nemo sibi iniuriam infert. Qui ergo sua profligant, qui alienum

thorum violāt, qui in ſeipſos delinquunt, legibus, magiſtratibus, & ciuitati, quæ iſta vetant, iniuriam quidem inferunt, non ſibi: Nam quemadmodum improbus puer mādata præceptoris palam contēnens, iniuriam præceptori facit, cui ſummam obedientiam debuit: ita qui legē ſpernēs ſibi vim infert, ciuitati, legi, & naturæ (quibus ſemper obtemperare oportuit) magnum iniurię vulnus imprimit & infligit. Sed quid ago? quem in hac theſi ac cōſultatione ſequor? quàm abhorret ab omni ratione, à fide, à religione iſta oratio? qd? nemóne ſibi iniuriam facit? non adulter? non fur? non ſui lictor & homicida. Si ſtes ſententiæ vix Chriſti diſcipulus, ſi mutes conſilium vix ſagax philoſophus eſſe videris. Præclarè Chryſoſtomus, Nemo læditur niſi à ſeipſo. peſſimè ergo Ariſt. Nemo læditur à ſeipſo. Siſte veſtigiū quæſo. ſi hæc ſit ſumma cauſæ, nulla famę iactura ſequitur: hæc enim quæ obijcis Sibyllæ quaſi folia ſunt, flatuq; rationis citò diſpelluntur. Quomodo ergo reconcilias iſta? vno verbo. Nam diuus Chryſoſtomus vitam theoricam, magnus Ariſtoteles vitam politi-

liticam intellexit. Quàm ineptè? imò potiùs diceres quàm appositè. Nam in theorica vita vbi mens tota defixa est in Deo, nemo quidem læditur nisi à seipso id est nisi ægrè & impatienter ferat, quod sors attulerit. In politica autem vita quæ lege regitur, iniuria ab alio agente non à seipso patiente impingitur. Cæterùm diligenter ac seriò mecum de hac re considera: nam inficias ire non videtur Aristot. quin quodam sensu aliquis sibi iniuriam inferat. Sunt quidem duplices potentiæ & facultates animæ, aliæ cõpotes rationis quę imperarẽt, aliæ rationis expertes quæ subseruirent. Inter has vires teste Aristot. est quædam iuris societas & cõmunio. Si ergo vel corpus quod est vehiculum & mãcipium naturæ, vel si inferiores istę potentiæ (quales sunt sensus, appetitus & phantasia) vim & impetum in arcem animi faciunt, non est dubitandum quin hoc respectu damnum & iniuriam aliquis sibi fecerit. Lex enim naturæ est vt hæ pareant, illæ dominentur. Quod si aliter fiat, ius naturæ violatur, ordo peruertitur, iniuria animi dignitati infertur.

Quomodo quis à seipso lædatur & nõ lædatur.

Potentiæ animæ duplices, rationales, irrationales.

Distin-

Distinctio.

Iniuriam sibi neminem inferre.

Nemo iniuriam sibi infert, quia

1. Nemo seipsum sponte lædit.
2. Omnis iniustitia & iniuria est ad alterum non ad seipsum.
3. Idem non potest esse patiens & agens simul, quod fieret si aliquis sibi iniuriam inferat.
4. Ciuitas desperantibus pœnam ignominiæ constituit.
5. Vt nemo sua mœnia diruit; ita nemo sibi iniuriam infert.
6. Nemo malum appetit, sed omnis iniuria malum est, & ita esse ab omnib. iudicatur: ergo nemo illud appetit.

Secundæ dubitationis expositio in explicatione primæ est explicata.

Opp.

Aliquis fortuitò & incautè frequenter seipsum occidit: ergo aliquis iniuriam sibi inferre potest. Argumentum tenet, quia est damnum sibi illatum contra voluntatem.

Resp.

Argumentum non tenet, quia volens hoc ipsum nolenti non fecit, quod in facienda iniuria semper requiritur.

Opp.

Appetitus qui voluntas sensitiua dicitur, sæpe animo contra voluntatem intellectiuam vim & damnum infert, vt patet in desperantibus: ergo aliquis sibi iniuriam infert.

infert. Argumentum probatur, quia omnes potentiæ animæ coniunctæ cum corpore vnum solum hominem numero constituunt, qui & agit & patitur hanc iniuriam.

Resp.

Vt homo minor mundus dicitur: ita si potentias animæ & corporis consideres, quædam in seipso ciuitas dici potest. Est.n. animi imperiū in corpus, est etiam quarundam partium in animo vt intellectus, rationis & voluntatis quidam in cæteras partes principatus, quæ omnes vnitæ vnum hominem constituunt, vnum quasi mundū, vnam quasi ciuitatem. Cum ergo inferiores potentiæ rebelles sint ac conspirent in superiores, contra legem naturæ factum est damnum quidem, sed si verè dicam quod sentio, meo iudicio facta non est iniuria, quippe est in potestate primarum partium istas petulantes & contumaces potentias coercere. Dici ergo non potest quòd fiat læsio contra voluntatem intellectiuam, cum in ea situm sit resistere & superare, tum enim fit iniuria cum non sit in potestate resistere.

Damnum potest fieri, interim vt non fiat iniuria.

An aliquis suæ vxori stuprum inferat? Dub.

Opp.

In debito matrimonij, si animus sit intentus meretrici, stuprum committitur: ergo illud exemplum apud philosophum nihil probat. Antecedens probatur, quia secundum canones philosophiæ ab electione & intentione dependet peccatum, non autem semper ab actione vt patet in ignorantibus.

Resp.

Resp.

Intentio istius Sardanapali non in vxorem sed in meretricem fluens iniustum & iniuriam facit. Sed Aristot. de debita & verecunda actione loquitur.

Opp.

Non apparet cui iniuriam sic facit: ergo non videtur esse iniuria.

Resp.

Apparet: nam & ciuitati cuius legem contemnit, & alteri cuius corpus maculare optauit, hoc damnum inferri videtur.

Opp.

Nullus damnum ex hac electione & intentione patitur: ergo iniuria non infertur.

Resp.

Potest esse iniusta & iniuriosa actio sine iniusta passione.

Vtrùm iniustum agere sit turpius quàm iniustum pati?

Agere iniustum est peius malum, quia

- *Est cum malitia coniunctum: aliud verò est sine malitia.*
- *Opponitur magis bono nempe honesto: at pati iniustum opponitur bono vtili vel iucundo.*
- *Reddit hominem simpliciter malum. pati verò iniustum non reddit.*
- *Digniorem partem animi inficit, nempe voluntatem.*

Opp.

Opp.

Pati iniuriam non est omnino malum: ergo rectè non dicitur agere iniuriam esse peius malum. Antecedens patet, quia est in potestate patientis, damnum vt in suum bonum commutetur: multi enim boni viri patientes iniustum in Christo lucrantur cœlum.

Resp.

Pati iniuriam est malum pœnæ non culpæ, quod verò sic intellexerit Arist. in textu constat, vbi docet pati iniuriam carere malitia.

Pati iniuriam caret malitia.

Vtrùm lex id omne vetet quod non iubet? Dub.

Opp.

Sexcenta sunt quæ lex non iubet, vt vxorem ducere, hoc vel illud vendere, non tamen vetat: ergo id omne non vetat quod non iubet.

Resp.

Hæc propositio accipitur duobus modis, vel

- *Vniuersim de omnibus, & sic hoc loco non intelligitur, nam multa rationi ac voluntati relinquuntur.*
- *Speciatim de malis, & sic id omne vetat quod non iubet, vt non iubet stuprari, aut res alienas clam surripere: ergo & stuprum & latrocinium vetat:*

Lex quæ nõ iubet mala, vetat.

Laus Deo.

LIBER

LIBER SEXTVS.

Cap. I.

An recta ratio bene definiatur?
An medium virtutis sit signum, quod recta ratio intuens nos dirigit?
An vis contemplatiua, quâ necessaria, à vi discussiua, quâ contingentia discimus, genere distinguatur?

Transitio fit à voluntate & bono, ad intellectum & verum.

DVAE sunt viæ, per quas in naucula istius vitæ ad portum veræ beatitudinis transuehimur: altera volũtatem & bonum, altera intellectum, & verum respicit. De primâ, id est, de voluntate & bono iam satis diximus, de secunda, id est, de intellectu & vero nunc paucula dicenda veniunt. Hinc futurum speramus, vt tam in bono quàm in vero animulę nostrę rectè instructæ deum, qui est summum bonum

num & incommutabile verum, discant melius sapere, & intentiùs contemplari. Huc enim omnis meus in præceptis labor, huc omnis conatus tendit; vt per artes humanas (quæ sunt veluti lucentes diuinæ sapientiæ stellulæ) cæcutientis nostri intellectus tenebræ magis illustrētur. Hoc autem accuratè tū fiat, cū deo & summo bono & infinito vero per volūtatem & intellectum conemur adhærere. Sed venio ad Arist. qui in hac secunda via & ducem & comites nobis demonstrat: dux recta ratio est, Comites virtutes mentis; illa tenet normam, hæ largiuntur palmam; in illa directio, in his perfectio eminet. Est enim recta ratio quasi virtutis linea, quæ ad mediū secundū circumstātias omnes humanas actiones dirigit. Est quoddam, vt ait philosophus, in theatro huius vitæ signum, ad quod recta ratio vltro citroq; flectendo nostra vestigia vrget. Nam vt peritus musicus suos neruos tendit & remittit, quò fiat concentus: ita recta ratio trahit & retrahit hominem, quò rectiùs in illo cōfirmetur virtus. Cæterùm cum intellectus, qui est subiectum rectę rationis,

Recta ratio quid.

Intellectus subiectum rectæ rationis.

Intellectus duplex.

sit duplex, practicus (vt aiunt) & speculatiuus: quæstio hoc loco frustra non mouetur, quę ratio in hoc tractatu potissimũ intelligatur. Insinuat philosophus & illam intelligi, quæ in actione; & hanc, quæ in contemplatione ponitur: illam consultationem de contingentibus & futuris, hanc contemplationem de certis rebus ac principijs scientiarum nominat: quæ duo genere (vt ait) differunt, id est, modo & officio distinguuntur.

Distinctio.

Ratio est, vel
- Innata, quæ sumitur, aut pro
  - Instinctu naturæ, sic apes & araneæ rationẽ habere dicuntur.
  - Naturali habitu, & sic tantùm homines rationis participes dicuntur.
- Acquisita, vel pro
  - Contemplatione artis, quæ recta dicitur in docẽdo; at hæc ab Arist. nõ intelligitur. Nã multi rectè docẽt, q̃ sua ipsorũ præcepta non sequuntur.
  - Actione virtutis, q̃ hoc loco à philoso pho intellecta ad omnẽ actionẽ virtutis regitur, propter
    - Directionẽ voluntatis, est n. norma quâ regitur.
    - Actionẽ virtutis, est. n. regula quâ dirigitur.
    - Perfectionẽ actionis, est. n. moderatrix quâ pficit.

Distin-

Distinctio secundæ quæstionis.

Signum, & recta ratio in dirigẽdo intuetur, est duplex, vel

- Intentionis, & sic est ipsa beatitudo, quam tanquam scopum intuens rectius vestigia studiosè agentis dirigit.
- Actionis, & sic est medium in virtutibus & perturbationibus animi, quod tanquam signum aspiciens rectâ nos via ad portum fœlicitatis ducit.

Distinctio tertiæ quæstionis.

Intellectus practicus & speculatiuus differunt

- Obiecto, practicus enim rem singularem & opus, speculatiuus rem vniuersalem discutit.
- Officio, est enim practici intellectus de futuris & contingentibus ratiocinari, est speculatiui res altas & diuinas cõtemplari.
- Fine, est enim practici finis prudentia, speculatiui autem sapientia.

Opp. contra primam quæstionem.

Prudentia vt est in definitione virtutis circumstantias præscribit: ergo non rectè in textu hoc officium rectæ rationi asscribitur.

Resp.

Prudentia præscribit per rectam rationem.

Opp.

Rectæ rationis definitio conuenit prudentiæ, est enim prudentia moderatrix actionis studiosæ secundum circumstantias: ergo malè definitur.

Resp.

Latiùs patet recta ratio quàm prudentia, est enim duplex, practica scilicet, quæ nos in virtutibus moris cum prudentia: speculativa, quæ nos in virtutib. mentis cum sapientia regit.

Opp. contra secundam quæstionem.

Nullum est omnino medium virtutis, ergo signum rectæ rationis nos dirigentis, medium virtutis rectè non dicitur. Antecedens probatur in 2. lib. Ethic. vbi virtus ipsa definitur.

Resp.

Virtus medium, in medio, & medij coniectatrix seu signum dicitur: signum autem dicitur non quòd non sit medium, sed quia intuentes virtutem vt signum in intentione, cognoscamus eandem esse medium in actione.

Opp. contra tertiam quæstionem.

Intellectus practicus à speculativo ratione solùm distinguitur: ergo malè in textu genere distingui & differre dicitur. Antecedens patet in tertio de anima.

Resp.

Genere quo modo differat intellectus practicus à speculativo.

Vt pater & filius, dominus & seruus specie politicâ differre dicuntur, quamuis specie dialecticâ nõ differunt: ita intellectus practicus à speculativo, & ratiocinativo à cõtemplatione genere hoc loco dicuntur differre: nõ quòd genere differant, sed quòd in ordine ad diuersa obiecta & fines officio & ratione distinguantur.

Opp.

Opp.

Aspectus idem numero existens potest percipere figuram, lumen, colorem, quæ naturâ differunt: ergo multò magis intellectus potest apprehendere obiecta diuersi generis, putà necessaria & contingentia: quare minùs considerate duæ potentiæ animi in textu ad hæc duo percipienda requiruntur.

Resp.

Agens intellectus & patiens, practicus & speculatiuus dicuntur diuersæ potentiæ, non quòd in essentia intellectus differãt, sed quod diuersa officia sortiãtur. Est.n. idẽ intellectus qui necessaria, est idẽ qui contingẽtia discutit, si essentiam spectes: attamen si modum & rationem spectes, diuersus appellatur.

Cap. II.

An sensus, appetitus, & intellectus sint tria in animo actionis & veritatis principia?

Virtutum mentis initium, progressus, terminus vnde.

CVm à sensu initium, ab appetitu progressum, ab intellectu terminum & perfectionem omnes artis mentisque virtutes habeant, opportunè quidem mouetur hæc quæstio, An sensus, appetitus, & intellectus sint tria in animo actionis & veritatis principia? Duo in hac thesi præcipuè considerari velim, ordinem & vsum. Ordo est, vt à sensu opera-

tio, ab appetitu actio, ab intellectu veritatis contemplatio fluat: vsus est, vt per artem, quæ à sensu nascitur, Deũ creantem; per prudentiam, quę à voluntate proficiscitur, Deum prouidentem: vt per sapientiam, quæ ab intellectu manat, Deum in seipso beatissimum cõtemplemur. Nam vt parua cum magnis comparemus, opus artis diuinam creationẽ, opus prudentiæ diuinam administrationem, opus denique sapientiæ diuinam Dei in seipso comprehensionem imitatur. Hæc summa est eorum quæ in hoc textu continentur. Veruntamen vt distinctiùs agantur singula, in quatuor conclusiones distribuenda est hæc tractatio: Prima est, quòd sensus non sit vllius actionis humanæ principium, quia belluis inest. Secunda est quòd appetitus sit causa rectè agendi, si mentis imperio subijciatur. Nam quam vim habent in mẽte affirmatio & negatio, si verum & falsum, eandẽ habent in appetitu adeptio & fuga, si bonum & malũ spectes. Tertia est, quòd moris virtus ab appetitu, & mentis virtus ab intellectu pendeat. Quarta est, quòd virtutẽ moris præcedat electio, quòd

Conclusiones quatuor.

1.

2.

3.

4.

quòd virtutem mentis sequatur contemplatio. Cum autem mens sit aut practica aut speculatiua, ab illa actionẽ & prudentiam, ab hac contemplationem & sapientiam procreari concludit philosophus. Hinc illa est distinctio effectionis, actionis, & cõtemplationis: effectio ad artem, actio ad prudentiam, contemplatio ad sapientiam refertur: ab effectione mechanici, ab actione politici, à contemplatione theorici homines dicuntur. Postremò & in his & in illis principatum tenet electio, quę nec præteritum, nec olim factum respicit. Quippe nec præterita reuocari possunt, nec infecta fieri. Primum in textu probatur exemplo: nam nemo vult Ilium expugnare: alterum testimonio Agathonis, qui dixit,

Hoc etiam ipse Deus soloq; carere videtur,
Infectum vt faciat quod factũ est atq; peractum.

In disquisitione veri considerari debent
- Principia, quę sunt
  - Sensus,
  - Voluntas,
  - Intellectus, idęq;
    - Practicus,
    - Speculatiuus.
- Instrumẽta, quæ sunt
  - Ars,
  - Scientia,
  - Prudentia,
  - Intelligẽtia,
  - Sapientia,

De quibus in tertio capite agetur.

Opp.

Potentia, affectus, habitus tria in animo actionis statuuntur principia, libr. 2. Ethic. ergo aut hîc aut illic minutè egisse videtur philosophus.

Resp.

Lege illic solutionem huius argumenti: verbo sic respondere possus. illic de principijs boni, hîc de principijs veri egisse philosophum.

Opp.

Homo principium suarum actionum in hoc capite, & in secundo libr. Ethico. dicitur: ergo sunt plura principia quàm hæc tria.

Resp.

Homo quo modo actionis principium.

Homo dicitur principium respectu istarum facultatum.

Opp.

Sensus in textu negatur esse actionis principium: ergo non sunt tria.

Resp.

Sensus relatus ad intellectum est actionum principium.

Sensus consideratur, vel

Per se, & sic non est principium vllius humanæ actionis.

Comparatè, nempe in relatione ad intellectum, & sic est principium: Nã interni sensus agunt per phantasmata & species rerum externarum, quæ primum sensus externos feriunt.

Opp.

Intellectus est subiectũ veritatis: ergo non est principiũ.

Resp.

Resp.

Non tenet ratio: est enim subiectum vt continet, est principium vt ex compositione & diuisione rerum eandem elicit. Alij respondent non esse subiectum, nam est in re vt in subiecto: est in oratione vt in signo, est in intellectu vt in principio.

Dub.

Vtrùm intellectus rerum appetitum, vel appetitus intellectum in disquirendâ veritate sequatur?

In disquirenda veritate spectantur duo,
- *Ordo, & sic appetitus sequi debet intellectum, qui primùm præscribit.*
- *Actio, & sic intellectus sequi solet appetitum, qui primùm eligit.*

Opp.

Intellectus est nobilior pars animi quàm appetitus: ergo sequi non debet appetitum.

Resp.

Argumentum hoc videbis infirmum, si distinctionem accuratè perpendere & ponderare velis.

Cap. III.

An sint quinq; virtutes mentis?
An scientia eiusq; proprietates rectè assignentur?

PRincipijs iam cognitis humanæ veritatis, oracula eiusdem quasi transcurrens per theatrum digi-

to demonſtrat philoſophus. Oracula appello, quia ab illis omnes contemplationis radij veluti ex tripode Apollinis ortum originemq; trahũt. Hæc vulgò quinque mentis habitus ſeu potiùs virtutes dicuntur, nominatim: Ars, ſcientia, prudentia, intelligentia, ſapientia, quibus nõ aliter à falſo diſcernitur verum, quàm Lydio lapide à ſcoria examinatur aurum. In harum tractatione primùm occurrit ſcientia, cuius nõ ſolùm vis ſed etiam vſus hoc loco quæritur: Aliud enim eſt ſcientiam habere aliud vti, vt ait Plato. Quippe ſtudendum non eſt, vt alijs plus ſcire, ſed vt meliùs & innocentiùs viuere poſſimus: hoc autem agemus, ſi non ſolum quid verũ ſit, per cauſas ſcire, ſed etiam per ſcientiam ſummo deuinciri vero ſtudeamus. In textu de ſcientia quatuor proponi ab Ariſtotele video, materiam, eſſentiam, proprietatẽ, finem. Materia eſt, vt ait, certa non anceps, neceſſaria nõ contingens, vera non fallax, æterna nõ cadens. Eſſentia eſt, vt virtus multis demõſtrationibus acquiſita, vt in analyticis ſatis declaratur. Proprietas quadruplex eſt, prima quòd omnis

Virtutes mẽtis quinque.

De ſcientia.

Scientię materia, eſſentia, proprietas, finis.

omnis scientia doceri possit: secũda quòd omnis scientia ex antecedente cognitione fluat: tertia quòd ratiocinatione non inductione constet: Postremò quòd principijs scientiæ credere oporteat. Finis deniq; est vt incognita pro cognitis, incerta pro certis, falsa pro veris, fortuita pro necessarijs in disquirendâ veritate non admittamus: vtq; per hoc verum in rebus, quod est medium, aliud quod est in primâ causâ summum, infinitum, & æternum, scire & diligere perdiscamus.

Distinctio primæ quæstionis.

Omnis virtus mentis respicit, aut
- Actionem, vel
  - Externam per opus, vnde ars.
  - Internam per consilium, vnde prudentia.
- Contemplationẽ, vel
  - Cum causis, vnde scientia, quæ est habitus demonstrandi per causas.
  - Sine causis, vnde intelligentia, quę est habitus credendi principijs.
  - Cum causis & effectis, vnde sapientia, quæ est habitus cõtemplandi res tam humanas quàm diuinas.

Distinctio secundæ quæstionis.

Scientia considerarur duobus modis, vel
- Dialecticè quoad modum sciendi, & sic in libris demonstrationum.
- Ethicè quoad vsum & finem scien-di, & sic hoc loco.

Opp. contra primam quæstionem.

Scientia & solertia inter virtutes mentis postea ab Aristo. enumerantur, ergo sunt plures quàm quinq;.

Resp.

Reducuntur istæ ad prudentiam, vt patebit.

Opp.

Nihil in Ethicis doceri debet quod nos meliores non redderet, sed virtutes mentis nos meliores non reddunt: ergo in hac scientia tractari non debent: Maior patet, quia finis huius scientiæ est summum bonum: minor constat quia multi virtutibus mentis pollent, qui turpiter & inhonestè viuunt.

Resp.

Vt intellectus & voluntas vnum animum constituunt: ita verum & bonum vnum finem efficiunt, quare vt est in essentia animi illarum partium vnio: ita in essentia finis horum obiectorum coniunctio esse debet. Respondeo igitur ad argumentum, quòd hæ virtutes intellectus ad bonum voluntatis secundum ethica præcepta, vt media quædam ad suum finem referantur: hinc ait philosophus quòd omnis ars omnisq; actio bonum appetat, quare pernicioſi speciem istarum virtutum non vsum, corticem non fructum habere videntur.

Opp. contra secundam quæst.

Scientia satis in primo lib. analyticorum tractatur: ergo otiosa est hæc tractatio.

Resp.

Illic modus sciendi, hîc vsus quæritur.

Opp.

Opp.

Non aliter hîc definitur scientia quàm illic, aliæ hic non traduntur proprietates quàm illic: ergo eodem modo & hîc & illic tractatur.

Resp.

Verum est, sed attende quòd hic alius vsus insinuetur, nempe quòd ad summum bonum referatur.

Vtrùm obiectum scientiæ sit æternum, ingenitum, necessarium? Dub.

Opp.

Nihil est verè æternum præter Deum: est naturalis scientia de genitis & corruptis: ergo obiectum scientiæ non est æternum, ingenitum, & necessarium.

Resp.

Obiectum scientiæ consideratur, vel

- *Realiter, & sic non est æternum, ingenitum, & necessarium.*
- *Intentionaliter, vt refertur ad æternum & incommutabile bonum, & sic est æternum, ingenitum, & necessarium.*

Cap. IIII.

Vtrùm Ars sit virtus mentis.

ERras ignaue, imò profectò toto cœlo erras, qui Athenas sine musis, qui Academiam sine præsidijs

sidijs artium (quas tantopere contemnis) velis constare. Quid enim aliud est Academia, quàm excelsa Musarum sedes, quàm tutissima bonarum artium natis, in qua fœliciter ad portum æternæ veritatis peruehimur, in quâ à Syrenũ incantante harmoniâ, à Circes fascinante inuidiâ tutò defendimur? Si artes ergo ignaue ab hac naui tollas, omnes vires tollis, ipsa nautarum lumina oculosque tollis: vires, quia sine his spirare non licet: oculos, quia sine his talpâ cæciores sumus. Da veniam (bone lector) si quoties de arte loquor, toties pro viribus in artium contemptores & corruptores intonem. Eorum enim ignorantiam sequuntur hęu nimis multi, quo fit vt vel omnino contemptæ iaceant, vel saltem in longè minore nunc precio quàm olim habeantur. Te falsum appello, nam florent artes. Quis tu tandem, qui interturbas? Te falsum appello, nam florent artes. audio. Nõ pudet te ergo mendacem esse? Si mendax essem, puderet nimis. Iacere artes dicis, non hoc mendacium? Si floruissent, hoc non dixissem. At florent artes. at vbi quæro?

to? O homo impudens non scholas vides? videre fateor, audire velim. Tu quæris artes, contemnis Christum: honoro artes, adoro Christum. Quid iuuant verbum septem scientiæ? id probãt firmiùs, id ornant meliùs: Quid verbo firmius? quid verbo melius? firmiùs probare dico, esse non dico. Quid, vis in arte semper moremur? Nimium non quæro, requiro modum. Sed hęc hactenus ex affectu, non tamẽ multum ab instituto digressus dixi: Reuertor ergo ad philosophum, qui artium alias mechanicas, quarum finis est opus, alias liberales, quarũ finis est actio, esse insinuat. Hinc facta est distinctio inter effectionem & actionem, vt illa opus externum, putâ domum; hæc opus internum, putâ verum eliciat. Hâc distinctione tradita, obiectum artis proponitur, quod est res contingens & mutabilis. Non enim tractat ars ea, quæ stant vel quę eueniunt necessariò. Hinc illud Agathonis, quippe ars fortunam, fortunaque diligit artem. Animaduertendum tamen est, quòd sic fortuna & ars in obiecto conspirent, vt maior sit in hac quàm in illa

Artis obiectum contingens.

illa constantia. Nam quamuis effectio artis transeat, conclusio tamen manet firmissima; verbi causâ, effectio artis in materiam obiectam fluit, vt ædificatio in domum; contemplatio tamen, quæ ad hoc opus dirigit, certum & indubitatum præceptum comprehendit. Si ergo vel materiam artis, quæ est mutabilis; vel effectionem, quæ est multiplex, consideremus, ars rectè quidem assimilatur fortunæ: Cæterùm si spectemus vel contemplationem, quâ dirigitur; vel finem, putâ summum bonum, ad quod destinatur: ars & naturâ certior & fortunâ constantior dici debet. Hinc definitur habitus mentis quo ad faciendum aliquid vera cum ratione dirigimur, cuiusque præceptis imbuti rectiùs ad assequendum bonum in hac vitâ progredimur.

Ars quid.

Artium alia est
- Ingenua & liberalis, in qua cõsiderari solent
  - Subiectum, quod est intellectus.
  - Obiectum, quod est res multiplex & mutabilis.
  - Officium, quod est artificem in opere vera cũ ratione dirigere.
  - Vsus, qui est intellectum ad summum bonum verumq; referre.

Mecha-

Mechanica: cuius finis est opus, vt nauis; cuius instrumentum est effectio, vt ædificatio nauis; de hac significatione in textu præcipuè agitur.

Opp.

Negat philosophus artem esse virtutem in fine quinti capitis huius libri: ergo non rectè hoc loco definitur.

Resp.

Intelligit philosophus illic quòd non sit virtus moris, non tamen negat esse virtutem mentis.

Opp.

Nulla virtus prohiberi debet, sed quædam artes prohibentur: ergo ars non est virtus.

Resp.

Nullæ artes prohibentur ea ratione, qua sunt virtutes intellectum ad verum iudicium dirigentes, sed eâ ratione, qua per fraudem & malitiam hominis ad malos vsus pertrahuntur: hoc autem vitium non est artis, sed hominis.

Opp.

Nemo abuti potest virtute, ergo malè respondetur malitiam hominis abuti arte. Antecedens est Arist. in magnis moralibus.

Resp.

Intelligitur illa sententia in virtutibus moris per se, in virtutibus verò mentis, si in actione & opere ad summum bonum referantur. Virtute nemo abuti potest.

Opp.

Actio non est artis sed effectio solùm: ergo malè respondetur arte non posse hominem abuti, si in actione ad summum bonum referatur. Antecedens est in fine huius capitis.

Resp.

Illic nomen artis ad mechanicam solùm restringitur, hîc verò ad liberalem etiam extenditur.

Vtrùm actio & effectio differant?

Resp.

Actio & effectio sumũtur, vel
- *Fusè, & sic sunt synonyma.*
- *Strictè, & sic effectio ad artem & opus, actio verò ad prudentiam proprièrefertur.*

Opp.

Actio & effectio ratione differũt.

Actio & effectio eadem sunt in praedicamento actionis: ergo non differunt.

Resp.

Sunt re eadem, sed ratione differunt: nam actio immanens aliquando, effectio semper transiens dicitur.

Cap. V.

An prudentia sit virtus intellectualis, vel moralis?
An temperantia sit conseruatrix prudentiæ?

GRadatim ad summum venit Philosophus. Nam suo ordine, reliquis tractatis, iam de prudentiâ, postremò de sapiẽtiâ disputat. Rectè olim

Boe-

Boetius doctos quidem multos vidi, prudentes autē perpaucos noui: artibus enim multę cōsecrantur scholę; sed prudentię, quę multis gradibus omnes excellit artes, nullę. Hinc inueteratū est penè in prouerbium, hominem esse probè doctum, sed parū prudētem: multis artibus ornatum, sed simplicem: bonū virum, sed malum magistratum. Non equidem hîc inficias eo, quin Thales in eremo diu multumq; versatus sit multùm sapiens & parū prudēs. Sed ista iam ætas requirit certè vt Homerus artem cum prudentiâ, prudētiam cum prouidentiâ ad vitam tutandam quærat: aliter fortasse, quamuis sit doctus, præ nimia charitate contabescat. Summa huius capit. paucis conclusioni- bus absoluitur: prima est quòd expediat de prudentia dicere, secunda quòd prudentis sit rectè consulere, tertia est quòd prudens neq; de necessarijs, neque de illis quę fieri nō possunt vllo modo deliberet, quarta quòd prudentia non sit scientia (est enim illa in contingentibus, hæc in necessarijs) iterū illa demōstratione, hæc coniecturâ vtitur, quinta quòd cum arte

Docti multi, Prudentes pauci.

Nota.

non concidat: ars enim externũ, prudentia internum respicit: ars in opere & effectione, prudentia in consilio & actione cernitur: ars deniq; solum verum, sed prudentia & verum & bonũ intellectum efficit. Est enim prudentia moderatrix morum, est etiam habitus indagandi verum. Hinc in textu definitur bona animi affectio, id est virtus, quę cũ vera ratione coniuncta vim habet ad gerenda omnia, quæ ad vitam degendam pertinent. Est enim prudentiæ cõsilium dare, bonum à malo, verum à falso discernere, rectè cum alijs versari, perspicere occasiones, verbis solerter, rebus prouidẽter vti, ad omnẽ consultationem & tempus & diligentiam adhibere, operã & oleum in rebus vanis minusq; necessarijs nõ perdere. Quippe duo sunt prudentiæ maximè infesta, stultitia nimirum & curiositas. Non placet hîc tacitus id præterire, quod præclarè hoc loco scribit philosophus, nempe in vlnis & amplexu veluti temperantiæ conseruari prudentiam. Animus enim corruptus & deprauatus perdit ingenium, delitijs mancipatus perdit consilium.

Prudentiæ munera.

Prudentiæ infesta duo.

Temperantia conseruat prudentiam.

Distin-

Distinctio primæ quæstionis.

Considerari debent in prudentia
- Subiectum, quod est intellectus practicus non voluntas.
- Obiectum, quod est res actioni & consultationi subiecta.
- Officium, quod est,
  - Virtutis moralis circūstantias præscribere.
  - Res futuras prospicere.
  - Consilium dare.
  - Totam reipub. curam suscipere.
- Partes
  - Recta ratio, Solertia } quæ præsentia, } discutit.
  - Prouidētia, quę futura, Experientia, quæ præterita } discutit.

Temperantia est conseruatrix prudentiæ,
1. Propter moderationē sensuum, qui sæpe obsunt animo.
2. Propter refrænationem affectuum qui nocent ingenio.
3. Propter suppressionem voluptatum & dolorum quę aduersantur iudicio.
4. Propter conseruationem sanitatis, quam omnium maximè nutrit & tuetur temperantia.

Opp.

Prudentia non est in intellectu, ergo prudentia non est virtus intellectus. Antecedens probatur, quia quicquid est in intellectu per obliuionem deleri possit, sed prudentia obliuione deleri non potest, vt habetur in fine huius capitis: ergo non est in intellectu.

Resp.

Deleri non posse ait Philosophus, nō quòd nō deleatur, sed quòd propter firmitatem habitus hoc fiat rarò & difficulter. Alij respondent deleri non posse respectu obiecti, quod semper & omnibus in quotidiano vsu vitæ obijcitur, cum aliarum virtutum obiecta sic se non habeant.

Opp.

Obiectum prudentiæ est obiectum omnium virtutum moralium: ergo non est distincta virtus. Antecedens patet, quia res agenda obijcitur prudentiæ.

Resp.

Res agenda considerat-ur, vel
- *Generatim, vt ad bonum voluntatis refertur, & sic est obiectum omnium virtutum.*
- *Speciatim, vt ad verū opus intellectus refertur, & sic est obiectum prudentiæ.*

Opp.

Moralis philosophia est habitus agendi vera cum ratione circa bona humana: ergo est prudentia.

Resp.

Moralis philosophia in genere, prudentia in specie hæc bona tractat.

Opp.

Prudentia vt est in textu, perficit appetitum in ordine ad bonum: ergo non est mentis virtus, quæ perficeret intellectum in ordine ad verum.

Resp.

Perficit dirigendo, non eliciendo actum, nam prescribit quid faciendum sit secundum omnes circumstantias in omni virtute morum.

CAP.

Cap. VI.

An intelligentia sit virtus mentis.

QVoniam antiquus serpens insidiosè sub nomine & prætextu inanis scientiæ atram ignorantiam & cæcitatem intellectui humano obijcere contendit: necesse est inter alias virtutes mentis intelligentiam connumerari; ne dum veritatem in primis causis principijsque rerum expiscari conemur, atris densisque fumulis in fontem intelligendi sparsis turpiter erremus & decipiamur. Multa sunt in philosophia tractata quæ demonstrationibus probantur, de quibus est scientia; multa sunt quæ demonstrari non possunt, de quibus est intelligentia. Eò enim vsque in indagine veri progressi sunt olim sapientes viri naturæ lumine illustrati, donec ad primas causas penetrârunt, quas cum demonstrare non potuerint, publico quasi edicto in suis synodis statuerunt credendum esse in quauis scientia primis principijs: vnde hoc vnum ex illis didici, intellectum subijci voluntati, vt aliquando

Intelligentia est de ijs quæ demonstrari non possunt.

Credēdum est primis principijs.

trahatur illis credere, quæ vi rationis probari non possunt. Tanti æstimarunt profectò hoc ipsum credere insignes philosophi, vt hoc loco eorum princeps intelligentiam virtutem credendi principijs esse definiat. Est enim intelligentia habitus flectens mentẽ firmiter assentiri illis, quæ demonstrari nequeunt. Hic habitus habẽtem perficit: hic habitus opus bonum atq; perfectum reddit: hic habitus intellectum ad summum verũ bonumq; trahit, ergo est virtus: Trahit autem, nõ vt scientia, quia demonstratione non vtitur: non vt ars & prudentia, quia mutabilibus rebus non subijcitur. Subijcitur enim principijs, quę sunt aut cognitionis, quę complexa; vel constitutionis & essentiæ, quæ simplicia nominantur. Complexa sunt vt axiomata germana cuiusque scientiæ, verbi causâ, omnia appetere bonum: ab æquali demptis æqualibus relinqui æquale. Simplicia sunt, vt materia, forma, deus: & his & illis credere & assentiri nos vrget intelligentia, non vi demonstrationis à priore per causas, sed vi inductionis à posteriore vt aiunt per effecta: quippe effecta

Intelligentia quid.

Intelligẽtia suadet per effecta.

effecta primarum causarum intuentes ipsas primas causas esse sine demonstratione credimus.

Distinctio.

Intelligentia accipitur, aut
- Naturaliter, pro potẽtia & lumine mentis perficiente animam.
- Moraliter, pro habitu mouente hanc facultatem ad firmiter assentiendũ principijs, quæ demonstrari non possunt, & sic hoc loco.

Opp.

Potentia animi est satis efficax ad assentiendum veris principijs per se: ergo non opus est talem virtutem ponere. Antecedens probatur, quia intellectus proprio suo lumine credit hoc esse verum, nẽpe omne totum esse maius sua parte.

Resp.

Principia sunt, aut
- *Per se perspicua, quæ lumine intellectus percipiuntur.*
- *Admodum obscura, quæ acquisito habitu opus habent, quo illis assentiamur, & de his intelligitur textus.*

Opp.

Omnis virtus versatur circa difficile, sed intelligentia non versatur circa difficile: ergo non est virtus. Minor probatur, quia nihil est facilius quàm credere principia esse.

Resp.

Non solùm hoc requiritur vt credat, sed illud etiam vt inductione ab effectis probet.

Opp.

Sapientia dicitur in proximo capite intelligentia: ergo ab alijs non distinguitur.

Resp.

Sapientia dicitur intelligentia, non quòd sit, sed quod illam comprehendat & perficiat.

Cap. VII.

An sapientia sit virtus mentis? & an sit scientia & intelligentia?

NEC Phydiam, etsi Olympicum Iouem affabrè insculpserit, nec Polycletum insignem illum artificem verè sapientem nomino: vix quidem Thaletem, qui mundum contempsit, vix Anaxagoram, qui magnifico relicto patrimonio cœlum elegit, sapientum nomine audeo definire. Fateor equidem in textu hos egregios viros sapientes dici propter summum & diuinum aliquid, q̃ in illis luxit: cæterùm cum ab omni labe erroris & ignorantiæ liber & immunis debeat esse sapiens, quem verè sapientem in hac vita definiam, certè nõ intelligo. Sed vt in omni ordine graduq̃; rerum id summum & perfectum habetur, quod ad optimum

Nemo verè sapiens.

mum proximè accedit: ita is vere sapiens dici potest, qui Apollinis sapientiam maximè imitatur. Errauit Plato, at diuinus: errauit Socrates, at sapiens dicitur. Diuinus ille, quia vt aquila in altum volauit: sapiens hic, quia pro vno Deo cycutam hausit. Est ergo definiente philosopho sapientia rerum diuinarum amplissima scientia. Per res diuinas propriā materiam, p scientiam cōtemplationem sapientis intelligo. Hinc etsi cuiuslibet artis perfectio sapientia populariter & vulgo habetur: vera tamen sapientia non est, iuxta illud Homeri,

Sapientia quid.

Diuum munere nec fossor, nec durus arator,
Nec sapiens alia vlla nimirum extitit arte.

Is enim solùm sapiens, vt ait Seneca, qui seipso contentus est, quique nil agit quod non debet, & quod debet prætermittit nihil. Sed quid ago? sus Mineruam doceo, asinus lyram tracto: admirari enim possum, demōstrare quidem non possum veram sapientiam. Liceat tamen queso (studiose lector) quoniam de moribus nunc scribo, vlcus istius ætatis leuiùs attingere. Vbi est tandem ille Pythagoras,

Quis verè sapiens à Seneca dicatur.

ras,qui olim interrogatus à Leontio rege quemnam se profiteretur,non ausus sibi nomen sapientiæ vẽdicare,philosophum respõdit? vbi insignis ille & oraculo Apollinis sapientissimus iudicat? Socrates, qui se hoc vnum scire dixit,se nihil scire? Rarę ꝑfectò aues sunt in terra. Quot enim istis temporib. philautiâ turgidi immaturos fructus fundunt? quot oua vanitatis conficientes implumes pullos nutriuut? quot nimis festinantes ad alta cæcos pariunt catulos? quot contemnentes verę sapientiæ media,se omnia tamen scire,se omnia sapere gloriantur? Cum simus cæci, perspicaces: cum simus talpæ, lynceos: cum simus corui,aquilas: cum simus nubes, lumina: cũ simus folia,robora: cum simus nani, Hercules: cum simus Grilli, Socrates: cum simus omnium infantissimi, nos omniũ sapientissimos videri & haberi cupimus. Quid ita quæso? quid ita quæris? qa radix veræ sapientiæ exaruit, nẽpe vera humilitas, vera enim sapientia afficit, sed nõ inflat, non extollit: q ergo plus sapit quàm oportet, non sapiens sed insolens, non doctus sed superbus haberi debet.

De

De natura sapientiæ sunt probabiles opiniones:

1. Quòd sapientia sit idem habitus numero cũ scientia & intelligentia, non tamẽ formaliter, vt aiunt, sed fortuitò & adæquatè, cum ad eadẽ obiecta terminetur, ad quæ scientia & intelligentia.
2. Quòd sapientia non sit habitus simplex, sed compositus, alios habitus mẽtis in se comprehendens.
3. Quòd per Intelligentiam principijs demonstrationis, Scientiam conclusionibus, Sapientiam connexioni vtriusq; assẽtiamur.
4. Quòd metaphysica scientia sit propriè dicta sapientia, quia res æternas, sepàratas & diuinas tractat.

Opp.

Sapientia ab intelligentia & scientia non distinguitur: ergo malè definitur. Antecedens probatur, quia vtriusq; virtutis nomine in textu appellatur.

Resp.

Vtriusq; nomine appellatur, quia vt excellentior habitus illas comprehendit.

Opp.

Phydias insculptor, & Polycletus statuarius dicuntur in textu sapientes: ergo quilibet artifex in sua facultate excellens nomen sapientis mereatur, quod est contra authoritatem philosophi, qui dicit sapientiam esse solùm circares maximè honorabiles.

Resp.

Resp.

Sapientia considerat bifariam, vel

- *Absolutè, respectu diuini & excellentis obiecti, & sic metaphysicè dicitur solùm sapientia.*
- *Secundum quid, & ex parte, & sic dici potest aliquis sapiens mathematicus, sapiens medicus, sapiens statuarius.*

Opp.

Omne maius & excellentius bonum continet minus eiusdem generis: ergo sapientia cõtinet prudentiam: quo concesso videtur Arist. non rectè Thaletem & Anaxagoram sapientes concludere, eosdemq; prudentes esse negare.

Resp.

Sapientia continet sub se prudentiam vt minùs bonum, non tamen necesse est, vt omnis sapiens sit prudens, quia vtriusq; officia, fines & obiecta differunt.

Opp.

Obiecto non differt à reliquis virtutibus mentis sapientia: ergo non est distincta virtus. Antecedens probatur, quia veritas est obiectum earum omnium.

Resp.

Verum consi-

- *In opere, & sic est obiectum artis, quod verum faciendum*
- *In contemplatione, & sic est obiectum scientiæ; quod verum demonstrandum*

dera-

sideratur, vel { *In actione, & sic est obiectum prudentiæ, quod verum agendum* } *dicitur.*
In principijs, & sic est obiectum intelligentiæ, quod verum credendum
In fine vltimo, vel potiùs in vnione rerum omnium ad primã causam, & sic est obiectum sapientiæ, quod verum, honorandum & diuinum

Opp.

Verum est obiectum ipsius mentis: ergo non est obiectum eius virtutis.

Resp.

Verum capitur, vel { *Communiter, & sic est obiectum materiale intellectus.*
Propriè, & sic est obiectum formale virtutis, vt in priore distinctione probatur.

Cap. VIII.

An ciuilis scientia & prudentia sint idem habitus?
An rectè diuidatur prudentia in Politicam, Oeconomicam, priuatam?

NEmini mirum esse debet, cur singulis virtutibus mentis suo ordine tractatis, alia de prudentia apud

apud philosophum instituatur disceptatio, præsertim cum ciuilis scientia magis à prudentia, quàm ab alijs omnib. eiusdem generis depẽdeat: est enim prudentia moderatrix morum. Verùm ne in minùs necessarijs nimis molestus videar, in sequentibus adiunctis & quasi annexis huius libri breuitatem polliceor. Tractantur in hoc cap. præcipuè tria: distinctio prudentiæ à ciuili scientia, diuisio eiusdem in suas partes, enumeratio eorum quæ ad prudẽtiam necessariò requiruntur. Distinguitur prudentia à ciuili scientia in tribus, nempe in subiecto, obiecto, & officio. Subiectum enim moralis philosophiæ est voluntas, subiectum verò prudentiæ est intellectus: Materia Ethices est bonum, obiectum vero prudentiæ est verum: Officium proprium moralis scientiæ est virtutes definire, officium verò prudentiæ est circumstantias præscribere. Diuisio prudentiæ, quæ in secundo loco traditur, est, vt alia sit politica, quæ ciuitatẽ: alia œconomica, quæ familiam: alia monastica, quæ priuatum bonum respicit. Hoc autem fit non in definitione virtutis, sed in ordi-

Prudentia & ciuilis scientia quomodo differant.

Prudentia triplex.

ordine & forma actionis: quippe non essentiam sed existentiam, non habitum sed actionem, non vim internam sed externum officium virtutis definit & præscribit prudentia. Tertium, quod agitur, est enumeratio eorũ quæ ad prudentiam requirantur: hæc ad duo capita reuocari possunt, nimirum ad experientiam & iudicium: experientia diuturnitate temporis, iudicium exercitatione efficitur. Hinc in textu adolescentes mathematici & scientes dicuntur, sed physici & prudentes esse negantur. Nam in illis solùm ingenium, in alijs vero iudicium requiritur.

Diuisio prudentiæ ex textu collectæ.

Prudẽtia est, vel
- Vnius hominis, quæ monastica dicitur.
- Vnius familiæ quæ œconomica dicitur.
- Totius ciuitatis, quæ politica dicitur, & hęc est, vel
  - Legum effectrix, vulgò positiua, quę consistit in vniuersalibus per consultationem & iudicium.
  - Legum moderatrix vulgò (vt aiunt) executiua, quæ consistit in singularibus per sententiam.

Opp.

Prudentia & ciuilis scientia dicuntur in textu idem animi habitus: ergo non differunt.

Resp.

Sunt idem genere non specie.

Opp.

Idem in genere obiectum tractat prudentia, quod tractat ciuilis scientia: ergo est idem habitus genere. Antecedens probatur: quia bonum ciuitatis, familiæ hominisq; priuati respicit.

Resp.

Respicit vt præscribat non vt definiat, modum enim agendi tradit non habitum.

Opp.

Architectonica prudentia quæ est regis de regno, bellica, quæ est ducis de exercitu enumerantur in textu: ergo sunt plures species prudentiæ, quàm politica, œconomica & priuata.

Resp.

Continentur istæ species sub politica & ciuili, vt in textu patet.

Opp.

Si tot sint species prudentiæ, tum plures sunt virtutes cardinales quàm quatuor, quod est absurdum.

Resp.

Ratio non sequitur, quia prudentia generatim sumpta cardinalis solùm dicitur.

Opp.

Prudentia versatur circa vniuersalia, vt antea patet: ergo non debet esse priuata, vt hoc loco requiritur.

Resp.

Prudentia, quæ legum effectrix dicitur, vniuersale obiectum respicit: at monastica, quæ propriè hoc loco prudentia dicitur, vnius hominis bonum & singulare intuetur.

Cap. IX.

An consultatio sit scientia, opinio vel coniectura? De consultatione.

An sit distincta virtus mentis?

ALiud adiunctum prudentiæ est cõsultatio: de quâ cum in tertio libro satis egerimus, pauca nunc admodum adijcientur. Contendit philosophus in hoc capite bonam consultationem à scientiâ, ab opinione, à coniectura distinguere: à scientia, quia nemo sciens quærit, at qui consultat de rebus futuris quærit & ratiocinatur: ergo consultatio non est scientia: ab opinione, quia opinio est sine ratione & quæstione, qui enim opinatur non discutit, non quærit, sed qui deliberat, primùm quæstionis nodũ proponit, tũ rationis nutum & prescriptum sequitur. Est enim consultatio quædam vt ita dicam consilij linea & rectitudo: Nam vt linea manum, ita consultatio mentem in rebus incertis dirigit. A cõiectura

Cõsultatio quomodo differat à scientia, opinione, & cõiectura.

ctura differt, quia coniectura citò colligitur, sed ad consultationem multum temporis & diligentiæ adhibetur. Ex his concludit Arist. non omnem animi rectitudinem de rebus dubijs esse bonam consultationem, sed eam solùm, quæ de medijs optimis ad honestum finem destinatis instituitur.

Consultatio bona quæ sit.

Distinctio.

- Cõsultatio differt
  - A scientia, in
    - Obiecto, nam in *scientia* est certum & necessarium, in consultatione autem anceps.
    - Medio, nam scientiæ mediũ est demonstratio, consultationis autem opinio.
    - Fine, nam *scientiæ finis* est contemplatio, *consultationis* verò actio.
  - Ab opinione, in
    - Subiecto, nã opinionis subiectum est phantasia, illius autem est voluntas.
    - Obiecto, nam opinio est circa ens & non ens, consultatio verò non item.
    - Adiuncto, quia opinio vera aut falsa, cõsultatio bona aut mala dicitur.
  - A coniectura,
    - Quòd coniectura *velociter*, consultatio deliberatè & prudenter fiat.
    - Quòd coniectura sit leuis, cõsultatio grauis & põderosa,

Opp.

Opp.

In tertio libro satis egit philosophus de consultatione: ergo hoc loco nugatur.

Resp.

Aliter hîc, aliter illic de consultatione agitur. illic enim secundum Thomam de illa, vt est actio voluntatis, hîc verò de illa, vt est habitus intellectus, agitur.

Opp.

Consultatio habitus in textu non definitur: ergo de illa vt de habitu non agitur.

Resp.

Quamuis nomen habitus apertè in textu non adhibeatur, insinuatur tamen: Est enim bona consultatio (græcis εὐβουλία dicta) habitus mentis animum inclinans ad prudenter deliberandum, optimumq; finem per optima media attingendum.

Opp.

Quandoq; ad malum finem bonum consilium datur, vt est in textu, ergo ad optimum finem semper non adhibetur consultatio.

Resp.

Quemadmodum in speculatiuis scientijs ex falsis verum aliquando sequitur: ita in practicis ex malis medijs bonum aliquando contingit propositum. Sed attendendum est, quòd ad consultationem, de qua hoc loco agitur, duo requirantur, optimorum finium intentio, & mediorum non turpium sed honestorum inuentio. Non est ergo Ad bonam cõsultationem duo requiruntur.

vera consultatio, quæ ex malis principijs medijsq; nascitur.

Opp.

Finis optatus sæpe omittitur, cum diu ac multum de medijs deliberetur, ergo semper diuturnum tẽpus ad consultationem requiri non debet.

Resp.

Ne hoc fiat, alia virtus nempe solertia à philosopho adijcitur, quæ est habitus citò ac velociter inueniendi medium. sed de hac virtute proxima instituitur disputatio.

Opp.

Eubulia, sagacitas, & sententia sunt virtutes mentis: ergo sunt plures virtutes mentis quàm quinq;

Resp.

Virtutes mentis sunt, aut { *Primariæ, quæ sunt numero quinq;* / *Minus primariæ, & sic sunt plures.*

Cap. X.

An sagacitas sit virtus mentis distincta à prudentia?

EOelix est ingenium quod citò promptèq; rerum causas percipit: acumen sæpe ingenij quæro, consilium semper nõ requiro. Discrimen eminet, caue, nã mora periculum, sagax ingenium salutem adfert. Necesse est aliquando yti cõsilio, est etiam necessarium ali-

aliquãdo frui ingenio: vt ergo apud Arist. de virtute consilij, ita nunc de virtute ingenij agitur. Hæc virtus solertia est, quæ definitur habitus quasi præsentis animi, quo citò promptéq; sine gyro deliberationis optima inueniuntur media. Huic virtuti alia affinis & cognata in textu traditur, nominatim sagacitas, quæ definitur habitus mẽtis inclinans flectensq; hominem ad rectè iudicandum de medijs, quæ per cõsilium aut solertiam inueniuntur. Opponitur huic virtuti, vt ait Arist. hebetudo ingenij, quâ laborantes tardi & quasi asini dicuntur. Quid multis? hæ virtutes nempè cõsilium, solertia, sagacitas & sententia sunt partes & species practicæ prudentię. Est enim prudentiæ munus deliberare, quod à consilio; promptè & ingeniosè aliquando medium inuenire, quod à solertia; rectè de medijs inuentis iudicare, quod à sagacitate; cum iudicio æquitatis & iustitiæ quasi vocem coniungere, q̃ à sententia habet & mutuatur. Vnum autem supereſt officium, nẽpe circũstantias in actione cuiusq; virtutis prescribere, q̃ sibi vt proprium & germanum vẽdicat,

Sagacitas.

Prudentiæ munera.

Distinctio.

Actus prudentiæ sunt quinq;,
- Deliberare, vnde cõsilium, quod eubulia.
- Citò medium, si opus sit, inuenire, vnde solertia, quæ eustochia.
- Rectè de inuentis medijs iudicare, vnde sagacitas, quæ synesis.
- Iudicium absoluere, vnde sententia, quæ gnome dicitur.
- Circumstantias actionis præscribere, vnde proprium nomen prudentiæ ducitur.

Opp.

Sagacitas & sentẽtia insunt nobis à natura: ergo non sunt virtutes. Antecedens est Aristotelis in 11. cap.

Resp.

Sunt à natura inchoatè non perfectè.

Opp.

Constat prudentia ex istis virtutibus: ergo sunt potiùs partes quàm species prudentiæ.

Resp.

Constat vt totum vniuersale, non vt totum integrale, nam de illis in quæstione naturæ prædicatur.

Opp.

Sagacitas non est prudentia: ergo non rectè docetur quòd prudentia de sagacitate prædicetur. Antecedens apertè est in textu huius capitis.

Resp.

Prudentia consideratur, vel
- *Generaliter, & sic sagacitas est prudentia.*
- *Particulariter, & sic non est.*

Opp.

Opp.

Prouidentia, circumspectio, docilitas species prudentiæ à multis ponuntur, ergo sunt plures.

Resp.

Sunt quædam potentiæ non species. aliter respondendum est, quòd ad has species reducantur.

Opp.

Prudentia diuiditur in politicam, œconomicam, & priuatam, vt in suas species: ergo malè diuiditur in has species.

Resp.

Prudentia est genus, & primũ in hæc genera diuiditur: tum iterũ in has vt in infimas species subdiuiditur.

Cap. XI.

An sententia sit virtus mentis distincta à prudentia?

VT quies motum corporis, ita sententia mentis iudicium claudit. Est enim sententia veluti prudentis anima, quæ altiora discutit & concludit. Nam vt sapientia diuiniora quàm scientia in contemplatione rerum, ita sententia maiora quàm solertia in actione humana respicit. Sed animaduertendum hîc est, quòd sententia vt comes æquitatis iudicium in defectione legis maximè spectet,

Comites sunt æquitas & sententia.

ctet, verbi causâ, iubente lege vt omnis homicida mortis pœnâ mulctetur, prudens seriò ac diligenter considerat, an forte, an sponte, an ignoranter, an scienter & malitiosè sanguinem iste homicida effuderit. Si fortè, aut ignoranter feciſſe videatur, continuò æquitatem & sententiam accersit, vt illa legis defectum corrigat, vt hęc in tanto defectu legis iudicium absoluat. Est enim æquitatis defectionem legis moderari: Est munus sentētiæ litem cōponere iudiciumq; consummare. Hinc definitur habitus mentis, quo præditi rectè in defectione legis, verùm secundum æquitatem de rebus dubijs iudicamus: vnde in textu ipsum iudiciū ęqui boniq; viri ab effectu dicitur. Si huius virtutis à reliquis distinctionem quæras, attende quòd duæ medium, duæ iudicium spectent: medium consultatio & solertia, sed illa diu, hęc citò discutit: iudicium sagacitas & sententia, sed illa veluti proponit, hæc verò perficit & absoluit.

Distinctio.

Sententia sumitur, aut
- Materialiter, pro ipso iudicio secundum æquitatem in defectu legis.
- Formaliter, pro habitu iudicādi benè de illis in quib. lex cōmunis deficit.

Opp.

Opp.

Secundum solertiam probè iudicare dicimur : ergo superuacaneum est sententiam addere. Antecedens probatur in antecedente capite.

Resp.

Solertia, vt docuimus, inclinat ad bene iudicandum, sententia verò ipsum absoluit iudicium. Alij respondent solertiam commune iudicium respicere volente lege, sententiam autem priuatam iudicium lege deficiente.

Opp.

Vna virtus sufficit ad consultandum : ergo vna sufficeret ad iudicandum : valet argumentum à paribus comparatis.

Resp.

Non est par ratio, nam consultatio est de vniuersis, iudicium autem est de singulis.

Opp.

Virtus est in necessarijs, sed in rarò contingentibus est sententia : ergo sententia non est virtus. Minor probatur, quia rarò contingit vt iudicium à legibus deficiat, in quo casu solùm requiritur sententia.

Resp.

Non raro contingit, si vel obscuritatem legis, vel ignorantiam hominis considerare velis.

CAP.

Cap. XII.

An ſapientia ſit virtus diuinior & vtilior quàm prudentia?

An per ſe expetatur?

An nemo niſi bonus ſit prudens?

QVemadmodum ſolis ſplendor omnium reliquorum ſyderum ſplendorem ſuperat & obſcurat: ita ſapientię lumen omnium reliquarum virtutum ſerenitatem multis gradibus vincit & excellit. Quæ enim corporis cum anima, quæ rei mortalis cum æterna, quæ prudentiæ cum ſapientia fieri poteſt comparatio? In fronte huius capitis ludit quidem philoſophus vltro citroq; textis & reſolutis argumentis, quibus videtur probare, nec prudentiam eſſe vtilem, nec ſapientiam eſſe neceſſariam ad bene beateque viuendum. Sed omiſſis argumentis ad rem ipſam venio: primùm ergo concludit philoſophus ſapientiam & prudentiam eſſe virtutes expetendas propter ſe: rationem addit, quia vtramque partē animi perficiunt, tā illam, quæ in con-

in contemplatione, quàm hanc, quæ in actione cernitur. Secundò probat, quòd vtraque plurimum ad beatitudinem acquirendam conferat. Vt enim medicina sanum, ita prudentia fœlicem: & vt sanitas ipsa sanum, ita quidem sapientia beatum efficit: quippe illâ vt instrumento, hâc vt principio fœlicitatis vtimur. Tertiò id sõlũ demonstrat quod proponitur, nempe sapientiam esse longè meliorem virtutem, quàm prudentiam: Si enim subiectum sapientiæ spectes, est mens in quiete contemplationis, non in motu actionis posita: Si obiectum proponas, est res diuina, æterna & incommutabilis: Si modum probandi consideres, est in rebus honorificis & necessarijs inuicta demonstratio: Si finem, est ipsa longè diuinissima beatitudo, quæ in sempiterna contemplatione primæ causæ vnioneque rerum omnium ad eandem causam ponitur.

Sapientiæ subiectum, Obiectum, modus probãdi, finis.

Distinctio.

Sapientia { Subiecti, quia intellectus contemplatiuus sapientiæ & practicus prudentiæ subijcitur.

est

est virtus excellentior quã prudẽtia, ex parte
- Obiecti, quia res æternæ, diuinæ & separatæ sunt materia sapientiæ: at res mutabiles & contingentes prudentiæ obijciuntur.
- Modi, quia sapiens demonstrando, prudens autem consultando de suis obiectis disputat.
- Finis, quia finis sapientiæ est contemplatiua, finis verò prudentiæ est actiua beatitudo.

Opp.

Finis prudentiæ est bene viuere, sed finis sapientiæ est solùm scire: ergo prudentia est melior sapientia: Maior est Aristot. in fine huius capitis, vbi docet prudentem esse necessariò bonum virum. Minor est in proœmio decimi libri Met ap.

Resp.

Sapientiæ duplex ratio.

Sapientia sumitur, vel pro assensu mentis in præmissis & conclusione demonstrationis, & sic non est melior prudentiâ vel pro intuitu primæ causæ, & sic melior est, non solùm quia verum, sed etiam quia bonũ intellectum reddit. Sapienter enim nemo nisi bonus primam causam, vt suam fœlicitatem contemplatur: finis ergo veræ sapientiæ non est tantùm scire, sed benè scire, quod in se concludit bene viuere, iuxta illud, in maleuolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccato.

Opp.

In principio huius capitis docet philosophus, quòd sapientia nulla in re versatur, quæ beatum facit: ergo ea de causa non est melior.

Resp

Resp.

Non docet, vt ais, sed dicit: non concludit, sed obijcit: est enim obiectio non conclusio.

Opp.

Septimo Politicorum docet prudentiam maximè valere ad fœlicitatem, ergo est nobilior virtus.

Resp.

Illic politicam fœlicitatem intelligit, hîc verò theoricam, quæ in seipsa vi sua vertitur.

Opp.

Plus prodest ciuitati prudentia per actionem: ergo est melior quàm sapientia.

Resp.

Argumentum non tenet, si essentiam & excellentiam virtutis spectes: Neque id verum est plus prodesse ciuitati, cum omnis actio à contemplatione fluat, & in illam tandem redeat & resoluatur.

Cap. XIII.

An omnes virtutes morum sint connexæ in prudentia?

VLtima in hoc libro dubitatio est, an omnes virtutes morum aurea veluti prudẽtiæ catenâ deuinciantur? affirmat Aristot. deuinciri. Sed vt hoc dilucidiùs firmiusque probet, primùm ostendit quasdam à natura nobis

bis ineſſe virtutes, id eſt, virtutũ facultates; ex quibus quaſi ex ſeminibus adhibita induſtria ipſæ virtutes morum enaſcuntur, quæ ſunt conſeruatrices naturæ. His poſitis & prælibatis, nec has nec illas valere quicquam demonſtrat, ſi non ſit aliqua virtus mentis nempe prudentia, quæ in omni conatu naturæ viam, in omni ſtudio & actione virtutis modum ordinemq; præſcribat. Quemadmodum enim graui corpori contingit, vt ſi moueatur ſine aſpectu, grauiter offendat hoc ipſo quòd careat aſpectu: ita quidem euenit, vt cæco quodam impetu ferãtur tum naturæ tum morũ virtutes, ſi oculo prudentiæ non dirigantur. Cuius lumen ſi ac ceſſerit, magna erit in actione diſtinctio, ſummaque laudis & virtutis perfectio. Hinc Socratem partim errâſſe, partim id quod verum eſt dixiſſe ait. Nam quòd virtutes omnes prudentiam eſſe putauit, illum errâſſe, quòd autem eas nõ ſine prudentia eſſe cenſuerit, præclarè dixiſſe ait; Quælibet enim virtus nõ eſt ipſa prudentia, nulla tamẽ virtus ſine prudẽtia ſpirat. Quippe vt omnes partes plantæ in radice

Prudentiæ neceſsitas.

Nulla virtus prudentia vacat, nec tamen omnis virtus eſt prudentia.

dice vniuntur, cum tamen quælibet pars nõ sit radix ipsa: ita omnes virtutes in prudentia vinciuntur, cũ tamen inter se maneant distinctæ & separatæ. Mirum nõ est videre multas coniunctas vires in vno animo, multas lineas in vno centro, multas virtutes in vna omnium virtutum prima id est prudentia. Sed vt hæc acutiùs subtiliusq; demonstrentur, animaduertendum est prudentiam considerari, vel fusè, vt est heroïca, vel strictè, vt est distincta virtus: Si primo modo consideretur, nihil aliud est quàm vniuersa virtus: si secundo modo, est, vt antè definitur, habitus ex consultatione, solertiâ, sagacitate & sententia constitutus, quò verum in rebus agendis cernitur. In hoc sensu acceptatria præcipuè respicit, rectam rationẽ, multiplicem actionis circumstantiam, mediorum optimorum electionem: hæc tria sunt quasi vincula quibus omnes virtutes prudentiæ astringuntur. Est ergo nihil aliud cõnecti omnes virtutes cum prudentia, quàm secundũ rectæ rationis præscriptum, electionem, & multiplicem circumstãtiarum ordinẽ & decorum agere.

Prudentiæ considerationis duplex.

Prudentia propriè sumpta tria respicit.

Connecti cum prudẽtia virtutes quid sit.

Cum ergo nulla alia virtus præter prudentiam hanc vim & proprietatem habeat, vt actum alterius virtutis eliciat, vt ordinem præscribat: vt medium eligat, vt motum & veluti progressum actionis dirigat: absurdum non est prudentiam *veluti* centrum in circulo huius vitæ ponere, vt omnes lineæ virtutum à circumferentia flexæ in se desinant & quasi reuoluantur. Sunt hîc qui tot esse prudētias existimāt, quot sunt in specie virtutes. Istorum error hinc euenit, quod putarent fieri non posse aliter hunc nexum & vnionem virtutum, nisi pro circumstantijs *cuiuslibet* virtutis noua crearetur *prudentia*, quæ nouas circumstantias, nouasque agendi rationes in qualibet cōstitueret, quasi verò vna virtus ad hoc præstandum non sufficiat. Dux bonus infinitos milites, vna prudentia paucas virtutes dirigit. Fateor equidem in singulis actionib. cuiuslibet virtutis prudentem actorem esse, fateor etiam aliam aliamq; prudentiam numero huic & illi inhærere, distinctam verò specie (quod isti contendunt) inesse nego.

Prudentiarum pluriū error.

Distin-

Distinctio.

Virtutes morũ sunt connexæ in prudentiâ, quoad
- Primam apprehensionem obiecti,
- Præscriptionem circumstantiarum,
- Directionem actionum,
- Vsum rectæ rationis & electionis,
- Consensum vnionemq; veri & boni, intellectus & voluntatis in vltimo fine acquirendo.

Opp.

Obedire præcepto virtutis est actus virtutis, sed puer potest obedire virtutis præcepto sinè prudentia: ergo potest esse actus virtutis sine prudentia.

Resp.

Vt est in puero actus virtutis inchoatè, ita est prudentia, quæ ad eundem actum producendum sufficit.

Opp.

Multi plebeij & infimæ conditionis homines liberalitatis actum sapissimè sine prudentiæ præscripto faciunt: ergo malè demonstratur quòd nullius virtutis actus esse possit sine prudentia.

Resp.

Actus liberalitatis fieri potest, vel
- *Per se, qui nõ contingit vnquam sine prudentia.*
- *Per accidens, & sic potest.*

Opp.

Prudentia non est ex essentia virtutis moralis: ergo moralis virtus est sine illa. Antecedens probatur, quia vna species non est ex essentia alterius.

Resp.

Prudentia quomodo sit ex essentia virtutis.

Consideratur virtus, vel in
- Habitu, & sic prudentia non est ex essentia eiusdem.
- Actu, & sic est, nam præscribit circumstantias actionis.

Opp.

Aliæ sunt cardinales virtutes præter prudentiam, vt iustitia, temperantia, fortitudo: ergo probabile est virtutes etiam cum illis copulari.

Resp.

Docuimus antè reliquas virtutes, iustitiam quasi trutinam, temperantiam quasi habenam, fortitudinẽ quasi columnam, prudentiam quasi regulam vitæ intueri: hoc autem loco magis vniri prudentiæ virtutes dicuntur, quia nec hæ nec illæ sine prudentia esse possunt.

Dubium.

Vtrum virtutes intellectuales nobiliores sint quàm morales?

Hoc dubium resoluitur in capite præcedenti, vbi ostendimus sapientiam multis gradibus dignitatis prudentiam superare: hoc ergo ad præsens institutum sufficit, si dicamus virtutes intellectus esse nobiliores moralibus, & quia nobilius subiectum nempe mentem, & quia nobilius obiectum nempe Deum. & quia nobiliorẽ finem nempe æternam contemplationis quietem habent.

CON-

CONCLVSIO.

Vtrum virtutes in animo separato maneant?

IN virtutibus tam mentis quam moris (vt ait Thomas) considerantur duo, materia & forma: materia in illis est propensio seu inclinatio quædam animæ appetentis ad actiones & opera: forma autem est ordo rationis tendens in primã causam. Secundum materiam, vt ait, non manent, quippe nõ erit concupiscentia, non erit timor, non erit distributio rerum, &c. secundum formã verò manebunt perfectissimæ: omnis enim illarum ratio exactè tum dirigetur secundum rationis ordinem & decorum: erit enim in animo separato prudentia sine erroris metu, erit fortitudo sine timore mali, erit temperantia sine stimulis appetitus, erit sapientia sine vlla ignorantia mẽtis. Cõcludit ergò (etsi species & phantasmata corpore obliterentur, quæ hauriuntur à sensib.) remanere tamẽ puras & immobiles species possibilis intellectus: quia neq; interitu subiecti, neq; impetu contrarij, neq; alio quouis modo

Species puræ possibilis intellectus manent in animo separato.

concutiuntur. Est enim intellectus immortalis, speciesq; in illo altius infixæ omnino immutabiles & perpetuæ. Si dicas virtutum species non esse ipsas virtutes, indeq; concludas virtutes ipsas in animo seiuncto à corpore non manere, Respondeo non solùm species virtutum sed ipsum ordinem, in quo illarum forma cernitur & consistit, post mortem in animo elucere. Verumenimuerò animaduertendum est ordinem duplicem esse: vel contemplationis ad subiectum, vel actionis ad obiectam materiam: ille est per reflexum intellectus in seipsum, hic verò fit per motum & quasi transitum in rem externam: ille post hanc vitam manet, hic cum rebus caducis (in quas transit) tollitur. Quod verũ hoc sit quod dicitur hinc liquidò constat, quia virtutes morum non sunt in sensu, aut in aliqua corporis potentia quæ concidit, sed in animo rationis compote qui à corpore separatus secundum Aristot. in perpetuum sine vllo essentiæ suæ lapsu aut labe subsistit. Si ergo virtutes morum sint habitus animi non corporis, id est, æterni subiecti non mor-

Obiectio & solutio.

Lib. 3. de anima c. 5.

mortalis, absurdum profectò esse videatur, si manente animo nullum virtutis vestigiū in eo relinquatur. At dices has morum virtutes in appetitu sensitiuo, qui labefactatur cum corpore, reponi: idq; confirmas ex vltimo ca. primi lib. ethicorum, vbi philosophus idipsum asserit. Si tantum sit tibi otij illuc reuerte, verba philosophi lege, sententiam considera, & ni maximè fallar hunc sensum inuenies, quòd in appetitu insint virtutes quidem inchoatè, at in voluntate propriè & absolutè: inchoantur enim in appetitu, perficiuntur in voluntate: Hinc passim in 3. libro virtutes & illarum actiones omnes voluntariæ dicuntur: hinc etiam habitus animi non corporis aut appetitus definiuntur. Huc ergo omnia tendunt, vt alienum non esse vel à ratione, vel à sensu Aristot. vel à veterum opinione, vel deniq; ab ipsa veritate existimemus: si morum virtutes secundum formale suum (vt loquuntur) esse in animo separato manere doceamus: secundum formale suum esse dico, qa sublatâ materiâ externâ, in quam trāseunt, immortalis & incommutabilis

ſubſiſtit anima, in qua magis magisq; perficiuntur. Nã vt bonæ artes cum per ſenſus externos diſcuntur, ſunt quidẽ rudiores, quam in mentem receptæ ac elaboratæ: ita virtutes morum in appetitu inchoatæ lumen quoddam habent, in animo verò ſeiuncto impreſſæ propria luce illuſtrantur. In eo enim omni vitiorum peſtilenti halitu, omniq; affectuum contagioſo fulmine remoto: nõ aliter quàm radij æternæ ſapientiæ lucent: & ita ſanè lucent vt ſine voce loqui, vt ſine corporis nexu internas & amabiles actiones quaſi exercere per ſpecies olim conceptas & nunc perfectas videantur. De virtutibus mentis hîc nihil ago. Nam de illis conſtat quòd poſt diuortium animi à corpore conſtanter maneant, cum ad veram contemplationem, quæ eſt propria veluti actio mentis, requirantur. Eſt tamen & in illis poſt ſeparationem vis maior, & lux (vt ita dicam) longè ſplendidior & efficacior, quippè in corpore illarum vis retuſa eſt & lux nubeculis multarum perturbationum aliquantulum obſcurata. Sed vt diſperſis nubibus ſtellæ in ſerena nocte;

nocte: ita disruptis veluti catenis corporis virtutes in libera & soluta mēte splendent. Tum enim simplex & sincera essentia virtutis in simplici & sincera substantia mentis cernitur, eademque quasi in gyrum rationis versa, non sine incredibili voluptate & desiderio ad circumferentiam primi motoris (cuius imaginē mens nostra gerit) flectitur.

Distinctio quæstionis.

Duplex est essentia virtutis,
- Materialis, quæ trāsit, vel in
  - Externum obiectum, quale est pecunia, periculum, &c.
  - Internū affectum, qualis est voluptas, ira, &c. hoc modo accepta non manet.
- Formalis, quę in immanente actione animi, & in ordine mentis ad primā causam versatur: & hæc simplex virtutis essentia post mortem in animo separato manet.

Opp.

Morales virtutes teste philosopho sunt in appetitu, sed appetitus perit: ergo virtutes morales pereunt maior est Aristo. in vltimo cap. lib. primi, minor probatur quia appetitus est potentia corporis.

Resp.

Sunt in appetitu inchoatiuè vt aiunt, sed sunt in voluntate perfectiuè: quare etsi appetitus deficiat, voluntas tamen intellectiua inuiolata & inconcussa manet.

Opp.

Morales virtutes solùm ad politicũ vsum inseruiunt, sed vsus politicus cum hac vita corrumpitur: ergo morales virtutes corrumpuntur: maior constat ex primo libro cap. secundo vbi docet philosophus quòd finis huius scientiæ sit actio non contemplatio.

Resp.

Maior vera est, si considerentur virtutes morales quoad materiam in quam transeunt, nõ quoad formam in qua perpetuò conseruantur.

Opp.

Forma moralis virtutis est in debellandis vitijs & moderandis affectibus: sed vitia & affectus post hanc vitam non sunt: ergo nec sunt virtutes morales.

Resp.

Forma virtutis quæ.

Non forma sed vis quædam virtutis in hac pugna cum vitijs & affectibus perspicitur, eademq; vis ex parte non simpliciter virtuti conuenit, ex parte dico viæ non victoriæ. Nam in via est pugna, in victoria est quies & perfectio. Hæc verò quies tum maximè probatur cum mens separata in seipsam per veram contemplationem vertitur.

Opp.

Ridiculum est vt animi separati fortes aut temperantes dicantur: ergo absurdum est virtutes morum in animis separatis collocare.

Resp.

Resp.

Non magis ridiculum est fortes ac temperantes illos dicere, quàm eos qui castè & honestè hic vixerint beatos appellare. Nam quamuis externus actus huius vitæ claudatur, internus tamen animi habitus retinetur, quippe virtus politicum vsum in externis, theoricum vsum in rebus internis habet.

Virtutum vsus est vel politicus vel theoricus.

Opp.

Fortitudo ab Aristo. definitur, vt periculum: temperantia vt voluptatem: liberalitas vt pecuniam spectet, &c. sed sic solum in hac vita habentur: ergo inanis videtur ista positio quæ æternitatem virtutum defendit.

Resp.

Nimis obtundit nos hoc argumentum, nam sæpè de obiecto externo & interno, sæpè de vsu politico & theorico, sæpè de neutra composita & simplici virtutum moralium diximus. Quamuis ergò definiantur virtutes à philosopho per obiecta externa quoad politicum vsum in natura composita: non tamen sequitur quin definiantur per obiecta interna quoad vsum theoricum in natura simplici & absoluta, vt patet in libro decimo ethicorum vbi simplicem essentiam virtutis & fœlicitatis philosophus tradit.

Natura virtutis simplex & composita.

Opp.

Vt lux maior minorem obscurat, ita virtus theorica, quæ est eminentior, politicam, quæ est inferior, tollit: sed virtutes post hanc vitam solùm theoricæ succedunt: ergò politicæ & morales tolluntur.

Resp.

Resp.

Lux maior minorem obscurat quidem, sed non tollit, fateor ergò post hanc vitam diutius politicas virtutes nō dici: ipsas tamen virtutes omnino tolli ac deleri nego. Nam etsi actus & existentia concidat, forma tamen & essentia manet, quæ simplex, æterna & incommutabilis habetur.

Opp.

Beatitudo animi separati in sola contemplatione primæ causæ consistit: ergò videtur absurdum moris aut mentis virtutes adijcere vt beatiores simus. Antecedens est Aristotelis & in decimo ethicorum & in 12. Meta.

Resp.

Etsi omnis beatitudo post hanc vitam à deo est, id bonum tamen quod dederit perire non sinit. Est enim contra naturam summi boni, id quod verè bonum est, omnino tollere. In separatione ergo animi à corpore non delentur virtutes sed augentur potiùs, vt simpliciores ac diuiniores factæ nos similiores Deo faciant: quem tanquam speculum omnium virtutum tum verè suspicimus & admiramur.

Laus Deo.

LIBER

LIBER SEPTIMVS.

Cap. I.

An sit aliqua diuina virtus in homine feritati oppositа?

An maximè fugienda sint in hâc vitâ vicium, incontinentia, feritas?

QVONIAM omnium morborum, quibus contabescit animus, longè maximus habetur ille, qui incontinentia dicitur: Operæpretium duxit Aristo. salutare aliquod pharmacum contra tam pestiferam labem humani generis propinare. Nunc ergò (cæteris tam mentis, quàm moris virtutibus adumbratis) satis longum sed fructuosum de continentia tractatum instituit: Cuius vis vt magis eluceſcat, portenta viciorum (quæ sunt tam vtili affectioni oppositа) in hoc quoque

De continentia.

que libro accuratè deſcribuntur. Sed ne longiùs abeam, decretum eſt in his qui ſequuntur libris, veluti epitomen ac ſummam cõprehendere: ità tamen vt ſingula ſuo ordine apud philoſophum intelligan tur. In primo capite quatuor ſunt concluſiones: prima eſt, quòd tria ſint in hâc vitâ maximè fugienda, vicioſitas, cui virtus: incontinentia, cui continentia: belluina feritas, cui heroica & diuina virtutis excellentia opponitur. Secunda eſt, quòd rarò inter mortales cõtingant hæc duo, nempe immanitas, & excelſa animi virtus, quę homines diuinos reddit. Sunt tamen aliqui inſigniter barbari: ſunt etiam aliqui, vt loquar cũ philoſopho, inter mortales diui, iuxta illud Homeri de Hectore dictũ,

Conclusiones quatuor

Non hic mortali eſt, ſed diuûm ſemine natus.

Tertia quòd neq; Dei, neq; belluæ ſit virtus: nõ Dei, quia nulla affectio, nullum accidens in Deo eſt: non belluæ, quia mores & virtutes bellua non ſequitur. Quarta eſt, quòd in prȩceptis ſequuturis probabilitatem ſolùm perſequi & expiſcari contenderit. Per heroicam & diuinam virtutem (quæ feritati opponitur) intelligit phi-

philosophus raram & admirabilem excellentiam morum maximè in refrænatione voluptatis & concupiscentiæ: qualis ille fuit Xenocratis, qui Phrynem nobile illud Athenarum scortũ toties à suo sinu intactam & insalutatam dimisit, vt coacta sit meretrix deridentibus quibusdam dicere, statuam hominis (quamuis formosa sum) mouere non potui.

Distinctio.

Virtus diuina dicitur, vel
- Simpliciter, qualis est in animo separato, quæ omnino vires humanas superat.
- Ex parte, qualis est in animo cõiuncto, sed rarò, cũ subactis vitijs, affectibus & feritate theoricã vitam cõtemplamur, summumq; gradum in qualibet virtute attingimus.

Distinctio secundæ quæst.

Præcipuè fugienda sunt in hac vitâ
- Vitiositas
  - Tàm in dispositione naturæ,
  - quàm inhabitu maliciæ.
- Incõtinentia
  - Mẽtis, in cogitatis
  - Vocis, in dictis
  - Operis, in factis
  - obscœnis.
- Feritas, quæ cõtingit 4. modis, vel
  - Ex consuetudinẽ inter barbaros & efferatos, putà Cannibales aut Garamantas.
  - Ex morbo & læsione cerẽbri, vnde insani.
  - Ex nigra & adusta bile, vnde melancholici.
  - Ex magna malicia, vnde tyranni dicuntur.

Opp.

Opp. contra primam quæstionem.

Virtus diuina humanas vires superat: ergo homini non competit. Antecedens est in textu.

Resp.

Vires humanas superare dicitur, quia paucissimi sunt qui tali virtute insigniuntur.

Opp.

Virtus diuina aut idem obiectum cum alijs aut diuersum habet: si idem habeat, ab illis nō differt: si diuersum, opus est vt explicetur, quod in textu non agitur.

Resp.

Non habitu sed gradu, non in essentia sed in excellentia dignitatis ab alys distinguitur.

Opp. contra secundam quæstionem.

Belluina immanitas versatur circa illud quod non est naturale homini, ergo non est delectabile, & proinde homini ista morum feritas conuenit.

Resp.

Vsus mutauit naturam, & pessima consuetudo sæpè hominem in pecudem conuertit.

Opp.

Feritas & incontinentia continentur sub vicio, ergo est superuacaneum ista vt distincta tradere.

Resp.

Vicium pro habitu malicie, incontinentia pro affectu deprauati animi accipitur.

CAP.

Cap. II.

NE in maius volumen, quàm decreuerim, succrescat hoc opus, necesse est vt velis contractis orationis maximè breuitati studeam: hoc autem nunc inconsideratè fieri nõ videbitur, cum aut de rebus cognatis, aut de minus necessarijs disputare oporteat. Propositum ergo est aliquando in sequentibus riuos claudere, & fontes petere: hoc est longiusculas præfationes rescindere, & quæstiones distinctione solùm aperire. Non tamen hoc fiet in omnibus, sed tum solùm, cùm aut rerum perspicuitas, aut exilis indè comparata vtilitas postulauerit: verbi causâ, in hoc capite, in quo sex dubia seu scrupuli mouentur, quorum status breuiter & quasi punctim hoc modo resoluitur.

Ratio redditur cur sequentia tractantur succinctiùs.

Prima quæstio secundi capitis est, An incontinens sciat id esse malum quod agit?

Duo in homine incontinente considerari debent,

- Vis mentis, & sic scit malum esse, quod aliquando agit; habet enim scientiam in habitu sed non in vsu.
- Impetus affectus, & sic vis mentis & rationis hebescit, ipseq; incõtinens furentiùs ad scelus designandum rapitur.

Incõtinens quomodo sciat vel nõ sciat id malum esse quod agit.

Opp.

Nemo contra scientiam, vt ait Socrates in textu, trahitur, ergo idem sciens & incontinens esse non potest.

Resp.

Non simpliciter sciens, sed potius affectu æstuans scienter ruit.

Opp.

Omnes ignorantes peccamus, ergo incontinens: Antecedens est in primo capite tertij libri.

Resp.

Verum est ex parte affectus non mentis.

Quæstio secunda.

Vtrùm prudentia in incontinente concupiscentiæ resistat?

Incõtinens non est prudens.

Prudentia non est in homine incontinente, propter { *Defectum rectæ rationis, qua dirigeret,* / *Defectum virtutis, quæ vitã eiusdem iustiorem redderet.*

Opp.

Prudentia est virtus mentis quæ in vero cernitur: ergò non est absurdum illam in homine impotente collocare: multi enim sunt incontinentes, qui rectè alijs consulunt, quod est opus prudentiæ.

Resp.

Virtus mentis consideratur { *Perfectè, & sic non est in malis.* / *Imperfectè, & sic est.*

Quæstio

Quæstio tertia.

An idem sit cōtinens & temperans, idemque incontinens & intemperans.

Idem non est continens & temperans,
- *Quia continens vehementes & malas cupiditates sentit & vincit, sed temperans istiusmodi non patitur.*
- *Quia continens latiùs patet, quàm temperans.*

Continens & temperans differunt.

Opp.

Temperans etiam vehementibus affectibus circa gustum & tactum resistit, vt est in tertio libro Ethic. ergò malè ponitur illud discrimen.

Resp.

Verum est in illis duobus sensibus, sed continens in vincendis omnibus omnium sensuum tam internorum quàm externorum concupiscentijs sollicitè versatur.

Quæstio quarta.

An continens semper prudens, incontinens semper imprudens dicatur?

Continens semper est prudens, propter
- *Constantiam in virtute.*
- *Circumstantiarum obseruationem in actione.*

Quæstio quinta.

An intemperans sit deterior incontinente.

Incontinens est deterior intemperante, quia

- *Incontinens scienter agit, intemperans non item.*
- *Incontinens magis sponte & persuasus agit, quàm intemperans.*
- *Incõtinens in pluribus peccat, quàm intemperans.*
- *Incontinens difficilius ad honestatem vitæ reuocatur, quàm intemperans.*

Burleus dicit Arist. in hoc capite non demonstrationis sed inquisitionis modo procedere: dicit enim docere philosophum huic diuersum in octauo capite huius libri, nempe intemperantem esse peiorem incontinente: Sed tanti viri pace existimo in alio illic, in alio hîc sensu loqui Arist. vt postea declarabitur.

Quæstio sexta.

An continentia & incõtinentia in omnibus omnium virtutum moralium obiectis versentur?

Considerantur continentia, & incontinentia, vel

- *Simpliciter seu per se, & sic habent propriam materiam.*
- *Compositè & per accidens, & sic circa aliarum virtutum obiecta versari dicuntur, vt circa iram, gloriam, lucrum: sed hoc cõtingit impropriè.*

CAP.

Cap. III.

An habitus scientiæ sit in incontinente?

EAdè absurdum videbatur Socrati, vt ait Arist. in præcedente capite, quòd aliquis sciens in sententiam turpis incontinentiæ rueret. Absurdum id esse hoc loco negat philosophus; sed vt hoc melius probet, primùm quędam prefationis loco pręmittit, nempe docendũ esse quænam sit materia incontinentiæ: & an continentia eandem cum incõtinentia materiam habeat? deinceps an continens & temperans in eodem obiecto communicent? postremò, an scientes aliquando turpiter contra scientiam agant? His propositis accedit ad refutationem Socratis, docetq; scientem sumi duobus modis, aut pro illo qui scientiam habet, aut pro illo qui vtitur. Incontinens quidem habet scientiam mali, in quod præcipitantiùs aliquando labitur: procellâ tamen & veluti furore perturbationis dementatus illâ nõ vtitur. Vt enim dormientes, insani, & vinolenti Empedoclis carmina recitant, parùm aut non omninò

Sciens aliqs bifariam dicitur.

Incontinentes sciẽtiam habent, sed non vtuntur ea.

mninò callentes quid dixerint: ita impotentes & perturbati otiosum habitū scientiæ tenēt, vsum verò dū insaniunt, parùm aut nō omninò intelligūt. Verùm enim uerò vt à somno exuscitati sciunt, *ita ab* affectu liberati iterū sciendi vsum actūq; recipiūt. Præterea, vt multi vniuersale rectè demonstrant & sciunt, qui parùm attenti in particulari errant: ita incōtinentes verbi causâ sciunt ebrietatem & venerem nocere, qui tamen perturbatione æstuantes hoc poculum, quia est dulce, hāc Laidem, quia est delicatula, persequūtur. Qui ergò particularem enunciationem aut ignorârit, aut nō perpenderit, *is licet* vniuersalem nôrit, agendo tamē peccare poterit: Itaq; mirum non est, *si sciens aliquando incontinenter vixerit.*

Distinctio.

Scientia consideratur, vel in
- Habitu, qui est aut de
  - Vniuersis, & sic incontinens sciens dicitur.
  - Singulis, & sic incontinens sciens non agit.
- Actu, qui est aut
  - Liber & immunis, vt in castè viuentibus.
  - Astrictus perturbationi, vt est in perniciosis.

Opp.

Opp.

Scientia est virtus, ergo non est in incontinente.

Resp.

Ratio non valet, quia est virtus mentis.

Opp.

Incontinens dormienti, vinolento, & insano assimulatur, sed isti scientiam non habent: ergo nec incontinens.

Resp.

Isti non habent vsum, sed habitum tenere possunt.

Opp.

Incontinens nouit hac poculum inebriare, & hanc venerem nocere, ergo non rectè dicitur in textu, quòd vniuersalia sciat, & particularia ignoret.

Resp.

Confusè non distinctè nouit: musitat enim secum hoc poculum quidem inebriare, sed vehementiùs perturbatus solùm quàm suaue sit hoc poculum considerat, aliudq; non cogitat, quamdiu durat perturbatio.

Vtrùm necessariò id agat semper voluntas quod intellectus concluserit? Dub.

Non est necesse vt concludenti intellectui voluntas obtemperet, propter { *Libertatem, quam habet in volendo & nolendo.* / *Dignitatem, quam tenet in ipso intellectu ad suum obiectum pertrahendo.*

Cap. IIII.

Vtrùm sit aliquis absolutè continens? An patiens, continens, mollis, & incontinens circa eadem obiecta versentur?

NImiùm suos liberos dilexit Niobe, vt hîc ait philosophus, quæ illis à deo occisis fureret. Stultè suum patrem dilexit Satyrus, qui nimio amore patris insaniret. Excessus incontinentes, modus studiosos facit. Voluntates sequuntur continens & patiens, mollis & effœminatus, vt docet in hoc capite Arist. sed illi frænis rationis retracti ictum scorpionis fugiunt, hi laxis voluptatis habenis vsi mortifera concupiscentiæ suæ tela vulneraque sentiunt, adeoque sub dulci escâ & virus & hamum in suam perniciem auidè deglutientes deuorant. Hinc prima conclusio huius tractatus nascitur, quòd molles & incontinentes voluptati & dolori cedant, quòd patiens & continens illis resistant. Hanc conclusionem sequitur in textu eorum, quæ voluptatem pariunt, certa distinctio, nempe quòd quædā sint necessaria, putà ad vitam, vt cibus; ad spe-

ad speciem, vt venus: quædam non necessaria, vt honor, opes, vires, victoria. Secundum illa simpliciter & absolutè molles & incontinentes dicimur: at in his versati non absolutè sed metaphoricè & cum additione, id est, comparatè molles & incontinentes nominamur. Postremò altera partitio eorum, quæ delectant, ponitur, nempe quòd alia sint naturâ sua expetenda, vt lucrum, diuitiæ; alia naturâ fugienda, vt esus carnis humani, cædes, multaq; non nominanda scelera, quibus barbari & immanes solùm capiuntur: alia deniq; intermedia, quorum vsus laudabilis vbiq; semperq; habetur.

Distinctio.

Continens dicitur, vel
- Simplex, qui simpliciter circa voluptates corporis & animi versatur, & sic absolutè continens aliquis in textu nominatur.
- Cõpositus, qui præter simplices voluptates, alias in externis rebus putà honore & diuitijs positas moderatur; & sic cõtinẽs ex adiuncto & cõparatè dicitur.

Materia cõtinentiæ, patientiæ, molliciei, & incontinentiæ est
- Per se, eademq; necessaria aut ad
  - Vitam tutandam, vt illa quæ ex cibo.
  - Speciem conseruandam, vt illa quæ ex appetitu coniunctionis oritur,

voluptas, quæ est, vel

- Per accidés, eademque vel
  - Non necessaria, vt illa quæ ex lucro.
  - Inusitata, vt illa quæ ex cęde alterius capitur.

Opp. contra primam quæstionem.

Absolutè is continens est, qui se in omni bono rationis contra impetum affectus continet, sed hoc locum habet in alijs passionibus animi & corporis, quàm in his quæ temperantiæ subijciuntur: ergo absolutè continens non solùm circa materiam temperantiæ versatur. Maior est à *definitione continentis.* Minor est Ciceronis secundo *Rhetoricæ: vbi docet quod continentia sit affectio, per quam cupiditas consilio regitur, sed cupiditas est maximè circa iram ad vindictam, circa ambitionem ad honorem.*

Resp.

Non negat philosophus versari continentiam circa iram alias q3 affectiones animi, sed hoc vult, quòd propriè & per se intra limites rationis versetur, cùm effrænis libido arcem mentis obsideat.

Opp.

Temperantia & continentia idem obiectum habent, ergo non differunt.

Resp.

Differunt modo non re ipsa, sic Boreus. Idem obiectum habent non tamen eodem modo, sic Thomas.

Opp.

Opp. contra secundam quæst.

Continentia & patientia sunt distincti affectus, ergo eandem materiam non habebunt.

Resp.

Eandem habent communem, non propriam: vel dicendum est eandem habere, non tamen eodem modo acceptam. Est enim voluptas temperantiæ obiectum in relatione ad sensum, est continentiæ obiectum in relatione ad voluntatem.

Continẽtia & patientia quomodo eandem habeant materiam.

Cap. V.

An incontinentia versetur in rebus, quæ sunt naturâ molestæ.

TIgres, vultures, leones magis à feritate se aliquando continent, quàm quidam tyranni, barbari, & truculenti homines. Narrat hoc loco philosophus de quadam Circe, quæ excisos fœtus ab vtero solebat rabidi canis instar deuorare. Narrat de populo circa Pontum, qui parentum sanguine epulantur. Narrat de Phalaride, qui Perillum, vt boantis vocem audiret in æneo & ardenti tauro flammis consumpsit. Narrat deniq; de horrendo contra naturã masculi cum

masculi-

Voluptas in continentis varia.

masculo concubitu. Sed quorsum hæc, fortasse dices? certè vt intelligas voluptates, circa quas versatur incontinens, aliquando ex reb. naturâ iucundis, aliquando ex rebus vi suâ molestis fluere & dimanare. Iucundæ autem sunt, vt ait philosophus, aut quibus vniuersa capiuntur animantia, vt cibus, venus: aut quę aliquibus pro diuersitate naturæ & consuetudinis voluptati habentur. Iam verò molestæ sunt, à quib. hominis probè & liberaliter educati animus sensusq; abhorret: iucundæ tamen sunt distortis & monstrosis ingenijs, idq; præcipuè quatuor modis: vel ex corrupta naturâ, vel morbo, vel insaniâ, vel prauâ cõsuetudine, quæ altera natura dicitur. Istis rationibus deprauati nõ absolutè, sed ex parte incontinentes definiuntur: ex parte dico, non quòd nõ sint insigniter mali, sed quòd incontinentes propriè illarum voluptatum aculeis feriantur, quæ naturâ iucundæ & delectabiles haberi solent. Est ergo continentia alia vulgaris, quæ in rebus naturâ iucundis: alia immanis, quæ in rebus vi sua molestis cernitur.

Distin-

Distinctio.

- Incontinens est
  - Simplex, qui in voluptatibus eisdem cum intemperante versatur.
  - Compositus qui fit vel ex
    - Corruptâ natura, vt in peccato contra naturã, quod contingit vel
      - Contra genus, si homo lapide delectetur.
      - Contra speciem, si homo cũ pecude copuleẽ.
      - Contra ordinem naturæ, si modus non seruetur.
      - Contra seipsum, si quis suâ ipsius formâ capiatur.
    - Morbo, vt in pleuritide.
    - Insaniâ, vt in phrenisi.
    - Consuetudine, vt in barbaritate.

Opp.

Nulla est delectatio in molestis: ergo incontinens, qui solùm voluptatem venatur in molestis non cernitur.

Resp.

Molestum capitur, vel
- *Simpliciter, sic delectationem nõ parit.*
- *Respectu corruptæ naturæ, & sic voluptatem quandam habet.*

Opp.

Incontinẽtia idem habet obiectum cum intemperantia

tia vt anteà probatur, ergo in alijs obiectis non consistit, vt hîc definitur.

Resp:

Incontinentia propriè dicta idem cum intemperantiâ obiectum habet, sed exuperantia istius vicij, quæ immanis incontinentia dicitur, alias res obiectas habet.

Cap. VI.

Vtrùm incontinentia circa cupiditatem, deterior sit eâ, quæ circa iram versatur? An feritas morum sit minus malum, quàm vicium?

VEnus, de quâ hîc loquitur Arist: cœli filia, amorum dea, mater cupidinis, Vulcani coniux, Marti insignis meretrix à poëtis olim fuisse fingitur. Huius nomen hoc loco pro insidiosâ & blandâ voluptate sumitur, quæ incontinentem multò deteriorem irato efficit. Sed vt omissis circumstantijs rem ipsam agam: duę in hoc capite conclusiones texuntur, prima quòd incontinentia circa cupiditatẽ sit longè deterior eâ quę circa iram versatur: secũda, q̃ feritas morum sit minus malum quàm vicium. Prima

Incõtinens cupiditatũ deterior est quàm incõtinens iræ.

ma conclusio probatur à proportione, à proprietate, ab effectu, à signo: à proportione, quia vt serui parùm attentè obseruantes quid domini dixerint citò ad nego tium auolant: & vt canes subitò latrantes pulsatis foribus, parùm attendentes an sit amicus, an hostis qui pulsauit: ita incontinentes iræ ex parte rationis præceptum audiunt, sed repentino animi feruore ac motu sine vllâ meditatione ad supplicium & vindictam ruunt. Incontinentes verò cupiditatum rationē nec audiunt præcipientem, nec reuocantem sequuntur: à proprietate, quia ira est magis naturalis affectus quàm immoderata cupiditas: ab effectu, quia iræ incontinens apertè inuadit, sed qui indulget cupiditati, sophista est & fraudulentus: à signo, quia cupiditate æstuantes magis odimus quàm iratos. Altera conclusio, nempè quòd feritas sit horribilius, sed minus malum quàm vicium, hoc argumento probatur: Id minus malum est, quod caret ratione, quàm quod rationem ad aliorum damna sibi ancillari cogit, sed feritas caret ratione, vicium autem habet, eademq; corrupta

ptâ in omni scelere vtitur, ergo feritas est minus malum quàm vicium. Hoc etiam addit philosophus, quòd animatum malum, vt vicium, sit multò nocētius eo quod caret animâ, qualis est belluina feritas, & quasi lunatica vertigo cerebri.

Malum animatum inanimato peius.

Distinctio primæ quæstionis.

Incontinentia circa cupiditatem est deterior eâ quæ circa iram versatur, quia

- Iratus subitò mouetur, incontinens cum quâdam deliberatione.
- Iratus est similis incauto seruo, sed incôtinens est similis insidiosæ feræ.
- Iratus est simplex & apertus, at incontinens est dissimulator.
- Iratus pœnitentiam plerumq; agit, at incontinens rarò.
- Iratus minorem iniuriam infert quàm incontinens.
- Iratus minore odio est dignus quàm incontinens.

Distinctio secundæ quæstionis.

Feritatis origo duplex.

Feritas contingit duobus modis, vel

- Ex defectione seu læsione rationis, vt in lunaticis, & mulieribus quibusdam grauidis, de quâ feritate fit hoc loco comparatio.
- Ex pessimâ consuetudine, vt in tyrannis & agrestibus syluarum incolis: sed de hâc non intelligitur conclusio. Nam ista immanitas omne vicium superat, est enim pluſquam belluina,

Opp.

Quantò difficilius est passioni resistere, tantò minùs turpe

turpe est ab illâ vinci; sed difficilius est resistere concupiscentijs quàm iræ: ergo incontinentia cupiditatis est minùs malum quàm incontinentia iræ.

Resp.

Negatur maior, quia quò difficilius est resistere, eò pulchrius est vincere & superare.

Opp.

Incontinentia iræ nobiliorem partem animæ inficit, quàm incontinentia cupiditatum: ergo est turpior. Antecedens patet, quia pars irascibilis est nobilior quàm concupiscibilis.

Resp.

Incontinentia cupiditatum vtramq; partem animæ sæpè deprauat, nam multos ad libem incitat ac incendit amor.

Opp.

Deterior est illa incontinentia, quæ cum maiore rationis vsu coniungitur: sed iræ incontinentia, vt est in textu, maiore cum rationis vsu coniungitur: ergo est nocentior.

Resp.

Nõ dicit maiorem habere vsum, quia vtitur, sed quia iratus citiùs ad medium consilio flectitur.

Opp.

Omnes timent & fugiunt incontinentem iræ, non autem similiter incontinentem cupiditatum: ergo maius malum est incontinentia iræ.

Resp.

Est quidem malum magis terribile quoad pœnam, sed non magis detestabile quoad culpam.

Opp.

Concupiscentia est magis naturalis quàm ira: ergo magis est excusanda. Antecedens est Arist. 3. Ethic.

Resp.

Ira dicitur magis naturalis, quia à corde ipsoq; vitæ principio nascitur: Concupiscentia autem minus naturalis hîc appellatur, quia ab externo obiecto plerumq; nascitur.

Opp. contra secundam.

Feritas plus recedit à medio, quàm vicium, ergo est deterius quiddam. Antecedens probatur, quia est nihil aliud feritas quàm ipse excessus & exuperantia vitij.

Resp.

Resoluitur hoc argumentum in distinctione quæstionis, nam illa hîc feritas non intelligitur.

Opp.

Exemplum in textu de quodam filio, qui suum patrem ad ostium per crines traxit, planè immanem hîc feritatem intelligi demonstrat: ergò malè respondetur.

Resp.

Exemplum benè docet, sed non probat semper: sed attende quòd illud exemplum ingrati filij adhibeatur, vt doceat philosophus mores agrestes sæpè à parentibus in prolem fluere.

Cap.

Cap. VII.

An continens, incontinens, mollis, patiens, temperans & intemperans rectè definiantur?

An intemperans sit deterior incontinente?

NEc te Philocletes incõtinentem, nec te Xenophonte mollem & intemperantem nomino: Vipera enim te Philocletes ad eiulatum, natura te Xenophonte ad cachinnum impulit. Scio equidem hominem saxum non esse, sępè tormentis, sæpè delitijs posse per moueri scio: verùm si omni voluptati cedas, incontinens; si omnem dolorem fugias, mollis & delicatus eris. Est.n. incontinens qui omni cupiditate capitur: est mollis qui leuissimo dolore vincitur. Quæro à te, nitide mollisque homuncio, cur vestem trahis? cur pallium perdis? estne nimis molestum tibi te vestem induere? estne molestum pallium dilapsum tollere? ostertis in lucem ne frigus capiat: non prodis foras ne aspis mordeat: voculam non edis ne clamor noceat: O dulcis

vita, si hoc esset laborare: excutienda est profectò ista plusquàm effœminata mollicies, quæ iuuenilem caniciem in mediis delicijs parit: quæ non solùm Persarum regibus, quos describit philosophus, sed etiam musarum alumnis perniciem ista ætate adfert. His duobus nempe molli & incontinenti cõtinens patiensq; opponitur. Ille est, qui vincit & moderatur illecebras: hic, qui doloris tædas sentiens non sentit, id est, constanti animo perferens omnia in virtutis vsum actumque conuertit. Temperantem & intemperantem in tertio libro definit philosophus, hîc igitur iterum non definio. Sequitur nunc comparatio inter intemperantem & incontinentem, vter istorum sit deterior? In secundo capite huius libri incontinentem peiorem concluſit, hîc verò alio respectu intemperantem deteriorem putat: illic vt quibusdam placet arguit philosophus contra rei veritatem, hîc verò suam confirmat sententiam. Si comparationis rationes quæras, distinctionem subsequentem diligenter perpende.

Continens & patiens quid.

Intemperãs sitne deterior incontinente.

Distin-

Distinctio.

Intemperãs cõsideratur, vel respectu

- Affectus, & sic non est deterior incontinente, ob illas rationes, quas antea ex Arist. recitauimus.
- Habitus, & sic est deterior incontinente, quia
  - Intemperantia est habitus, incontinentia verò est affectus.
  - Intemperãtia est semper voluntaria, at incontinentia sæpe inuita.
  - Intemperantia coniungitur cum malitia & impœnitentia, incõtinentia autem non item.

Opp.

Nullum vicium est incurabile, ergo non rectè in textu dicitur, quod intemperantia sit malum incurabile.

Resp.

Incurabile dicitur, quia difficilimè curatur & extinguitur.

Opp.

Incontinentia est vicium, ergo est habitus: quo concesso, illud discrimen ex parte habitus non rectè assignatur.

Resp.

Est vitiosum sed non morale vicium, est pernitiosus affectus sed non habitus, vt docet Arist.

Vtrùm continentia magis quàm constantia sit expetenda? Dub.

Opp.

Constantia perficit virtutem, vt est in secundo libr. ethic. ergo magis est expetenda.

Resp.

Constantia illic pro perseuerantia, hîc verò pro patientia sumitur, quæ quidem non est magis expetenda, quia illustrius est vincere voluptatem, quod ad continentiam: quàm ferre & obsistere, quod ad constantiam pertinet.

Cap. VIII.

An intemperantia hydropi, incontinentia morbo comitiali rectè assimuletur? An incontinentes temerarij sint minùs mali quàm infirmi?

Intemperãs incontinente deterior.

IDem in vestibulo huius capitis agit philosophus, quod in fine postremi egit: probat enim intemperantem esse deteriorem incontinente. Nam illum facti nõ pœnitet, hunc recordatio sui sceleris commissi vulnerat: illum quasi aquâ intercute & tabe laborare, hunc quasi comitiali morbo affligi docet. Nam vt hydropici tabificique sem-

semper suum malum adesse sentiunt, elephantiaci autẽ interualla vicesq; habent: ita intemperantes perpetuò exhalant scelus, incontinentes aliquando à suâ vertigine liberantur. Quippe, vt pauculo epoto vino infirmi in ebrietatem incidunt, vnde crapulam contrahentes vinum bibere abhorrent: ita multi incontinentes ex temeritate in voluptatem lapsi, indeq; quasi nauseam concipientes amplexum veneris exęcrantur. Hinc sequitur alia cõclusio, quòd incontinentes ex temeritate sint minùs mali, quàm ex infirmitate peccantes. Ratio est, quia illi inconsultò, hi cum deliberatione peccant. Sunt enim infirmi, qui sæpè proponunt sibi castè & honestè viuere, voluptate tamen obiecta statim vt folia vento in contrariam sententiam distrahuntur. Postrema conclusio est quòd incontinentia sit partim vicium, partim affectus: hoc probat exemplo, Nam vt Milesij non sunt (vt ait Demodocus) insipientes, insipienter tamen agunt: ita incõtinentes vicioſi non sunt, si habitum; viciosè tamen viuunt, si affectum spectes.

Incontinentia est partim vitium, partim affectus.

Distinctio.

Temerarij incontinentes sunt minus mali quàm infirmi, quia
- Solùm ex affectu sine deliberatione peccant.
- Faciliùs ad pœnitentiam facti reuocantur.
- Rariùs offendunt.

Opp.

Incõtinentes temerarij ex malicia sæpè offendunt, ergo non solùm ex affectu. Antecedens patet in Tarquinio, qui oppreßit Lucretiam.

Resp.

Argumentum non sequitur, quia malicia inter affectus definitur.

Opp.

Incontinens peccat in omnibus omnium sensuum obiectis: ergo est peior intemperante, qui voluptatibus duorum sensuum obstringitur.

Resp.

Non in multitudine obiectorum, sed in magnitudine excessus consistit comparatio.

Cap. IX.

An continens in recta ratione semper persistat.
An pertinax semper in malo proposito se obfirmet?

Continens & pertinax quomodo inter se discrepent.

COntinens & pertinax in hoc vno conueniunt, quòd in opinione vterq; persistat: sed ille in bona, hic

hic in mala & peruersa constare dicitur. Pertinax enim est tenax propositi; & quãuis plerumque est indoctus & agrestis, à sua tamen sententia & falsa opinione ægrè distrahitur. Vt ergò se habet audax ad fortem, prodigus ad liberalem; ita se habet pertinax ad continentem hominem. Hinc concluditur, quòd pertinaces magis affines & cognati sint impotentibus quàm castis & moderatis viris, quorum est probè suadenti cedere & conniuere. Nam obfirmato animo sic adhærere opinioni, vt ne Vlysse perorante exoreris, pertinaciam morum, non continentiam arguit. Sequitur iam alia conclusio, quòd incontinens, prauus, aut intemperans non sit perpetuò dicendus qui voluptatem expetit, sed is solùm qui turpi & obscœna cupiditate ducitur: verbi causâ, infirmus stomacho vinum bibis, si ex moderato hausto sequatur ebrietas, inde intemperans dici non debes: Ratio est, quia vinum non propter dulcedinem vt ebrio sus, sed propter sanitatem vt infirmus sumpseris.

Distinctio.

Continens & pertinax differunt, quia
- Continens in bonâ, pertinax in mala opinione hæret.
- Continens facilè rationem audit, pertinax benè suadenti non obtemperat.
- Continens in medio, pertinax *in excessu* aut defectu consistit.

Opp.

Neoptolemus laudatur in textu, qui propter voluptatem eandemq; honestam non permansit in sententia, ergo continens malè definitur is esse, qui semper in honesta sententia manet.

Resp.

Considerantur in continente duo,
- *Intentio, quæ semper debet esse bona, vt fuit illa Noe, cum vinum biberit, cuius vim antequã degustauit, scire non potuit: vnde incontinens per accidens non absolutè fuit.*
- *Actio, quæ aliquando ex ineuitabili ignorantiâ nata incontinentẽ per accidẽs non absolutè facit: hinc non laudatur Neoptolemus, quia est mẽtitus, sed qa mẽtiens verum se dicere existimauit.*

Cap. X.

An fieri possit, vt idem sit prudens & incontinens? An facilius incontinens ex consuetudine, quàm incontinens ex naturâ curetur?

Incõtinens nequit esse prudens.

ANaxandrides satyricus ille poëta rectè incontinentem ciuitati illi com-

comparauit, quæ bonas leges condit, sed nullis paret. Ingenium enim & electionẽ habet quidem impotens, sed nec illud audit, nec hanc (vt decet) sequitur. Quippe vt somniantes & furiosi habitum rationis non actum & vsum habent: ita incontinentes dormiunt, si vsum; furunt, si affectum spectes. Idem ergo prudens & incontinens nunquam esse potest: est enim prudens semper vir bonus: est mollis improbus & flagitiosus: sed de hâc quæstione anteà in secũdo capite satis. Altera, nimirum an incontinens ex consuetudine faciliùs quàm ex naturâ factus sanetur; vno verbo sic discuti & examinari potest. Euenus grauis & sapiens poëta cecinit, Quæstio secunda.

Consuetudo valet longos mansura per annos,
Illaq́; naturam, vires si sumpserit, æquat.

Ponderosa quidem veluti moles est mala consuetudo, magisque incontinentis animum, quàm Atlantis humerũ totum cœlũ deprimit. Cęterùm secundùm Aristotelem impotens ex consuetudine facilius sanatur, quàm qui talis est à praua naturâ: Rationes tradit, & quia tam altas radices consuetudo non egerit, & quia

& quià citius consuetudo mutatur quàm natura. Hinc concludit quòd melancholici molliùs & dissolutiùs viuentes faciliùs curẽtur, quia leuitate potiùs quàm prauitate peccant, & quia rarò *propter* inconstantiam ingenij in cõsuetudinem diuturnam incidunt.

Distinctio.

Prudens non potest esse incontinens, quia
- Semper est vir bonus.
- Vsum rerum cognoscit.

} vide supra in secundo capite.

Distinctio secundæ quæstionis.

Incontinens ex cõsuetudine fit duobus modis, vel
- Secundum dispositionem, quæ ex vna & altera actione oritur, & faciliùs mutatur quàm natura.
- Secundum habitum & diuturnam confirmationem, & sic cum in alteram naturam accreuerit, facilùs mutari non potest.

Opp. contra primam quæstionem.

Prudentis munus & officium proprium est solùm præscribere, sed hoc potest incontinens præstare, qui sæpe, vt ait philosophus, ingeniosus est: ergo idem prudens & incontinens esse potest.

Resp.

Præscribere in natura prudentiæ non est solùm circumstantias quasi digito aut virgulà demonstrare, sed etiam eas dem dirigere agereq;

Opp.

Opp. contra secundam quæstionem.

Nemo est vitiosus à natura, ergò nemo est incontinens à natura: Antecedens est in secundo Ethic.

Resp.

Incontinentia pro affectu propriè, non pro vitio sumitur.

An melancholici incontinentes facilimè curentur? Dub.

Opp.

Melancholici sunt praua opinionis tenacissimi: ergò facilimè non curantur.

Resp.

Melancholici sunt, vel { *Naturaliter, & sic facilè curantur.* / *Violenter, vt ex curâ, morbo, studio, &c. & sic non facilè à sua opinione dimouentur.*

Cap. XI.

An spectet ad moralem philosophum de voluptate & dolore disputare.

An voluptas sit bonum per se?

VNa est in hoc breui capite conclusio opinioq; philosoph. multiplex de voluptate & dolore. Quæstio prima.

Conclusio est, quod officium ciuilis philosophi sit de voluptate & dolore præce-

pta

pta tradere. Rationes istius conclusionis tres sunt: 1. quia finis vltimus humani generis coniunctus est cum voluptate: secunda, quia omnis virtus humana circa voluptatem & dolorem versatur: Postrema, quia per voluptatem & dolorem veluti per quædam signa, an actio sit bona vel mala auguramur. Opiniones quoque tres enumerantur: prima eorum, qui nullam voluptatem, vel per se, vel propter aliud in bonis; secunda eorum qui aliquot voluptates in bonis; aliquot in malis; vltima eorum, qui omnes in bonis esse statuerunt. His positis à definitione, voluptatem nec finem, nec bonum per se & vi suâ esse contendit. Quippe si voluptas sit nihil aliud quàm delectabilis *veluti* pulsus, quo natura perfunditur; *vt in* ædificando nulla artificis actio *ipsa* domus; ita in progrediendo ad finem *nullus* motus voluptatis finis aut bonum dicitur. Quî enim fieri potest, vt cõcupiscentia, quam fugit temperans, quam pueri & belluæ sitiunt & persequuntur, aut finis aut boni rationem subeat?

Opiniones tres de voluptate.

Distin-

Distinctio.

Moralis philosophi officium est voluptates & dolores cognoscere propter { Certam directionem actionis, / Moderationem appetitus, / Conseruationem naturæ & virtutis, } quæ sine voluptate diu esse aut conseruari nequeunt.

Bonum est { Per se, vt virtus. / aut / Per accidens, vt voluptas inseruiens virtuti.

Opp. contra primam quæstionem.

Voluptas & dolor naturam spectant, ergo à naturali philosopho tractarentur. Antecedens est in septimo libro physic.

Resp.

Considerantur vel { *Simpliciter respectu naturæ, & sic à naturali philosopho.* / *Comparatè respectu virtutis, & sic à morali definiuntur.*

Opp.

Satis de istis egit philosophus in secundo libro: ergo hîc hallucinatur.

Resp.

Illic de illis vt de communibus obiectis, hîc vt de principijs agit.

An voluptas sit motus delectabilis? Dub.

Opp.

Voluptas sub nullo genere motus comprehenditur, ergo non est motus.

Resp.

Motus hîc pro affectu sumitur.

CAP.

Cap. XII.

An sit aliqua absoluta voluptas?

IOtus hîc est philosophus in refutatione aliarũ opinionum, quæ in postremo capite de voluptate & dolore mouebantur. Sed quoniam ei placet cum illis ludere, mihi placet eaque sunt minus necessaria hoc loco rescindere. Summa ergo omnium est, quòd aliquid sit absolutè vel comparatè bonum aut malum: absolutè bonum est, vt virtus; comparatè, vt post relapsum pœnitentia: absolutè malum, vt feritas; comparatè, vt febricitantibus lac aut vinum propinare. Quorsum hæc? vt intelligas voluptatem esse bonum casu & fortuitò, non per se: & sic refellitur eorum opinio, qui nullam voluptatem, *vel* per se, vel propter aliud esse voluerunt. Sequuntur aliæ distinctiones; quarum prima est, quòd aliquid sit bonum secundũ actum, aliquid secundum habitum; eundemq; vel moris, vt est virtus; vel naturæ, vt voluptas, quæ naturam fouet & conseruat: secunda quòd sit quædam voluptas simplex

Bonum, Absolutum, Comparatum.

Voluptas est bonum fortuitum.

Distinctio boni.

plex, quæ ictu doloris nunquam vulneratur, vt in verè contemplantibus; quædam composita, quæ fellis & doloris amaritudinem admixtam habet: illa rarò in hâc vitâ, hæc sæpè & multis contingit: Quibus concessis tertia opinio concidit, quæ omnes voluptates in bonis posuit. Voluptas Simplex, Composita.

Voluptas omnis non est in bonis.

Distinctio.

Absoluta voluptas dicitur vel quia
- Nullum dolorem admixtum habet, vt in fœlicitate contemplatiua.
- Dolor (qui contingit) aut contemnitur, aut in bonum conuertitur, vt in fœlicitate actiuâ.

Opp.

Fortis qui est patientissimus doloris, tormenta aliquando res tristes & acerbas ducit, ergò in nullo est absoluta voluptas. Antecedens est in tertio libro Ethic.

Resp.

Fortitudo dicitur res tristis,
- *Respectu naturæ, quæ abhorret pericula.*
- *Non respectu virtutis, quæ sapienter subit.*

An prudens semper fugiat voluptatem? Dub.

Duplex est voluptas,
- *Bona, quæ est vel*
  - *Vtilis,*
  - *Necessaria, & hanc non fugit.*
- *Fœda, quam fugit,*
  - *Quia impedit consilium.*
  - *Quia labefactat ingenium.*
  - *Quia generat morbum.*
  - *Quia parit infamiam.*

Cap. XIII.

An voluptas sit summum bonum.

Voluptas quomodo dici possit summum bonum.

QVid tibi nunc vis Philosophe? voluptatem summum bonum hic putas, quam olim malorum radicem definiueras? Si bonum est, cur malum? Si malum est, cur bonum, imò cur summum bonum nominas? Dolor naturâ iudice est malum: quid tum? ergo voluptas necessariò est bonum: fateor. Si id fatearis, necesse est, vt summum bonum esse concedas. Quid ita? quia bono nil melius. Profectò sophistam agis: parum attendis: siquidem cum voluptatem summum bonum definio, neutiquam fœlicitatem humanam intelligo. Quid aliud? certè nil aliud, quàm voluptatis gradum: at quis hic voluptatis gradus? perpetuus sanè pulsus & motus animi cõstantis in bono. Vis igitur voluptatem esse summum bonum, id est, inter bonas voluptates animi esse vnam in summo gradu optimam, quæ perpetuò beatam vitam sequitur? Rem tenes; si sic reipsũ explices nihil absurdi video; id ipsum volo:

volo: at dicis voluptatem expeti propter se; verum id quoque est respectu naturæ, quam dolor conterit. Sed audi, in textu doces neminem beatum esse, si eculeo, si fame, si gladio pereat: Non est negādum si impatientiùs ista tormenta ferat.

Tormenta quem minus beatum faciant.

Distinctio.

Voluptas dicitur summū bonum trifariàm, vel respectu
- Naturæ quæ omnem dolorem in hominibus & belluis vt summū malum fugit.
- Opinionis, quę voluptatem vt summum bonum expetit.
- Gradus, quia vt est aliqua voluptas bona, ita erit aliqua optima.

Opp.

Omne bonum habet rationem finis, sed voluptas nulla habet rationem finis: ergo nulla voluptas est bona: & per consequens nulla est summum bonum. Maior probatur, quia finis est ipse terminus ad quem, sed voluptas, quæ est motus, est in termino à quo, vt aiunt.

Resp.

Omne bonum habet rationem finis, si sit per se bonum, aliter per accidens & bonum & finis dicitur.

Opp.

Docet Arist. in textu, quòd voluptas sit finis, ergo rationem finis habere potest.

Resp.

Docet quòd sit finis non per se, sed respectiuè & comparatè.

Opp.

Dolor non est quoddam malum, ergo argumentum illud à contrarijs in textu non tenet, scilicet quòd voluptas sit bonum. Antecedens probatur, quia officium est iusti dolore malos affligere: officium est amici pro suo amico aliquando dolere.

Resp.

Dolor sumitur, vel pro { *Malo culpæ.* / *Malo pœnæ, & sic conceditur, quòd vir studiosus possit & debeat aliquando dolere, & etiam dolorem inferre.*

Cap. XIIII.

An voluptates corporis magis expetantur quàm voluptates animi?

An difficile sit tenere rationem & modum in voluptate?

An deus vnâ & simplici in perpetuum voluptate perfruatur?

BEstia multiceps quidem est corporis voluptas, si turmâ malorum affectuum comitata mentis arcem inuaserit. Est ergo huic malo in

Voluptatũ initijs obstãdum est.

ipso

ipso primo impetu & acie occurrendum; si diutius tecum ludere patiaris, à portu, vt aiunt, in syrtẽ incides. Audi philosophũ, difficile est modum & rationem in vino, venere, epulisq; tenere. Omnes quidem voluptatem expetunt & venantur, sed pauci admodum reperiuntur, qui in medijs delitijs rectam rationem audiunt. Sunt; inquit Aristoteles, voluptates quædam corporis fortuito bonæ, sunt etiam necessariæ (illas intelligit, quæ vitã & speciem conseruant & tuentur) At in his immodicè & sine ordine volutare pecudis potiùs quàm hominis haberi debet. Causæ cur istæ corporis voluptates magis à nobis expetuntur tres sunt; prima, quia dolorem, (quem fugit natura) vt medicinæ tollunt & diminuunt, secunda quia scintillulis istius affectus magis quàm alijs accenditur natura: tertia quia sine voluptate nec species augetur, nec conseruatur vita. Hinc illùd concluditur, quòd omnium sit difficillimum, rationem & modum in cupiditate tenere; Ratio est, quia voluptas ab vtero susceptа, adeoque nobiscum enutrita naturã veluti captam

Modum in voluptatibus tenere difficillimũ est.

Voluptates corporis cur magis expetũtur quàm animi voluptates.

& captiuam tenet: Non tamen vnâ & ſimplici voluptate quiſquam capitur: Eſt enim ſatietas rerum omnium: Eſt vnius & eiuſdem voluptatis nauſea. Lege Ariſto. in textu: Res, inquit, nulla *nos* ſemper eadem delectat, quòd non ſit natura noſtra ſimplex: ſiquidem habet in ſe quiddam admixtum & diſpar, ſuique diſſimile. Itaque concludit ſolum Deum vnâ eademque ſimpliciſſimâ voluptate perfrui & gaudere. Quippe (vt ait) eſt eius eſſentia ſimplex, vna, & incommutabilis, cui vna ſimplex & eſſentialis voluptas ſufficit. vt enim cœlum ab eodem puncto idem voluitur: ita Deus in circumferentiâ naturæ ſuæ, id eſt, in ſeipſo delectatur. Extra Deum nihil eſt ſatis dignum, nihil ſatis excelſum, nihil ſatis diuinum, quo caperetur: Placet tamẽ ei ex immenſa bonitate ſeipſum nobis in puncto quaſi habitantibus ſic communicare, vt ſi illo ſolùm delectemur, cœlum pro terrâ, æternitatem pro iſto incolatu & miſeria commutemus.

Voluptate ſimplici ſolus Deus perfruitur.

Diſtin-

Distinctio.

Magis expetuntur corporis voluptates, quia
- Dolorem fugant.
- Magis naturam demulcent.
- Speciem vitamque conseruant.

Distinctio secunda.

Difficile est modũ tenere in voluptate, quia est
- Naturalis,
- Delectabilis,
- Infidiosa & subtilis, vnde Homer.

Fraus animos quæ prudentum insidiata fefellit.

Distinctio tertia.

Simplex voluptas est duplex, vel
- Essentialis & absoluta, quæ est in deo.
- Accidentalis seu fortuita, quæ in fœlici contemplatiuo cernitur, qui voluptatẽ vnam, simplicem, & perpetuam in summo bono collocatam habet.

Opp.

Quælibet potentia maximè fertur ad suum proprium obiectum, sed bonum animi est proprium obiectum voluntatis, ergo ad bonum animi maximè fertur: quo concesso sequitur, quòd magis voluptatem corporis non expetat, quæ est tantum bonum per accidens. Maior est Aristotelis in tertio de anima: Minor est Aristotelis in tertio ethic. cap. 4.

Resp.

Voluntas considerat, vel
- *Separatim & absolutè, & sic fertur maximè ad bonum animi.*
- *Coniunctim cum corpore, sic maximè naturam & voluptatẽ corporis propter vnionem & consensum expetit.*

Opp. contra secundam.

Non est difficile continenti & temperanti voluptatem refrænare, ergo non est difficile modum tenere in delitijs.

Resp.

Ratio est fallax, nam ducitur à secundum quid ad simpliciter.

Opp. contra tertiam.

Deus est secundum Aristo. primus motor septimo phys. sed primus motor non solum seipso, sed etiam infinito motu suæ sphæræ delectatur: ergo vnà, simplici, & incommutabili voluptate non fruitur.

Resp.

Delectatur ratione, ordine, & cõseruatione omnium quæ finxerit: Hinc tamen non sequitur, quòd vnâ & simplici voluptate nõ perfruatur, quippe ab illo hæc sunt, & ad illum redeunt: ita vt rectè concludat philosophus, Deum solùm seipso, & propter seipsum delectari, quem si in contemplatione summi & æterni boni imitemur, dubium non est, quin in illo vna, simplici, & incommutabili voluptate ipsi nos etiam perfruamur.

Laus Deo.

LIBER

LIBER OCTAVVS.

Cap. I.

An amicitia sit virtus distincta ab alijs?

CAusam si requiras, cur Arist. amicitiam non minimam omnium virtutum in vltimum locum distulerit: hanc præcipuè inter multas reddunt interpretes: quòd tam insignis, tam vtilis, tam necessaria virtus ampliorem dicendi copiam segetemq; postulet. Si enim nec igni, nec aquâ, nec sole vtamur in plurib⁹ locis quàm amicitiâ: verè philosophantis est, non solùm multa eiusdem genera, sed etiam vires, officia, dignitates, & vsus consignatis quasi tabulis demonstrare. Cæterùm quid littus aro? cur de nõ ente disputo? fabulæ & figmenta sunt de Vlysse & Diomede: de Achille & Patroclo: de Pylade & Oreste: de Damone & Pythia. Est

De amicitia
Ratio ordinis.
Amicitiæ necessitas & vsus.

certè nomen ſine re, vmbra ſine corpore, & planè ſomniantis quaſi phantaſma hęc de qua agimus amicitia. Nam ſi ſit, appareat vt videam, loquatur vt audiam, *in vrbem* veniat vt adorem. Non eſt, *non eſt* profectò in ciuitate vera amicitia: quippe ni fallor olim è Pandoræ manu in ſinum Iouis auolauit: ſucceſſit inuidia: quæ tot angues ex nigro gutture, vbiq; tot aſpides euomuit, vt docẽte prouerbio, nuſquam tutò viuas: ſed ô miſerã ciuitatem in qua diſcordia regnat. Huic malo latiùs ſerpenti remedium vnũ eſt idemq; ſolum amicitia, de cuius ſummo gradu, qui non eſt in rerum natura, cum Ariſt. nunc differentes ſapientem Solonem imitabimur, qui ſublimiora in ſuis legibus propoſuit, vt ciues ad ſumma laboriosè contendentes, mediocritatis viam veſtigijs premerent. Fruſtra de perfecto oratore non egit orator, quamuis nunquam apparuit; ineptè de perfecto amico nunc non diſputat philoſophus, quãuis in vtopiam abijt. Proœmium huius libri totum in laude amicitię ponitur, declarat namq; Ariſtoteles in eo dignitatẽ, neceſſitatẽ, vſum eiuſdem: digni-

Cur amicitiam, qualis inter homines non reperitur, deſcribat Ariſtoteles.

Amicitiæ dignitas, neceſsitas, Vſus.

dignitatē, cum aut virtutis comitem aut ipsam virtutē esse definiat: necessitatem, cum neq; res prosperas delectabiles, neq; res aduersas tolerabiles sublata benignitate esse ostendat: vsum, cum iustitiæ cōsortem, naturæ vinculum, ciuitatis præsidiū, senectutis solatiū, vitæ humanæ portum esse insinuet. Quid plura? omnia amicitiâ constāt, discordiâ cadunt. O quot & quanta ciuitatum cadauera, quot hominum sepulchra fecit discordia? Somnias Heraclite, q omnia ex discordia fieri & procreari asseris. Laudo te Empedocles, qui omnia ex concordia nasci & fabricari sapienter defendis. Nam quamuis ex cōtrarijs principijs naturæ effecta, quamuis ex disparibus vocibus dulcissima harmonia constituitur: Est tamen numen quoddam amicitiæ in omnibus, cuius admirabili vi ac influentiâ conseruantur omnia. hoc sapienter ꝓbat philosophus à testimonio Euripidis, qui luculentiùs id ipsum hoc modo cecinit,

Amicitiæ commoda, discordiæ incommoda.

Siccata tellus imbre rigari cupit:
Cum turget æther, imbre cum cœlum tumet,
Affectat vt telluris in sinum cadat.

Vt

Vt ergo res ſingulæ naturæ vtero conceptæ partæq́; , mutuis ſuarum virium ac proprietatum veluti officijs cohærent: ita homines (quorũ causâ res omnes fiunt) ſine vinculis amicitiæ in lubrica & lacunoſa præcipitia ruunt.

Diſtinctio.

Amicitia ſumitur, aut
- Impropriè, pro naturali connexione & ſympathiâ rerum, & ſic in omnib. naturæ effectis eſt quædam amicitia, ſine qua cohærere non poſſunt.
- Minùs propriè, pro amabili affectu & appetitu ſocietatis in belluis, quæ à natura ſocietatem deſiderant.
- Propriè ſeu moraliter pro amore mutuo, hæc autem conſiſtit aut in
  - Actu interiori ſolùm, quę vulgò beneuolentia dicitur: multi enim benè optant illis, quos nunquam viderint.
  - Actu externo, & hæc eſt triplex, ob
    - Bonũ delectabile.
    - Bonum vtile.
    - Bonum honeſtum, quæ verè & ſimpliciter virtus haberi debet.

Opp.

Amicitia maximè quietem ciuitatis ac reipub. reſpicit: ergo ſpectat ad politicum de illa diſputare.

Reſp.

Resp.

Respicit amicitia vel { Naturam, sic physicus; Domum, sic œconomicus; Ciuitatem, sic politicus; Vitam hominis ad summum bonum dirigendam, sic ethicus } de illa disputat.

Opp.

Multi in votis habuerunt sine amicis viuere, vt Thales & Pythagoras inter philosophos, vt Antonius & Hilarion inter Christianos: ergo falsum id est, quod in textu habet Arist. quod nemo viuere expeteret sine amico.

Resp.

Vitam politicam non theoricam hoc loco tractat Aristot.

Opp.

Amicitia non est in potestate hominis, cum in se situm non sit, vt ab alio redametur: ergo non est virtus.

Resp.

Amicitia est in potestate hominis. Nam quamuis in Socrate situm non est vt diligatur à Platone, si tamen Platonem diligat Socrates propter virtutem, amici officium præstat. Amicitia enim non tam in amari quàm in amare consistit.

Amicitia tã in amare cõsistit quàm in amari.

Opp.

Amicitia versatur circa eadem obiecta cum iustitia: ergo ab ea non distinguitur. Antecedens est in textu.

Resp.

Resp.

Idem est obiectum materiale vtriusq;, nempe bonum alterius, sed idem non est formale, nempe proportio arithmetica in damno & lucro posita.

An legumlatores magis circa amicitiam quàm circa iustitiam studeant?

Opp.

In iustitiâ omnia legum præcepta ac instituta ciuitatis continentur: ergo legumlatores magis iustitiæ quàm amicitiæ studere debent.

Resp.

Iustitia duplex est, { *Legalis, cui magis student.* / *Particularis, cui minus. & sic intelligitur textus philosophi.*

Cap. II.

An obiectum amicitiæ sit bonum amabile?
An rectè definiatur amicitia?

Diligenda in quibus est causa diligendi.

OBiectum amicitiæ vulgò amabile dicitur, quod est aut propter se, vt bonum animi: aut propter aliud, vt id quod vtile vel iucundum habetur: bonum animi est vt virtus, quam studiosi viri ꝓpter se in alijs diligunt: bonum vtile & iucundum, quod ad aliud. i. ad honestatem vitæ referri debet: quippe non omnia

omnia sunt diligenda, sed ea duntaxat (vt hîc ait philosophus) in quibus ineſt cauſa diligendi: hinc concluditur, quòd rerum inanimatarum nulla ſit cum homine amicitia: ratio eſt, quia in illis non eſt reciprocus mutuusq; amor; quẽ inter amantem & rem amatam fluere & refluere, nõ aliter quàm mare ad motum & influentiam lunæ, oportet. Vt ergo intelligibile eſt obiectum intellectus, & ſenſibile ſenſus: ita amabile (id eſt, res talis quæ in ſe cauſam amandi habet) eſt quidem obiectum amicitiæ quæ ad hunc modum ab Ariſt. hîc definitur, Amicitia eſt mutua & non latens beneuolentia inter illos qui ſe vltrò citroq; bonis afficere ſtudent & conãtur. Animaduertendum hîc eſt amicitiam in genere non in ſpecie definiri. Eſt enim amicitia in ſpecie virtus, qua ſolùm boni & ſtudioſi inter ſe propter ſimilitudinem morum conglutinantur.

Amicitia in genere quid ſit.

Amicitia ſpecialis & propria quę ſit.

Diſtinctio primæ quæſtionis.

Obiectum amicitiæ eſt duplex,
- Externũ & per accidens, vt vtile & iucundum.
- Internum & per ſe, vt honeſtum
  - Simplex, vt virtus.
  - Mixtum, vt virtus cum vtilitate coniuncta.

Diſtin-

Distinctio secundæ quæstionis.

Amicitia est duplex, vel { Propria, quæ postea definitur. / Communis, quæ hîc describitur.

Opp.

Virtus virtuti nõ est obiectum: ergo virtus seu bonum animi non est obiectum amicitiæ.

Resp.

Virtus considerat, vel { *Absolutè, vt est habitus: & sic non est obiectum.* / *Comparatè, vt est relatio: & sic obiectum amicitiæ dicitur.*

Opp.

Vtile & iucundum vt fines sequimur: ergo propter aliud non expetuntur. Antecedens est Arist. in textu: Argumentum est in primo Ethicorum.

Resp.

Sequimur aliquando vt fines apparentes non per se.

Opp. contra secundam quæstionem.

Cap. 5. lib. 9. negat Arist. amicitiam esse beneuolentiam: ergo malè hîc definit.

Resp.

Illic strictè, hîc fusè nomen beneuolentiæ sumpsit.

Opp.

Latebras & recessus alterius animi nemo scire potest, quippè nemo mortalium nouit an verè quis diligat, an odio

odio habeat: ergo non est necesse vt sit nota certa benevolentia sicut definitio postulat.

Resp.

Scientia hîc pro coniectura seu opinione in experientia fundata sumitur: quæ sæpè fallax nõ est si modo salua, vt aiunt, condiatur.

Cap. III.

An rectè diuidatur amicitia in tres species.

DEfinitionẽ amicitiæ diuisio eiusdem sequitur, nempe vt alia sit per se, alia per accidens: illa studiosa & firma, hæc vtilis vel iucunda dicitur. Vt ergo est triplex obiectum amicitię, honestum, vtile, iucundum: ita tres species amicitię assignantur, quarum prima ab honesto, secunda ab vtili, tertia à iucundo fluit. Hęc duo postrema genera scilicet ab vtili & iucundo nihil firmitatis, nihil constantiæ habent. Qui enim vtilitatis causâ amicitias sequuntur, suis commodis; & qui delectationis causâ, amorem suaipsorum voluptate metiuntur: quippe alios non colunt, quia boni sunt, sed quia

Amicitiæ tres species.

Amici ficti plurimi reperiuntur.

vtiles & iucundi: vbiq; & passim reperiuntur tales amici, qui fluentibus diuitijs delicijsque præstò adsunt: qui refluentibus celeriter & procul auolant: qui velut aranеæ se filo librant donec prædam ceperint, at naufragio facto in scapham, vt aiunt, periclitantibus amicis fugiunt. O quot sunt istis temporibus qui circumlinunt sua labra amoris nectare? quot sunt qui alios fallunt & irretiunt amicitiæ nomine? os semper rosam, mens semper spinam habet. Tales quidem amici talesque amicitiæ (vt hîc docet philosophus) facillimè dissoluuntur. Rectè Ouidius de primo istorum genere,

Ficta amicitia facilè dissoluitur.

Lib. de tristibus.

Donec eris fœlix multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Sapienter etiam de Secundo in l. lib. de Ponto queritur,

Illud amicitiæ quondam venerabile nomen
Præstat: & in quæstu pro meretrice sedet.

Valeant ergo senes, qui Pluto propter diuitias: valeant iuuenes, qui veneri propter suas Laidas mancipantur. Quippe nec hi, nec illi verè amici haberi debent. Restat igitur illam esse solùm perfectam ami-

Quæ perfecta amicitia.

amicitiam, quâ boni viri pari virtute præditi inter se consociantur; cuius tam stabilis & firma est possessio, vt re nulla alia prę terquam morte (quę est vltima rerum omnium linea) dirimatur. Hæc non temerè, sed consultò; non ad diem, sed in perpetuum susceptа accrescit quasi in robur, vt nullo lubricæ fortunæ flatu labefactari possit. Hæc definitur virtus qua ab alio propter similitudinem morum in cōsensione virtutis alter idem fiat. Quid enim est amicus nisi alter ego? quid amicitia nisi vnius amici in alterius naturam veluti commutatio?

Distinctio.

Causa amādi est, vel { Fortuna, vnde amicitia propter vtile; Affectus, vnde amicitia propter delectabile; Virtus, vnde amicitia propter honestum } ducitur. Causæ amādi tres.

Opp.

Et in hoc tertio, & in quarto capite duæ priores species amicitiæ fortuitæ & fucatæ dicuntur: ergo amicitia vt genus in species veras non diuiditur.

Resp.

Est ista diuisio analogi (non vniuoci) in sua significata.

Opp.

Amicitia propter honestum, teste philosopho in textu, est etiam propter vtile & iucundum: ergo membra istius distinctionis non sunt opposita.

Resp.

Absurdum non est concedere nobilissimam illam amicitiam propter honestum, vtile, & iucundum esse: non tamen sequitur hæc membra inter se confundi. Nam vt linea & superficies materialiter constituunt corpus, à quo tamen formaliter differunt & distinguuntur: ita amicitia vtilis & iucunda secundum materiam in honesta amicitia, non autem secundum formam continentur.

Opp.

Pater sæpe amat prodigum & contumacem filium, non propter vtile, quia exhaurit omnia; non propter iucundum, quia dolorem incutit; non propter honestum, quia est pernicios⁹: ergo ista diuisio omnia genera amicitiæ non comprehendit.

Resp.

Pater filium prauum quomodo amet.

Amat pater malum filium propter iucundum, non quòd sit malus, sed quòd in filio sui partem, nomẽ, vitam, & imaginem videat: quodq; in illo spem habeat naturalis & perpetuæ successionis.

Cap.

Cap. IIII.

An amicitia vera sit tantum inter bonos?
An sit obnoxia calumnijs vel iniurijs?

NVlla est floris cum fructu, nulla paleæ cum grano comparatio. In iucunda amicitia florem, in vtili paleam videas; flos cadit, palea flatu tollitur: si vadat species Helenę, Paris non amat; si desit rerum copia, Gnato non diligit; quippe ille amauit venerẽ non Helenam, hic dilexit pecuniam non hominem. Sapienter ergo primùm concludit in hoc capite Aristoteles amicitias propter vtile & iucundum diutius non manere quàm res subiectas id est quæstum & voluptatem quib. nutriuntur. His enim sublatis dissoluitur amicitia, euanescunt amici. Est tamen alia species amicitiæ tam stabilis, tam firma & excellens, vt tanquam aurum in flammis hoc est in rebus asperis & aduersis luceat. Hæc illa est quæ per se & absolutè amicitia dicitur, quæq; solum inter bonos & studiosos versatur; hæc est, quę ex duobus vnum in consensione virtutum & animorum efficit, hæc contu-

Amicitia vera est tantùm inter bonos.

meliam ignorat, iniuriam nescit, inter bonos solum est, nam sceleratos fugit, virtutem colit, constantiæ & stabilitati in actione studet, ad beatitudinem omnia *dicta*, facta, cogitata amici causâ refert. *Non tumet superbiâ*, non marcescit inuidiâ, irâ non accenditur nisi erret aut peccet amicus, quem tum consilijs non calumnijs, exemplis virtutis non iniurijs corrigit.

Distinctio primæ quæstionis.

Amicitia probatur tãtum esse inter bonos,
- Propter constantiam actionis, quæ sola in bonis cernitur.
- Propter consensum morum & studiorum in virtute.
- Propter finem amicitiæ, quæ est vera quies & consolatio vitæ in charitate, quæ plures in vnum trahit & commutat.
- Propter prudentiam, quæ veros amicos in omnibus dirigit & moderatur.

Distinctio secundæ quæstionis.

Amicitia non est obnoxia calumnijs & iniurijs, quia
- Amicorum sunt omnia (vt est in prouerbio) communia.
- Nemo sibi aut calumniam aut iniuriam infert, sed amicus est alter ego.
- Amici officium est potiùs bene credere & sperare de amico quàm malè iudicare.
- Amici proprium est bonis nõ malis amicum afficere, sed hæc sunt mala.

Opp.

Opp. contra primam quæstionem.

Fieri potest vt Lælius lapsus in turpitudinem verè diligatur à Scipione: ergo potest esse amicitia inter malos. Antecedens probatur quia absurdum est à Lælio Scipionis amicitiam ita pendere, vt quâuis labeculâ vitæ deleatur. Præterea Lælius potest esse liberalis etsi sit vitâ mollior, sed vt est liberalis, potest esse verè amicus in consensu virtutis: ergo inter malos potest esse amicitia.

Resp.

Aliud est labi, aliud est ruere in peccatum: si labatur amicus potest diligi & emendari, si ruat ei valedicere oportet. Ad alteram partem argumenti respondeo amandum esse Lælium propter liberalitatem, non esse fugiendum propter mollitiem, si spes sit vt ad virtutem redeat.

Amicus nō est temerè deserendus.

Opp.

Omne vitium animi obnoxium est reprehensioni & calumniæ, sed est in amico aliquando vitium animi: ergo amicus est calumniæ aliquando obnoxius. Maior est Aristot. in secundo libro Ethicorum. Minor in vltimo responso conceditur.

Resp.

Quamuis amicus aliquando vitio non careat, in eo tamen non est calumniæ obnoxius, nisi obfirmato animo in scelere persistat.

Cap. V.

An locorum interualla tollant amicitiam?
An senes non sint idonei ad amicitiam?

Conclusiones quatuor de amicitia.

QVatuor sunt conclusiones *huius* capitis, prima à diuisione, secunda ab exemplo, tertia à proprietate, postrema à distinctione amoris & amicitiæ: à diuisione, quòd alij sint amici habitu, alij vsu & actione; ab exemplo, quod senes & morosi sint minùs idonei ad amicitiam; à proprietate, quòd nihil sit tam amicorum proprium quàm vitæ societas & communio; à distinctione, quòd amor sit similis affectui, habitui verò amicitia.

Loci interuallum labefactat amicitiam, non tollit.

A prima conclusione emergit hæc quæstio, an locorum interualla tollant amicitiã? docet philosophus in textu non tollere sed labefactare; non penitus extinguere, sed quodammodo obliuioni tradere: intelligit amicitiam in actu vsuq; vitę, nõ in habitu animi, quæ semel confirmata

Confirmata amicitiam loci distantia non infirmat.

nec solo nec salo nec cœlo vt aiunt tollitur: virtus.n. locorum spatijs hominumq; absentiâ non definitur. Rectè Horatius, Cœlum non animum mutant qui trans

mare

mare currunt. Rectè alibi philosophus, Valde ab amici officio alienũ est, si existimes res posterorum ad ipsos defunctos non pertinere; si defunctos amicos putes, absentes esse cur negas? fateor equidem verum esse prouerbium nempe multas amicitias diremisse silentium: firmas tamen & fideles eas fuisse nego, quæ tam leui de causa dissoluuntur. De 2. quæstione hoc solum dicam, quod philosophus senes naturæ infirmitati mancipatos intelligat, istos enim vt in Ethicis docet, duo plerumque sequuntur vitia, morositas & auaritia: quibus redduntur minùs apti ad communionem & amicitiam. Quippe cum illorum ingenia nullo condiantur sale, cum illorum mores nullo delectationis sensu demulceantur, rigidi, seueri, molesti fiunt, in quibus tui imaginem id est veram amicitiam insculpere non possis; sunt autem senes quos non natura sed sapientia fecit, horum canities veneranda est, horum amicitia maximè optanda & amplexanda est. Nihil enim est firmius, nihil vtilius, nihil optatius & iucundius experti senis amicitiâ. Dicam hîc planè

Quæstio secunda.
Senes cur inepti sint ad contrahendam amicitiam.
Senum duplex ratio.
Senum sapientũ amplexanda est amicitia.

Nota. quod sentio, nullam esse apertiorem causam nutantium rerumpublicarum quàm quòd adolescentes voluptuosos amicos quærant, senes verò doctos, fideles & sapientes deserant.

Distinctio primæ quæstionis.

Amicitia considerat̃, vel in
- Habitu, & sic non deletur locorum inter uallo hominumq́; absentia.
- Actu vsuq́; quotidiano vitæ, & sic absentiâ dirimitur.

Distinctio secunda quæstionis.

Senex considerat̃, vel
- Quoad propẽsionẽ naturæ, sic est minus aptus ad societatem, propter
  - Morositatem
  - Auaritiam
  - Melancholiã
  - Caloris spiritusq́; defectũ,

  quæ plerumque hanc ætatem sequuntur.
- Quoad educationẽ & sic est aptissimus ad amicitiam, quia est
  - Constans,
  - Sapiens,
  - Delectabilis. Nulla enim est maior delectatio quàm virtutis.

Opp. contra primam quæstionem.

Amicitia est mutua beneuolentia non latens inter bonos: sed nec mutua est nec patens inter diu absentes: ergo absentia videtur amicitiam dirimere.

Resp.

Dirimit actum non habitum & essentiam amicitiæ, quæ semel parta, inuiolata & perpetua in animo manet. Prætereà existimo in absentibus non latere, sed toties alij veluti charitatis enixam ab vno ad alterum transfluere, quoties facultas & occasio detur.

Opp.

Opp.

Locorum interualla proprium amicitiæ tollunt: ergo ipsam amicitiam. Antecedens probatur, quia locorum interualla vitæ societatem & communionem tollunt, sed nihil est tam proprium (vt ait philosophus in textu) amicitiæ quàm vitæ societas & communio.

Resp.

Tollunt externum officium & actionem, non habitum & essentiam, vt diximus: nam sic loquitur Arist. Amici qui loco separantur, ita sunt affecti animo, vt proprio amicorum munere fungantur: & iterum locorum interualla funditus non tollunt amicitiam, sed officia & actionem.

Opp. contra secundam quæst.

In omni sene est defectio spirituum & excessus melancholiæ quæ tristem & morosam naturam reddunt; ergo omnes senes sunt minùs apti ad amicitiam.

Resp.

Hæc tristem & morosum senem naturalem reddunt, non autem moralem, qui studio virtutis & sapientiæ defectum naturæ moderatur.

Cap. VI.

An amicitia absoluta sit solùm inter duos? An amicitia propter iucundũ suscepta sit similior veræ quàm quæ propter vtile colitur? An reges sũmiq; viri perfectos amicos habeãt?

IN aditu istius capitis, vt antea seueri & senes difficiles ab amicorum cœtu ex-

plodun-

ploduntur, inq́; ſcenam illorum loco leues & ventoſi adoleſcentes quaſi nimis prompti ad amorem admittuntur, ad amorem dico quia voluptatis aut vtilitatis cauſa ſuſcepta benignitas, potiùs amor quàm amicitia dici ac definiri debet. Poſt hunc ingreſſum ſequitur alia concluſio, nempe quod perfecta amicitia ſit tantum inter duos. Rationem addit philoſophus quia hoc genus amicitiæ eſt in ſummo gradu amoris, qui non cũ multis ſed cum vno intercedere videtur. Huc addi poteſt quòd ad perfectam amicitiam diuturnitas temporis, experientia rerum, morum ſimilitudo, ſumma virtutum conſenſio & conſpiratio requirantur: quæ omnia rarò aut nunquam contingunt pluribus, rarò igitur aut nunquam eſt vera amicitia inter multos; beneuolos multos multis eſſe concedo, perfectè amicos non agnoſco. Poſtremò arcana mẽtis cui committas vide, cui dico non quibus. Nam vnus amicè tacet, ſed plures effluunt & effundunt omnia. At dices reges, imperatores, ſummiq́; viri habent multos amicos: Alexander quidem multos Ariſtippos

Amicitia perfecta eſt tantùm inter duos. Pluribus probatur non eſſe inter plures veram amicitiam.

pos sed vnum Callisthenem, vnum Clitum habuit. Respondeo igitur cum Arist. quòd reges plerunque disiunctis amicis disparibusq; vtuntur, si dignitatem; paribus verò, si ipsam virtutem spectes. Attende ergo quid sibi velint philosophi in hac thesi, hoc nimirum si tantum superetur princeps virtute ab excellenti viro, quantum vir ille dignitate superatur à rege, tum inter regem & illum fieri potest proportio, adeoque vera & perfecta amicitia. Amicitia enim vt iustitia cõmutans non personam & dignitatem, sed rem subiectam & virtutem respicit. Postrema dubitatio (An amicitia propter delectabile similior sit veræ amicitiæ, quàm quę propter vtile appetitur) vno verbo in textu concluſa est & demonstrata, nempe quòd humana natura magis indigeat, diutiusq; conseruetur delectatione quàm rerum copiâ, quodque beati solatium magis quàm vtilitatem desiderent & aucupentur. Est ergo amicitia delectationis causâ suscepta similior veræ amicitiæ, quàm quæstuosa illa quæ sublatâ spe habendi tollitur & deletur.

Pares Dignitate, Virtute.

Amicitia virtutem hominis respicit, non dignitatem.

Distin-

Distinctio primæ quæstionis.

Amicitia perfecta est solùm inter duos, quia
- Excellens gradus amoris non in multos, sed in vnum transit.
- Impossibile est perfectè placere multis diu propter diuersitatē morum.
- Periculosum multis communicare consilium, vni verò fideli tutum.
- Similitudo morum, vt sit idem velle idemque nolle, rarissimè multis contingit.
- Relatio est inter amantē & amicum, qui sunt tantum duo.

Opp.

Omne bonum quo communius eo melius: sed amicitia est bonum: ergo quo communior est amicitia eo melior, & proinde non ad duos solum sed ad plures vis eiusdem diffunderetur.

Resp.

Conceditur consequentia in eo sensu, quòd optandum sit vt multi amici fiant: sed an natura huius vel illius boni patiatur hoc modo diffundi, quæstio est: nos quidem negamus relationem pluribus quàm relato & correlato, amicitiam pluribus quàm amanti & amato conuenire.

Opp.

Omnis studiosus virtutis perfectè amari debet, sed multi sunt verè studiosi virtutis: ergo multi perfectè possunt amari, & ex consequenti multi possunt esse verè amici.

Resp.

Resp.

Amicitiæ perfectæ ab interpretibus duo ponuntur gradus,
- Summus, qui est per excellentiam amoris ab vno ad alterum, & sic est tantum inter duos.
- Medius, qui extendi potest ad plures, & sic multi studiosi possunt esse perfectè amici, non in summo sed in medio gradu amicitiæ.

Opp.

Medius gradus amicitiæ, qui est inter plures, est perfectus: ergo perfecta amicitia potest esse inter plures, quod est contra Arist.

Resp.

Vt liberalitas est perfecta virtus, quam tamen multis gradibus excellit magnificentia: ita est perfecta amicitia inter plures studiosos, quæ longè superatur ab hac quæ inter duos ponitur: hæc enim est ipsa excellentia, summusq; gradus huius virtutis, quem in omni virtute ponit philosophus 7. Ethicorum: verbi causâ, si quis sit insigniter liberalis, magnificus, si quis sit insigniter doctus, sapiens, si quis insigniter alium propter virtutem diligat, verè amicus dicitur, at talis amicitia non ad plures, sed ad vnum solum, vt interpretes aiunt, diffunditur.

Distinctio secundæ quæstionis.

Summus consideratur, vel quoad
- Gradum authoritatis, & sic quia est persona ciuitatis nemo ei adæquatur, nemoq; hoc respectu absolutè amicus dicitur.
- Habitum vsumq; virtutis, & sic inter regem & consulem potest esse proportio & amicitia.

Opp.

Opp.

Aequalitas & proportio requiritur inter amicos, sed inter regem & subditum nulla est proportio: ergo nulla est perfecta amicitia.

Resp.

Proportio virtutis.

Est proportio virtutis non dignitatis, amoris nō quæstus, morum non rerum externarum, quæ ad perfectam amicitiam non requiruntur.

Distinctio tertiæ.

Amicitia propter delectabile est similior veræ amicitiæ.

- *Quia natura delectabili potiùs quàm vtili conseruatur,*
- *Quia beatus magis iucundis amicis quàm vtilibus indigeat.*
- *Quia certior & diuturnior est delectatio quàm rerum affluentia.*

Opp.

Voluptas maximè opponitur virtuti 1. Ethicorum: ergo amicitia propter voluptatem suscepta non est similior verę.

Resp.

Voluptas illa fœda hîc non intelligitur, sed ea quæ in communi vsu vitæ humanæ requiritur.

Cap. VII.

An sit amicitia patris cum filio, viri cum vxore, principis cum subdito?

An hæ amicitiæ specie differant?

Secunda pars huius libri.

HAEc est secunda pars huius libri, in qua philosophus incipit disputare de va-

de varijs generibus amicitiæ, quæ in dis- Amicitiæ duplex.
pari gradu ordineque dignitatis consi-
stunt: hinc orta est illa vetus & satis bar-
bara distinctio, quòd alia sit amicitia æ-
quiparentiæ inter æquales, puta Lælium
& Scipionem: alia disquiparentiæ inter
inæquales, puta patrem & filium, virum
& vxorem, regem & subditum. Certum
est naturæ vim magnam & incredibilem
esse, quæ veluti fax accensa ardere facit a-
morem patris in filium, domini in ser-
uum, viri in vxorem: cui posteaquam
accessit industria, nouum genus amici-
tiæ nascitur. Quid multis? natura has spe-
cies amicitiæ & concepit & peperit, sed
audi: industria aluit, consuetudo vitæ in
habitus ciuiles commutauit. Pater enim
non solùm affectu naturæ, sed habitu
prudentiæ suum filium diligit, sic vir vxo-
rem, sic princeps subditum. Hæ species
amicitiæ naturâ, vt est in secunda con-
clusione textus, differunt, natura id est
specie politica pro diuersitate officiorum
quæ in triplici hac societate vitæ exercen-
tur: non est ergo eadem patris in filium,
quæ est viri in vxorē amicitia. Nam aliud

est patris, aliud coniugis munus & officicium. Patris namque est filio alimentum: viri est vxori castam fœcunditatem: principis est subdito securitatis portum concedere: coram filijs abstineant *patres* à malis. Nam maximè corrumpunt *viciorum* domestica exempla, vt

Si damnosa senem iuuat alea, ludit & hæres.

Filij enim frequentissimè parentum vestigia imitantur, iuxta illud Mantuani,

Qui virèt in folijs venit à radicibus humor,
Et patrum in natos abeunt cum semine mores.

Abstineant viri à nimia asperitate & zelotypiâ, nam vxor est dimidium tui. Abstineant principes à malis exemplis vitæ: nam, Regis ad exemplar totus componitur orbis. Reuerentiam filius patri, coniunx fidem & amorem viro, subditus honorem regi debet persoluere: Sic in hac tripartitâ amicitia erit proportio, non ea quæ est iustitiæ ad dignitatem, sed quæ est perfecti amoris ad consensum & charitatem: quippe sic docet Aristot. in postrema conclusione istius capi. cui attexitur hoc adiunctum, quòd maxima distan-

distantia personarum, puta regis & ciuis, impediat amicitiam, rarô enim Cæsar alium quem amicum nominat.

Distinctio.



Opp.

Requiritur vt sit in amicitia æqualitas, sed in hac triplici amicitia non est æqualitas: ergo non est amicitia.

Resp.

Aequalitas consideratur — *Personæ, & sic non est, nam personæ sunt inæquales.*

ratur, vel respectu { Materiæ, i. rei amabilis, & sic est in hac tripartita amicitia æqualitas.

Opp.

Ridiculum est vt filius patrem suum amicum appellet, &c. ergo absurdum est tales amicitiæ species instituere.

Resp.

Filius patrẽ cur amicũ non vocet.

Non de nomine sed de re ipsa hoc loco disputatur. filius, vxor, subditus, patrem, virum, principem, amicos non vocant: non quòd non sint, sed quòd in altiore gradu dignitatis collocentur.

Opp.

Amici officium est suum consilium amico communicare, sed in hac triplici amicitia id non fit: ergo non est amicitia.

Resp.

Est illud proprium amicitiæ absolutæ inter pares & æquales.

Opp.

Idem est officium filij in patrem, subditi in regem, nempe honorem tribuere: ergo hæ amicitiæ specie non differunt.

Resp.

Amor patri, honor regi propriè debetur. Respondendum ergo est quòd non sit idem officium, neque idem formale (vt aiunt) obiectum. Nam quamuis amor est obiectum omnium, amor tamen paternus est alius formaliter ab amore principis & vxoris, vt amor pecuniæ ab amore honoris.

An

An liceat amico velle & optare optima amico suo. Dub.

Opp.

Licet optare amico ea quibus dignus est, sed amicus, si sit studiosus virtutis, dignus est optimis: ergo licet amico optare optima.

Resp.

Optimum consideratur, vel
- *In nostra potestate situm, & sic optima optare studiosis amicis licet.*
- *Extra nostram potestatem, vt Deum esse, & sic non licet optare.*

Optima amicis an optare debeamus.

Cap. VIII.

An præstantius sit amari quàm honorari? An amare sit magis proprium amicitiæ quàm amari?

SIticulosi honoris, nullum dedecoris adhuc lapsum experti, ardentiùs gloriæ sceptrum quàm amicitiæ fidem desiderant. Ambitiosus enim ad Saturni aut Iouis orbem laboriosiùs scandens, pluris æstimat vocem fauentis Cæsaris quàm laudem virtutis. Sed assentator est, vt ait philosophus, qui se plus honorari quàm diligi contendit:

ſiquidem hoc ipſum honorari eſt bonum non propter ſe, ſed propter aliud expetendum. Hoc probat in textu ab exemplo eorum, qui expetunt ſe à viris in *imperio* conſtitutis honore affici, inde *ſperantes* futurum tandem, ſi qua re egeant, *vt* ab illis conſequantur. Hinc verum eſt illud Senecæ,

Cupit hic regi proximus eſſe,
Clarusq; latas ire per vrbes.

Præſtat amari quàm honorari.

His poſitis ſequitur alia cõcluſio quòd melius ſit amari quàm honore affici. Ratio eſt, quia amari propter ſe: honorari verò propter aliud expetitur. Eſt enim amor internum virtutis initium: eſt autem honor externũ bonæ opinionis ſignum.

Amicitia conſiſtit potiùs in amare quàm in amari.

Tertia concluſio eſt, quòd amare ſit magis proprium amicitiæ quàm amari. Hoc verò probatur ab exemplo, à proprietate, ab effectu: ab exemplo matrum, *quæ* mirificam voluptatem & *delectationem* capiunt in amplexu infantulorum, *à quibus* viciſſitudinem amoris *propter* defectum rationis non poſtulant: à proprietate virtutis, cuius officium eſt potiùs agere vt amare, quàm pati vt amari: ab effectu, quia laudem

laudem maiorē actio virtutis quàm passio habet, sed dilectio est propria actio amicitiæ sine qua omnino concidit & dissoluitur. Ad hæc in postremo loco accedunt duo annexa & correlata in textu, vt loquuntur veteres, primum est, quòd vera amicitia sit æqualitas quædam & similitudo virtutis: alterum, quòd sit aliquod genus amicitiæ quod à contrarijs coalescit, sic pauperes amant diuites, sic ignari sapientes, sic ægroti medicos, sic miseri & auari liberales, sed ista amicitia fucata est, & velociùs quàm vmbra in rebus aduersis transit.

Distinctio primæ quæstionis.

Amari est præstantius quã honorari, quia
- Est bonum propter se in amicitia.
- Est bonum minùs subiectum fortunæ & mutationi quàm honor.
- Est bonum sine quo honor in odium, gloria in ignominiam cito mutatur.
- Est bonum quod maiora commoda adfert quàm honor, qui semper in scala fortunæ cernitur.

Distinctio secundæ.

Magis est pro
- Virtutis proprium est agere, sed amare est agere.

prium amicitiæ amare quàm diligi, quia
- Maior laus actum dilectionis quàm passionem sequitur.
- Actus amandi dignioribus, vt parentibus & benefactoribus conuenit, passio verò contrarijs.
- Actus amandi est magis voluntarius quàm amari.

Opp.

Honor est signum virtutis, & præmium fœlicitatis, vt docetur in primo Ethicorũ, sed nihil est melius quam laudari propter virtutem, & honore affici propter beatitudinem: ergo non rectè hîc demonstratur quòd amari sit melius quàm honorari.

Resp.

Honor illic firmus in constantia virtutis, hîc verò leuis ille in manu fortunæ positus intelligitur.

Opp. contra secundam quæstionem.

Amari Deo, regi, heroicúsq; viris conuenit: ergo est nobilius quàm amare.

Resp.

Ratio non sequitur, quia & illi etiam amare solent. Præterea hîc fit comparatio virtutis non hominis.

Opp.

Maius bonum euenit nobis si amemur puta à rege, quàm si amemus solùm: ergo amari est melius.

Resp.

Argumentum non sequitur quòd sit melius, sed quòd aliquando sit vtilius, idq; solum in bonis fortunæ.

An

An mater plus diligat filium quàm pater? Dub.

Amare solemus, vel

- *Constantiùs, & sic pater plus diligit filium quàm mater.*
- *Feruentiùs, sic mater plus filium diligit quàm pater: hoc verò contingit propter*
  - *Certitudinem prolis.*
  - *Dolorem & difficultatem partus.*
  - *Participationem sanguinis.*
  - *Inclinationem appetitus.*
  - *Duplo maiorem delectationem conceptus.*

Opp.

Maxima est vnio inter primariam causam & proprium effectum, sed pater est primaria causa filij, cum sit principium gignendi: ergo est maxima vnio inter patrem & filium: quo posito & concesso, sequitur quòd pater plus diligat quàm mater.

Resp.

Maior illa intelligitur in proximis non in remotis causis, at pater est respectu matris remota causa filij.

Cap. IX.

An amicitia & iustitia circa idem obiectum commune versentur?

An partes amicitiæ rectè cũ partib. reip. cõparentur? Eadem amicitiæ iustitiæq; materia.

Est in hoc cap. amicitiæ cum iustitia breuis comparatio, nimirùm

vt intelligas vtramq; virtutem in eadem materia, id est in societate & communione hominum versari. Est ergo duplex obiectum amicitiæ: proprium, quod in se diligendi causam habet, vt amabile: cõmune, quod naturam & amicitiam spectat, vt sociabile. Ab hoc semine pullulascit vis illa & instinctus naturæ, quo non solùm homines sed etiam belluæ animantes societate & consortio delectantur. Hinc fluunt in omni congressu & communicatione vitæ humanæ multa & varia amicitiarum genera, vnde ciues, nautæ, fratres, milites, &c. inter se consociati amicorum nominib. insigniuntur. Quot ergo sunt societatum vincula, tot etiam sunt amicitiarum genera, in quibus si ius æquitatis violetur, grauius iniuriæ vulnus infligitur: quippe grauius est (vt ait philosophus) socio pecuniam adimere quàm ciui, sceleratius est fratri non opitulari quàm alieno, truculentius est patrem verberare quàm ignotum. Ius enim vna cum amicitiâ crescit, idemq; cum illa labefactatâ concidit. Concludit ergo Aristot. partes speciesque amicitiæ cum parti-

Obiectum amicitiæ duplex.

partibus reipubl. rectè comparari. Nam vt partes ciuitatis sunt ciuis, domus, & beata multitudo hominum: ita partes amicitiæ sunt his finitimæ, quibus quasi nexibus societatis vniuntur, nec non in florenti statu conseruantur.

Partes amicitiæ conferuntur cum partibus reipubl.

Distinctio.

Amicitia & iustitia cõparantur diuerso respectu, in
- Obiecto, quod est societas humana.
- Medio, quod est proportio seu equalitas rei & amoris.
- Fine, qui est societatis conseruatio.

Opp.

Amicitia idem obiectum, idem medium & finem habet cum iustitiâ: ergo non est distincta virtus ab illa.

Resp.

Non habet propriè sed communiter, sociabile enim non est formale obiectum amicitiæ, vt antea probatur, sed amabile.

Opp. contra secundam quæstionem.

Plures recensentur partes amicitiæ quàm reperiuntur in textu: ergo malè comparantur.

Resp.

Plures enumerantur in specie non in genere.

Cap.

Cap. X.

An tres sint species reipubl.

Digreditur ad explicandas reipubl. partes seu species.

MOdò in comparatione amicitiæ cum iustitiâ incidit philosophus in sermonem de partibus reipublicę, quibus partes amicitię comparauit: siquidē nulla est societas in ciuitate, quæ quodammodo amicitia dici non potest: sequitur ergo nunc proximè non inutilis de partib. reipublicæ tractatio, in qua non solùm optimæ ciuitatis cōstitutiones, sed etiam illarum defectiones & vitia demonstrantur. Hæc ideo fiunt vt cuiuis pateat quanta & quàm incredibilis sit vis & influentia amicitiæ in omnes partes vitæ diffusa. Sed quoniā in politicis hanc causam pluribus discussimus, satis erit hoc loco in sequenti tabula summam rei comprehendere.

Distinctio.

Constitutio reipubl. est in qua principatū tenent, vel

- Vnus, qui tendit, aut ad
  - Bonum publicum, & sic est iustus princeps vnde est regnum seu monarchia, quæ optimus status reipubl. in textu dicitur.
  - Bonū priuatū, & sic est iniquus princeps vnde tyrannis, quæ pessima ciuitatis cōstitutio in textu definit.

Plures



Opp.

Plato rectè posuit mixtas aliquas constitutiones reipubl. ex istis: ergo rectè non diuisit Arist. Antecedens patet in statu Venetorum, qui constat ex regno & consulatu, qui authoritatem deponendi ducem habet, si rempub. laceret & depopuletur.

Resp.

Arist. hîc solùm de simplicibus ciuitatis constitutionibus agit.

Opp.

Opp.

In ariſtocratia maior vis conſilij & prudentiæ requiritur: ergo monarchia non eſt optimus ſtatus reipubl. vt hîc docet philoſophus.

Reſp.

Non eſt maior vis conſilij, ſi cõſules aſſiſtentes regi in ſuo imperio ſpectes.

An in familia ſint expreſſæ imagines triũ iſtarum conſtitutionum in republ.

Familia ciuitati ſimilis.

Sunt, nam ſi pater præſit filijs, ſi vir vxori in bonis, vt natura poſtulat, regni quædam imago & imitatio oritur. Vetus enim eſt illud, Rex quiſq; in propriâ dicitur eſſe domo: Si verò ſibi non illis conſulat in tyrannidem patris regnum commutatur, & ſic in reliquis in textu fit per philoſophum comparatio.

Cap. XI.

An amicitiâ regis in ſubditum ſit melior amicitiâ patris in filium?

NE inanis & otioſa videretur iſta de conſtitutionibus reipubl. digreſſio, omnia quæ de illis dixit Ariſt. ad vſum fructumq; amicitiæ hoc loco accommodat. Primumq; probat regiam amicitiam in ſubditos cum paterna in filios aptiſſimè poſſe comparari. Hinc patris amicitia quædã veluti monarchia, fra-

fraternus amor quasi sociorum consensio, viri in vxorem beneuolentia quædam veluti aristocratia in textu dicitur. In tyrannide alijsque vitijs reipublicæ nulla, vt inquit philosophus, fieri potest cum amicitia comparatio. Nam in illis vis ac metus (qui sunt pessimi custodes ciuitatis) principatum tenent. Sed de his quæ minùs ad institutum spectant lõgiorem orationis telam contexere, esset in re minùs vtili & fructuosa laborare. Quamobrem cum Thoma & alijs classicis interpretibus ad grauiora festinamus.

Amicitia considerat. vel quoad
- Verum & internum obiectum amicitiæ, & sic paterna amicitia est maior in filium quàm regis in subditum.
- Externum beneficiũ, & sic amicitia regis est melior quàm amicitia patris.

Opp.

Pater est causa essendi, nutriendi, sciendi in filio: sed hæc sunt longè optima beneficia: ergo patris beneficia meliora sunt quàm regis beneficia.

Resp.

Et esse, & bene esse habent subditi à rege. Nã est pater patriæ & pastor gregis, vt docet philosophus in textu.

Opp.

Fit solùm cõparatio constitutionum publicarum cum domesti-

domesticis in textu: ergo distinctio tradita minùs appositè videtur assignari.

Resp.

Ratio non sequitur, quia in illa comparatione de excellentia beneficiorum in omni statu disputatur.

Cap. XII.

An gradus amicitiæ rectè assignentur? An paterna amicitia erga filium sit maior quàm filij erga patrem?

Amicitia quæuis gradus quosdã habet. Amicitiæ naturalis quatuor gradus.

GRadus quidam sunt amicitiæ, siue à naturæ vtero sit parta, siue temporis successione sit confirmata. Inter species amicitiæ quæ vi naturæ coaleſcunt, prima est patris in filium, secunda viri in vxorem, tertia fratrum inter se, quarta cognatorũ & affinium, qui ab eadem stirpe quasi palmites ab vna radice enascuntur. In primo gradu pater plus filium diligit, quàm filius patrẽ: hoc probatur à causa, quia pater dat esse filio, est enim filius pars quædam patris; ab effectu, quia pater nutritionem, educationem, scientiam filio concedit; à subiecto, quia est excellentior persona; à tempore, quia

quia prius & diuturnius amat; à fine, quia eò diligit pater quò filiũ beatum efficiat. De amore matris (qui hoc loco obiter ab Arist. attingitur) in octauo capite satis diximus. Sequitur vt de alijs remotiorib. amicitiæ gradibus nunc disputemus, inter quos primus est sociorum, secundus hospitalium, tertius ciuium, quartus simul educatorum, quintus benè merentium. In primo gradu æqualitas, in secundo beneficentia, in tertio æquitas, in quarto morum similitudo, in postremo grati animi officium amicitiam parit. Socij enim æquales, hospitales benefici, ciues iusti, simul educati vitâ & moribus similes, benè merentes gratiosi esse debent. Huc addi possunt multi alij gradus amicitiarum: quot enim sunt hominum inter sè nexus & societates, tot gradus speciesque imperfectæ amicitiæ constitui & assignari possunt: quos quidem si per hoc quasi exemplar feceris, vitam tuam in omni loco omniumq; congressu hominum rectiùs instituueris.

Remotiores amicitiæ gradus quinq;.

Distinctio primæ quæstionis.

- Gradus amicitiæ sunt vel
  - Naturales, vnde amicitia
    - Patris & filij,
    - Viri & vxoris,
    - Fratrum,
    - Cognatorum,

    } Quæ sanguinis coniunctionem vinculumq; spectat.
  - Ciuiles, vnde est amicitia
    - Propinquorum,
    - Conciuium,
    - Sociorum,
    - Hospitalium,
    - Benè merentiũ, & aliorum, vt simul nauigãtiũ, simul militantium, &c.

    } Quę ciuilem pacem & communem reipublicæ quietem respicit.

Distinctio secundæ quæstionis satis liquidò in suppositione constat.

Opp.

Omnes amicitię gradus ad enumeratos ab Arist. reuocari possiunt.

Ridicula videtur ista tot graduum enumeratio: ergo hallucinatur Arist. Antecedens probatur, quia hinc sexcenta amicitiæ genera oriri possunt, vnde confusio sequeretur.

Resp.

Primarios omnes gradus amicitiæ enumerat Arist. vt rectiùs sciamus in omni societate vitam secundum normam amicitiæ instituere. Quare etsi alij multi gradus oriantur. si singulas hominum actiones spectes, omnes tamen ad hæc cap. reuocentur.

Opp.

Opp. contra secundam quæstionem.

Pater est melius obiectum amicitiæ quàm filius: ergo pater à filio magis diligi deberet: præterea filius plura beneficia à patre recipit: ergo eum magis patrem amare oportet.

Resp.

Ratio non sequitur, quia quodlibet obiectum, quod est melius, non à quolibet magis diligi debet, sed ab illo solùm qui tenetur rationis lege diligere, sed recta ratio nõ respicit obligationem solùm, quâ tenetur filius amare patrem, sed etiam naturam filij quæ ab hoc officio impeditur.

Cap. XIII.

An querelæ & criminationes in veræ amicitia fiant?

CErtatim in vera ac præstanti amicitia contenditur, vter amicorum (qui in duobus corporibus vnam quasi mẽtem habent) alterum magis ac vehementiùs diligeret. Hic amor constans non leuis, iudicio confirmatus non affectu vacillans, virtutis nõ voluptatis aut quæstus causâ susceptus, pacẽ sine bello, perpetuam vtriusq; sympathiam sine vlla discordia nutrit. Amici nãq; verè

Nullæ rixæ inter veros amicos oriuntur.

sunt turtures sine bile, sunt homines sine splene, in quibus vt in gemellis Hippocratis tanta ineſt morum & ſtudiorum ſimilitudo, vt inter illos nulla acerba fieri poſſit contentio. Si rideas gaudeo, ſi plores doleo, in rebus ſecundis tecum delector, in rebus aſperis à tuo latere non diuellor. Amici hæ voculæ tantam in verâ amicitiâ amoris proportionẽ, tantum concentum & harmoniam ineſſe arguunt, vt criminationibus & querelis nullus in ea relictus videatur locus. Sapienter ergo Ariſtoteles in primâ concluſione huius capitis demonſtrat in hoc genere perfectæ amicitię nullum diſſidium, nullum diuortium emergere ac eminere. Quippe ſi perpetua ſit animorum conſenſio, ſi in officio bene merendi vltro citroq; ſit vehemens æmulatio, ſi in ſtudio virtutis ſit magna proportio, quæ fieri poteſt querela? quæ criminatio? Sed attende quòd hîc non negemus, quin aliquando inter ſummos amicos adhibeantur conſilia, ſiquidem deos ex hominibus amicis non conſtituimus, homines enim ſunt, errantq; & labũtur ſæpè. Iurgare ergo licet, vt ait orator

tor, sed sine felle; irasci licet, sed sine vulnere. Amicus namq; infuso vino curandus, non infixo gladio fodiendus esse videtur. Sequitur in textu alia conclusio, in qua probat philosophus, quòd in amicitiâ propter voluptatem rarò, in amicitiâ verò propter vtilitatẽ propemodum semper contingat querela: rarò in amicitiâ propter voluptatem, quia licet illam, si sit molesta, disrumpere & violare: semper autem in amicitia propter vtilitatem, quia tota vitæ victusq; ratio necessariò in proportione vtilitatis ponitur, quâ labefacta tâ, continuò atrox & immanis contentio nascitur.

Distinctio.

Querelæ inter perfectos amicos non continguntpropter { Similitudinem morum: / Consensum virtutis: / Constantiam & proportionem amoris: / Fructum quietis, quæ est effectus veræ amicitiæ.

His causis contrariæ sunt illæ quæ in amicitijs propter voluptatem & vtilitatem assignantur: ergo in illis sunt perpetuæ criminationes & querelæ. Nam in illis non est similitudo morum sine tædio, non est

consensio virtutis sine vitio, non est constantia amoris sine leuitate, non est fructus quietis sine contentione.

Opp.

Negat in textu philosophus quòd in amicitiâ voluptatis causâ susceptâ fiat querela ; ergo malè distinguitur.

Resp.

Negat respectu quodam (vt ostendimus) non simpliciter & absolutè.

Opp.

Licet amicum reprehendere : ergo licet de illo querelam facere. Antecedens est philosophi & Ciceronis.

Resp.

Licet amicum errantem reducere, peccantem reprehendere, sed illud docendo, hoc monendo quidem fieri oportet.

Cap. XIIII.

An defectio proportionis sit causa querelarum in disparibus amicitijs?
An liceat patri abdicare filium?

Dispares amicitię querelis non vacant.

PErgit philosophus in hoc capite de querelis quæ in disparibus amicitijs cõtingunt disputare, sa-

gaci-

gaciterq́; docet omnem contumeliam, omnem iniuriam, omnem cõtentionem & querelã in illis ab hac potissimum causâ prouenire, quod vterq; plus sibi tribui debere, quàm tribuatur, æquum esse censeat. Si namq; q melior est sibi maiorem dignitatẽ, si qui inferior est sibi maiorem cõmoditatem deberi putet quàm datur; statim languescit amicitia, succedit querela. Est enim nihil tã germanum, nihil tam propriũ amicitiæ, quàm æqualitas & proportio; quę si defecerit necesse est vt sequatur contentio, quippe natura humana est impatiens iniuriæ. Vt ergo sit amor sine odio, amicitia sine inuidia, animorũ conspiratio in disparib⁹ personis sine querela, Si Cæsar sit, plus honoris; Si Irus sit, plus vtilitatis detur. Virtutis enim & beneficẽtię merces est gloria, inopiæ & indigentiæ præsidiũ quæstus. Huc illud accedit quòd sint aliqua genera amicitiarum, in quibus tanta est excellentia dignitatis, tanta vis & magnitudo meritorũ, vt quocunq; officio & obseruatione adęquari satisq́; remunerari non possit. Intelligit philosophus in textu deum, regem, patrem; quis satis

Dispares amicitiæ quo modo diuturnæ reddi possint.

religiosè deum, quis satis officiosè regem, quis satis studiosè patrem colit & veneratur? à Deo essentiam, à rege patriam, à genitore victum & existentiam habes, quæ profectò tanta & tam immensa sunt beneficia, vt eisdem satis pro officio nunquam respondere possis. Si ergo patrem offendas impius, si regem sceleratus, si Deum sceleſtus & facinorosus haberi debes. Hinc illud quod postremo loco agitur, nempe quòd liceat patri ingratum & pernicioſum filium abdicare, filio verò patrem abnegare omniquesubsidio destitutum relinquere non liceat. Pater potest exhæredare filium, si sit ingratus, si sit contumax, si sit ad omne facinus & licentiam vitæ præceps: Filius non potest negare patrem, quia par ei pro vitâ, pro victu, pro cura & educatione referri non potest. Pater ergo morali iustitia nō obstringitur filio, si sit pernicioſus. Filius autem & morali & legali iure obligatur patri, quia fuit eius vitæ & educationis studioſus patronus. Idem hoc loco de officio in regem, idem de amore & pietate in deum rectè dici potest.

Patri licet filium abdicare, filio patrem non licet.

Filius patri magis obstrictus est quàm pater filio.

Distin-

Distinctio primæ quæstionis.

Duplex est proportio,
- Rei, quæ semper in disparibus amicitijs non seruatur, neq; seruari potest; vt patet in beneficijs principũ & parentum.
- Rationis, quæ semper seruari debet, cuius defectio est sola causa omnis querelæ ac contentionis.

In disparibus amicitijs proportio rationis & potest & debet seruari.

Distinctio secundæ quæstionis.

Ius est triplex,
- Naturale, & sic non licet patri abdicare filium, quoniam filius est semper pars & imago patris.
- Legale, & sic tenetur pater prouidere filio, illumq; aliquando quamuis impium in possessionem vsumq; rerum substituere.
- Morale, & sic ei licet abdicare, si in scelere furentius perfistat, consilioque sanari non possit.

Quo iure liceat patri filium abdicare, quo nõ liceat.

Opp.

Docet philosophus quòd proportio in quibusdam amicitijs seruari non possit: ergo defectio proportionis non debet esse causa querelæ. Antecedens patet, vbi docet filium non posse satisfacere deo, regi, patri.

Resp.

Proportio est duplex,
- *Externa, quæ in his rependi non potest.*
- *Interna, quæ potest.*

Opp.

Abdicare filium est contra naturam: ergo patri non licet. Antecedens probatur, quia abdicare filium est

sui imaginem delere, & partem sui velati abscindere.

Resp.

Pater & filius non naturaliter sed moraliter hîc intelliguntur. Est autem tam diu filius moralis, quàm diu patri benè suadenti obtemperat, morumq; præcepta sequitur.

Opp.

Qui magis diligit, minùs debet relinquere dilectum: sed pater magis diligit, vt est concessum: ergo non debet filium relinquere.

Resp.

Hæc omnia de amore naturali non de morali intelliguntur.

Opp.

Potest pater fieri impius in Deum: ergo licet filio aliquando abnegare patrem.

Resp.

Licet, si à Deo penitus desciuerit. Nam hoc non negat philosophus, cum omnes homines Deo & regi subiici debere pluribus vbiq; demonstret.

Patrem, qui à deo penitus desciuit abnuere potest filius.

Laus Deo.

LIBER

LIBER NONVS.

Cap. I.

An proportio redamationis conseruet, & an inæqualitas dissoluat amicitiam.

An dantis potiùs quàm accipientis sit pretium rei æstimare, vt proportio in ciuili amicitia obseruetur.

An philosophorum amicitia æquari possit?

QVONIAM homo, domus, ciuitas, omniaq; ipsius naturæ effecta amicitiæ fibris nexa cohærent, discordiæ fulmine concussa ruunt: latior adhuc tela quasi texitur, filumq; longius in quæstionibus de amicitia retexendis non sine fructu studiosi lectoris nectitur. Multa in priore libro amicitiæ genera, multa amicorũ officia, multas vires, multa euẽta definiuit philosophus. Supersunt tamẽ pauca adhuc nõ minùs fructuosa de proprietatibus amicitiæ & amicorum collimanda pro-

Connectit sequentia cum superioribus.

da problemata. Horum primum reidem eſt cum diſcuſſa modò quæſtione, nimirum, An defectio proportionis diſſoluat amicitiam? An illam ſola cõſeruet amoris proportio? Conſtat quidem omnes partes reipub. iuſtitiâ & amicitiâ (quæ in æqualitate quadam & proportione cõſiſtunt) veluti in vno corpore coniungi & conglutinari: illa ciuitatem & bonum publicum, hæc ſocietatem & bonum priuatum tractat: illa per iniuriam & dãnum ciuium, hæc per diſcordiam & odium amicorum cõcidit. Quemadmodum ergo membra eiuſdẽ corporis alia alijs inſeruiunt ad ſalutem, quamuis omnia nõ ſunt eiuſdem dignitatis & excellentiæ: ita ſe res habet in ciuitate in qua per amicitiã ex diſſimilibus partibus in vnum quaſi corpus coactis magnus conſenſus naſcitur. Et vt eſt in fabula, ſicut manus negantes cibum ventri dare, ipſæ inediâ pereunt: ita detrahentes proportionem amoris ſuis amicis, ipſi diſcordiâ vulnerantur. Hoc probat textus ab exemplis ciuilis, amatoriæ, & perfectæ amicitiæ: in ciuili ſutoris & textoris, in amatoriâ amantis & ama-

& amasiæ, in perfectâ studiosè se inuicem diligentium proponuntur exempla: textor sutorem, id est artifex artificem amat si obseruetur proportio: amator amasiam colit, si par vtriusque meritorum fiat relatio: philosophus studiosum virtutis diligit, si morum ac studiorum habeatur consensio. Tum verò inter istos dissidium oritur, cum proportionis regula violatur: violatur enim si par pari non referas, vt suprà ostenditur: vel si ad indigentiam amici opus & actionem non dirigas: verbi causâ, Si citharœdo expectanti mercedem voluptatem rependas, cum is quæstum quo caruit, non delectationem quam dedit est aucupatus. Sed hîc noua dubitatio oritur, An dantis potius quàm accipiētis sit pretium rei ęstimare, vt proportio in ciuili amicitia obseruetur. Si germanum huius quæstionis sensum quærás, opinor equidem moueri sic posse, vtrum æstimationem facere accepti beneficij & retributionis faciendæ ad dantem potiùs quàm ad accipientem pertineat. Resolutio Arist. est quòd magis ad accipientem spectet. Rationes huius

Artifex amat artificem.

ius sententiæ in textu quatuor sunt, prima à consuetudine benè merentium, qui æstimationem suorum meritorum suis alumnis solent permittere: secunda ab authoritate Protagoræ, qui cum docuisset quidlibet, iubebat eũ æstimare qui didicisset, quanti videretur quod didicerit, hoc est quasi diceret, da tantum præmij & honoris quantum me meritum fuisse putas: tertia ab euentis, quia multi vt sophistæ aureos montes pollicentur: iuxta illud Ouidianum,

Pollicitus dives quilibet esse potest.

Vir bonus sollicitus est de retribuenda gratia.

Qui tamen acceptâ mercede nihil aut parum præstant, penes quos æstimationem rerum ponere valdè absurdum esse videretur: quarta est ab officio veri amici gratique hominis, qui accepto beneficio impensè sollicitus est, quantum amico debeat, continuoque se accommodat, vt vel rerum seruatâ proportione, vel grati animi testatâ obseruantiâ pro viribus respondeat. Grati animi testatâ obseruantiâ dico, quia multa sunt beneficia vt opes & mysteria philosophiæ, quæ nullâ aut pecuniarũ copiâ, aut honorum cumu-

cumulo compensari & exæquari possunt. Hinc in textu videtur mihi insinuari ista beneficiorum distinctio, quòd alia sint externa, vt honos & pecunia: alia interna, vt virtus & scientia: illa affluentiâ rerum & officio ponderari quidem possunt, hæc verò propter excellentiam animi arithmetica proportione rependi non possunt. Si tantum hîc Aristo. suæ philosophię professoribus tribuat, vt non aliter erga illos nos geramus quàm erga deos (sic enim loquitur) qui in mentes nostras diuina beneficia infundunt & instillant: quot & quantis beneficijs sacrorum oraculorum interpretes, & legatos nostræ salutis coleremus, cuiuis liquidò constare debet. Errant, errant profectò, qui suis doctis & sedulis præceptoribus, qui suis sanctis & castis verbi professoribus, mortali aliquo beneficio dato satisfactum iri somniant, quasi verò virtus, & salus animi leuis fortunæ manu remunerari possit. Quæ hæc est rerum æterna- rum cum perituris comparatio? quæ proportio? quid ergo requiritur? certe vt laborés vtriusq; beneficio manus, virtutes autem

Aliqua beneficia repēdi non possunt.

Nulla est proportio rerū mortalium cum æternis.

Quales nos erga sedulos præceptores præstare debeamus.

autem officio mentis adæquare coneris. Labores enim docentis amplum fortunę præmium, artes & virtutes perpetuum animi officium postulant.

Distinctio primæ dubitationis in vltimo cap. prioris lib. absoluitur.

Distinctio secundæ quæstionis.

Aestimatio accepti beneficij & retribuendi potiùs ad accipientem spectat quàm ad dantem.

- Quia bene merentes non solent, nec debent quanti sit datum beneficium æstimare.
- Quia hoc modo accipientes magis grati, & dantes magis gratiosi redduntur.
- Quia dantes beneficia remunerationem expectare non debent, nedũ pretium constituere.
- Quia fraudem & auaritiam arguit, si datores præscriberent quantum acceptores retribuerent.
- Quia protrudentes suas merces vt auari mercatores, & gloriosè profitentes vt sophistæ hoc hominum aucupio vtuntur.

Distinctio tertiæ quæstionis.

Beneficia benè docentis aut philosophantis æquari non possunt, propter

- Excellentiam animi quam ornant.
- Dignitatem sapientiæ quam continent.
- Infinitam rerum varietatẽ quam explicant.
- Bonum incommutabile & diuinum ad quod nos referunt.

Opp.

Opp. contra primam quæstionem.

In præcedenti capite probatur quòd pater magis diligat filium, quàm filius patrem: ergo exacta redamationis seu dilectionis proportio ad conseruandam amicitiam non requiritur.

Resp.

Proportio exacta dicitur, vel
- *Respectu rei, & sic æqualiter filius non diligit patrem.*
- *Respectu rationis, & sic vtriusq; amoris esse debet proportio: nam aliter dissolueretur amicitia.*

Opp.

Docetur in hoc capi. quòd philosophi rectè docentis amicitia satis remunerari non possit: ergo est amicitia, in qua seruari non potest proportio.

Resp.

Philosophantis amicitia compensari non potest quoad rem, sed quoad rationem. Remuneratio enim non philosopho sed labori conceditur, & hoc satis est sapienti, si agrum voluntatis pro grano facultatis recipiat. Compensatio rei & rationis.

Opp. contra secundam quæstionem.

Vt est in commutante iustitia, ita est in amicitia: sed ad vendentem pertinet rem suam æstimare: ergo ad dantem spectabit æstimationem sui ipsius beneficij facere.

Resp.

Simpliciter vera est hæc quæstio in amicitiâ propter honestum, non autem semper in amicitiâ propter vtile susceptâ. Illa enim ad electionem recipientis omnia refert, hæc retributionem alterius beneficij intendit & expectat.

Opp. contra tertiam quæstionem.

Nummus est medium iustitiæ & amicitiæ, vt est in textu, quo omnia adæquantur: ergo amicitiæ philosophi pecunijs adæquari possunt.

Resp.

Omnia in amicitia vtili nummis adæquari possunt, sed non omnia beneficia mentis quæ ab vberibus philosophiæ hauriuntur.

Cap. II.

An patri obtemperandum sit in omnibus?

Quæstiunculæ complures explicantur.

MInutiores quæstiunculæ hic cursim proponuntur multæ, scilicet, An obtemperandum sit patri in omnibus? An ægrotus medico debeat credere potiùs quàm patri? An filius potiùs patrem imperatorem belli quàm expertum militem eligeret? An potiùs subueniendum sit amico indigẽti quàm viro bono nobis ignoto? An benè merẽti potiùs sit reponẽdum beneficium quàm dandum socio, si vtriq; postulanti respon

dere

dere non possis? Horum (inquit philosophus) omnium dubiorum non est facilis explicatio, pręsertim cũ magnæ in ijs dissimilitudines & differẽtiæ versentur. Cæterùm ne nimis frigida & ieiuna interpretatione languescat studiosus lector, summam omnium quasi volans per theatrum philosophiæ breuissimè ostendam. Et vt ad primum primo in loco veniam, dico cum Aristo. omnia non esse tribuenda patri, inq́; omnibus nõ esse obtemperandum. Nam vt Ioui non omnia sacrificia: ita nec patri omnia officia inseruiunt, optima Ioui, iusta & honesta patri debentur. Aequum est vt illum colas, nam genuit: vt alimentum præbeas, nam te nutriuit: vt ab hoste captiuum redimas, nam te protexit: vt in omnibus legitimis & honestis obedias, nã te ad hoc officium educauit & instruxit. Cimon Atheniensis ille, q̃ Xerxẽ terrestri naualiq́; bello ter superauit, tantâ in patrẽ Miltiadẽ nomine pietate olim fuisse dicitur, vt eius ꝓiectũ cadauer & insepultũ trãslatis in se vinculis religiosè redemerit. Pauci sũt hodie Cimones, Nerones multi, i. pauci qui cũ Scipio-

Prima dubitatio.

Patri in omnibus nõ est obtemperandum.

Cimonis pietas in patrem sepultum.

nibus ſuſtentant patres, multi qui patrum funera & ſepulchra cupiunt. Sed attende, hic iubet philoſophus te patrem vt Deum colere, non tamen eodem modo: ſiquidem alius Deo, alius regi, *alius* patri debetur honor. Deo adoratio, regi ſubiectio, patri naturalis amor & affectio. Si dicas nimis adhuc confusè & generatim delineari hanc quæſtionem, reſpondeo ſubtiliùs accuratiusque ſic poſſe tractari: nempe quòd in omnibus legitimis, vtilibus, & honeſtis non ſit obtemperandum patri, verbi causâ, Si iubeat te pater virginem, quam non diligis, in vxorem ſumere, quamuis ſit caſta & honeſta virgo, quamuis non ſit inhoneſta petitio, deliberandum tamen eſt, nec non vrgenti reſiſtendum, ſi animus & natura reluctentur. Iterum ſi te præſente pater & magiſtratus ſimul periclitentur, petente vtroq; opem, quid quęſo facies? *pater* honeſtè ſubſidium vitæ ab *illo quærit, cui* vitam dedit: ſi magiſtratum *nunc* deſeras te patriæ proditorem: *ſi* patrem perire ſinas te monſtrum *naturæ* præbes: ſed aduerte, patriæ non *patri* obediendum cen-

Obiectionis tacitæ ſolutio.

censeo. Est enim & tui & omnium communis parens. Concludo ergo in omnibus honestis (Nam inhonestum non est vt pater à filio in vitæ discrimine auxilium petat) patri non esse obtemperandum. Sexcenta sunt alia exempla quæ ab interpretibus adducuntur: sed hîc breuitatis memor sisto vestigium, illudq; tandem concludo, patri in omnibus legitimis & honestis semper obsequendum, si Deo, naturæ, & patriæ eiusdem postulata non repugnent. De alijs motis quæstionibus summatim dico, primùm quòd oporteat ægrotum potius medico credere quàm patri. Nam vt artium principijs, ita artium magistris credendũ esse arbitrantur philosophi. Tertia dubitatio facilè resoluitur: nempe potiùs expertum militem quàm ignarum & inexpertum patrem bello (in quo salus reipub. agitur) præficiendum. In quarta censeo potiùs subueniendum amico quàm bono viro ignoto, idque propter officium, propter experientiam, propter charitatem, mutuamque vtriusq; dilectionem. In postrema concludo potiùs opem indigenti so-

cio quàm gratiam bene merẽti tribuendã esse. Ratio est, quia socius est comes vitæ & alter ego, at quilibet sibi proximus esse debet, vt est in prouerbio.

Distinctio.

Omnia sumuntur, aut
- Confusè, pro omni actione vitæ, & sic in omnibus non est obtemperandum patri, quia frequenter impia & iniqua suadet.
- Definitè, idq; vel pro
  - Omni officio vtili, iucundo, honesto, & sic etiam semper sine adhibitis circumstantijs obedire non oportet.
  - Certo officio lege dei, naturæ & ciuitatis prescripto, & sic oportet filium in omnibus suo patri reuerẽter obsequi et obtẽperare.

Opp.

Maximè sumus obstricti & obligati patri; ergo in omnibus ei obtemperare debemus. Antecedens patet quia à patre vitam, victum, cultum q; ingenij habemus. Argumentum probatur à maiore ad minus. Nam si vita patri debeatur, in qua omnia continentur, consequens est quòd omnia debeantur.

Resp.

Virtutis cultus vitæ conseruationi præponendus est.

Officia sunt, vel
- *Ciuilia, in quibus plus principi quàm patri obedire debemus.*
- *Domestica, in quibus, si iuste & honestè imperetur, patri obtemperare oportet. Respondeo ergo quòd vitam, in qua omnia*

officia

officia vitæ continentur, debemus patri, sed sub conditione virtutis.

Opp.

Seneca iubet vt obediamus parentibus per omnia: ergo in omnibus obtemperandum est.

Resp.

Per omnia intelligit solùm ea, quæ in iure paterna potestatis sunt & collocantur.

Opp. contra tertiam quæstionem.

Pater magis curat salutem filij quàm medicus: ergo magis credendum est patri quàm medico, si ægrotes.

Resp.

Quamuis magis curat salutem filij pater vi naturæ impulsus, non magis tamen curat quàm sciens & fidelis medicus, qui secundum artem salutaria præscribit.

Opp. contra quartam quæstionem.

Plus prodest vir bonus reipub. quàm amicus vtilis aut iucundus: ergo potius opitulandum est viro bono quàm amico.

Resp.

Argumentum non tenet, quia comparatio philosophi est inter amicum notum & virum bonum ignotum illi qui opem daret.

Cap. III.

An moribus mutatis repentè sit dissoluenda amicitia?

An dirimenda sit bonorum amicitia, si alter alteri insigniter præluxerit?

Non debemus amare tanquam subitò osuri

SOlonis illud dictum, sic hodie ama quasi cras osurus, Aristoteli nõ vehementer placet: Est enim potiùs dissuẽda quàm disrumpẽda amicitia. Nam vt repentina mutatio legis inter ciues bellum & discordiam: ita violenta amicitiæ dissolutio inter amicos odium & insaniam parit. Multi sunt fugaces amici, multi fallaces & emẽtiti, à quibus (cum fraudem videris) discedendũ est. Isti sunt, vt docet in textu philosophus, qui inhiantes suis commodis, suasque delitias persequentes omni flatu, non aliter quàm puluis & palea vento, huc atque illuc distrahuntur. Sed vt conuulsio neruorũ in corpore maximũ dolorem efficit: ita talium amicorum subitanea & inconsiderata distractio magnũ sæpe periculum minitatur. Quare suadet philosophus vt sensim ac peditentim potiùs reptes, quàm auoles ab istorũ consortio. Quippe si perspectâ

Fucati amici deserendi sunt, sed nõ temerè & simul.

ctâ eorum malitiâ statim classicum caneres & ad bellum prouocares, verẽdum sanè est, ne odio conflato in vngues vulturum præceps non sine damno rueres: capitalior enim non est malitia quàm quæ ex dissolutâ amicitiâ nascitur. Sed hîc alia emergit dubitatio, An in verâ amicitiâ permittenda sit dissolutio, si alter amicorum (qui diu cum amico honestè vixerit) turpis & sceleratus fiat? Quid multis? duo in tali euentu facienda videntur, alterum vt consilio alijsq; modis omnibus emendetur amicus, alterum, si à scelere reuocari non potest, vt consultò non subitò deseratur: nam malorum cum bonis firma nec potest nec debet esse amicitia. Postrema quæstio est, An dirimenda sit amicitia, quę est inter duos studiosos viros, quorum alter alterum in excellentia virtutis multis gradibus excellit. Quamuis videtur quidem philosophus affirmanter cõcludere, quia amici tales ijsdem rebus nec capiuntur, nec offenduntur: tamẽ in eam demum propendet sententiam, quòd illa inæqualitas in perfectione virtutis vires amicitiæ non dissoluat. Potest enim for-

Amicitia dissoluta capitalis fit inimicitia.

Boni & mali firmi diu esse amici nõ possunt. Quæst. 2

tis cum magnanimo, liberalis cum magnifico, mediocriter ſtudioſus cum inſigniter excellenti viro fœdus inire amicitiæ, officiumq; amici exercere: quippe nõ eſt diſſimilitudo moris, ſed intẽtio & amplitudo gradus; non eſt diſtractio animorum, ſed in ſtudio virtutis ardẽs quædam æmulatio, quę ſæpe ſine inuidia inter amicos euenit.

Diſtinctio primæ quæſtionis.

Repentè nõ eſt diſſoluẽda amicitia ſemel ſuſcepta, propter
- Periculum, quod omnem repẽtinam mutationem ſequitur.
- Spem reducendi amici, qui conſilio aliquando potiùs quàm diuortio corrigitur.
- Notam infamiæ, quæ plerumq; diſiunctis & ſeparatis amicis inuritur.
- Scandalum malumq; exemplum, quod infirmis & inconſtantibus præbetur.

Diſtinctio ſecundæ quæſtionis.

Nõ eſt bono rũ diſſoluenda amicitia etſi alter alterum magnitudine virtutis ſuperet, qa in
- Obiecto, nẽpe amabili honeſto,
- Medio, nẽpe delectabili cõſortio,
- Fine, nempe fideli vitæ officio ac virtutis ſtudio

Conſpirãt: diſſentiũt verò ſolum, in
- Gradu non habitu.
- Perfectione non conſenſu virtutis.

Opp.

Opp. contra primam quæstionem.

A vitio citò fugiendum est ne repat latiùs: ergo à vitioso amico repentè est discedendum ne noceat periculosiùs.

Resp.

Oportet citò vitium fugere & tamen virum diligere. Si ergo amicum peccantem videris, statim à vitio auola, sed sensim à viro (si corrigi non possit) declina. Nam hoc tutum est & laudabile.

Opp.

Non est malum exemplum in discedendo à malorum consortio: ergo illa causa malè traditur.

Resp.

Non est malum discedere à malis, sed subitò discedere ab amico, est illis qui causam ignorant occasio mali.

Opp. contra secundam quæstionem.

In verâ amicitiâ debet esse æqualitas, sed inter illos quorum alter alterum longè virtute superat, non est æqualitas; ergo non est amicitia. Minor probatur, quia tales septimo Ethicorum dÿ vocantur.

Resp.

Est æqualitas in essentia non in existentia, in habitu non in gradu virtutis, quod satis est.

Cap.

Cap. IIII.

An vera amicitia incipiat à seipsa? An beneuolentia, concordia & beneficentia sint proprietates veræ amicitiæ?

Charitas incipit à se.

VT vetus illud est quòd charitas incipiat à seipsa: ita verum quoque est (vt hîc pluribus probat Aristot.) quòd amicitia ex ijs, quæ ad seipsum quisq; facit, oriatur. Nihil sanè homini optatius est, charius nihil, quàm vt ipse benè & beatè viuat. Hinc illud sapientis elogium, Proximus sum egomet mihi. Sed quæ tandem illa sunt in homine, quibus, vt ita dicam, homo in seipsum vertitur? Tria hîc insinuantur, & posteà distinctè tractantur ab Aristotele, nimirum, beneuolentia, concordia, & beneficentia: beneuolentia vt seipsum diligat, concordia vt sibi constet, beneficentia vt sibi cõsulat. Hæc quidem dicũtur respectu vnionis & amicitiæ, quæ est mentis cum corpore: vnde tria sunt præclara dicta philosophi in hoc capite, Primum, quòd viri boni sit in votis habere se bonis affici, sic sibi

Amicitia oritur ex ijs quæ ad se quisq; facit.

Tres proprietates veræ amicitiæ.

Tria præclara dicta philosophi.

sibi beneuolus: alterum, quòd conetur sibi constare, sic secum cõcors & vnanimis: postremum, vt mentis suæ causâ hæc omnia agat, sic sibi beneficus esse videtur. Est inquit vir bonus sibi norma vitæ, est mens sua quisque. quid enim aliud est res quælibet quàm forma? quid homo nisi mens sua? quid aliud mentis vnio cũ corpore quàm animi eiusdem facultatum cum potentijs corporis quædam amicitia? Ex his constat charitatem & amicitiam à seipsa incipere & inchoari, ex qua etiam in alium (qui alter idem est) fluente vera & perfecta amicitia oritur, cuius vis & proprietas est duos in vnũ veluti transformare. Nam vt surculus pomi aut alterius plantæ in piri trunco insitus & insertus, vnam eandemq; naturam cum piro per influentiam à radice suscipit: ita vnus homo diu associatus alteri tandem per mutuum animorum consensum ac beneuolentiam, eandem mentem sic induit, vt alter in alterum omnino quasi commutetur: quod cum fiat, tum amicum vt seipsum diligit, tum cum amico vt secum concordat, tum amico vt sibi consulit, id est

Amicitia duos vnit.

est beneuolus, constans, & beneficus suo fideli amico semper existit. Sic vides à teipso amicitiam ortam, & in alterum, qui est alter idem, vi quadam amoris sic tandem transfusam, vt tu in alium versus ab alio diuersus nõ videaris. Hinc illud rectè,

Amicus in amicum versus ab eo nõ videtur esse diuersus.

Alter ego nisi sis, nec eris mihi verus amicus,
Nî mihi sis vt ego, non eris alter ego.

Amicitia tur nequeat esse inter malos.

His positis & confirmatis, sapienter concludit philosophus, quòd nefarij ac scelerati hoc modo non possint esse amici, quia, vt inquit, secum discordant, quia sibi non studeant, quia se non diligunt, imò hoc vnum addam, quia se odio potiùs quàm amore prosequuntur. Nam vt concludam cum Aristotele, audi ipsum loquentem, Qui multa & grauia scelera admiserunt, improbitate victi & se oderunt ipsi & vitam fugiunt, mortemq; sibi

Improbi se oderunt; & propterea alios diligere non possunt.

ipsis sæpissimè cõsciscunt. O quantæ sunt furiæ scelerum, quibus tam miserè conscientia cruciatur. Concludit ergo, quòd tales nemini officium amicorum persoluãt, qui seipsos oderint, quiq; propter improbitatem morum secum dissident & discordant: quî enim alium diligat qui se-

ipsum

ipsum non diligit? De altera quæstione quoniam in tribus sequentibus capitibus tres illas proprietates amicitiæ definit Aristoteles, plura hîc quàm quæ disputata sunt non dico.

Distinctio primæ quæstionis.

Probatur q; amicitia vera incipiat à seipsa, propter
- Occultam vim naturæ, quæ sibi in omni animante primùm salutem & bonum quærit.
- Legem rectæ rationis, quæ idipsum præscribit.
- Vnionem animi cum corpore, quę perfectæ amicitiæ speciem habet.
- Proprietates veræ amicitiæ, quæ hominem maximè in seipsum flectunt.

Distinctio secundæ quæstionis.

Proprietates sunt, vel
- Primarię, vt
  - Benè velle,
  - Consentire,
  - Benè facere.
- Minus primariæ, vt
  - Simul viuere,
  - Eisdem rebus studere,
  - Labentem amicum consilio emendare.

Opp. contra primam quæstionem.

Amici est beneficia tribuere: sed nemo potest sibi beneficia tribuere: ergo nemo potest sibi esse amicus.

Resp.

Istæ tres proprietates bene velle, sibi constare, & bene facere considerantur vel naturaliter, & sic homo sibi

est

est maximus amicus; aut moraliter, & sic ad aliud dicitur amicitia, quæ tamen ab ipsâ naturâ vim ortumq; petit. Respondeo igitur ad argumentum, quòd homo sibi beneficia tribuat, id est, vt naturâ & lege rectæ rationis id sibi quod est optimum meditetur efficere.

Opp.

Amicitia se habet vt iustitia: sed iustitia est semper ad aliud: ergo & amicitia.

Resp.

Verum est, si moraliter & perfectè intelligas, at si naturaliter & inchoatè consideres, non item.

Opp. contra secundam quæstionem.

Multæ sunt aliæ proprietates præter istas enumeratas: ergo malè tres solùm hîc recensentur.

Resp.

Tres sunt primariæ, sed minùs primariæ multæ; vt antea in distinctione ostenditur.

Opp.

Beneuolentia dicitur in secundo capite principium amicitiæ: ergo non est proprium.

Resp.

Naturaliter sumpta est principium, moraliter sumpta est quoddam consequens & proprium.

Cap.

Cap. V.

An beneuolentia, amor & amicitia re & naturâ differant?

ORdine nunc agit philosophus de tribus potentijs veræ amicitiæ, ac primùm de beneuolentia, per quam amicitia superiùs definitur. Diuidi tur hoc caput in quatuor conclusiones, quarum prima est, quòd beneuolentia sit affectio similis & cognata amicitiæ, non tamẽ est ipsa amicitia: Secunda est, quòd nec sit amor nec actus amandi: Tertia, ꝙ sit principium amicitiæ: Quarta, ꝙ aucta diuq; confirmata beneuolentia fiat tandem amicitia. Prima conclusio probatur à loco comparationis, quia beneuolentia est sæpè inter ignotos, est autem semper inter notos amicitia. Porro beneuolentia est plerumq; repentina, amicitia verò leuiter non est susceptà. Postremò beneuolentia est inter multos, est autem amicitia inter paucos. Secunda conclusio probatur à loco definitionis, quia amor est affectus, beneuolentia verò quidam habitus. Tertia cõfirmatur à loco antecedentium, quia nemo potest esse verè amicus,

De potẽtijs tribus vẽ ræ amicitiæ.

Caput diuiditur in quatuor conclusiones.

De beneuolentia.

Beneuolentia in quib. differat ab amicitia.

Beneuolentia est & affectus & habitus.

nisi antè sit alteri coniunctus beneuolentiâ, & ex consequenti beneuolentia est principium amicitiæ. Postrema munitur à loco finis, quia perfectio beneuolentiæ est ipsa amicitia. Hinc summatim cõcludo, quòd beneuolentia sit vel affectus, vel habitus; vt est affectus, sic re & naturâ ab amore nõ distinguitur; vt est habitus bonum volẽdi, sic amicitia per illam definitur. Est ergo beneuolẽtia habitus flectens & inclinans hominem ad beneuolẽdum. Est amor affectus naturalis transiens in alium cum opinione boni. Est amicitia habitus verè & perfectè diligendi alterũ propter similitudinem morum & virtutum.

Beneuolentia sumitur, vel
- Pro affectu, cui opponitur maleuolentia: & sic non ab amore sed ab amicitia re & naturâ differt.
- Pro habitu, & sic realiter ab amore, sed non ab amicitia distinguitur: idq; propter rationes superiùs in suppositione allatas. Opp.

Beneuolentia est nihil aliud quàm habitus inclinans ad benè volendũ: sed omnis amicitia est habitus inclinans ad benè volendum: ergo omnis amicitia est beneuolentia, & per consequens ve non distinguitur.

Resp.

Beneuolẽtia cõsideratur
- A bono, quasi diceres beneuolus est q. bonũ velit, & sic non differt ab amicitia.

bifa.

bifariã, vel vt nomen habet | A benè, & sic beneuolentia aliquo modo differt ab amicitia.

Opp.

Omnis amicitia est beneuolentia: ergo aliqua beneuolentia est amicitia: tenet consequentia in conuersione per accidens.

Resp.

Conceditur consequens & consequentia. Nam primo modo accepta beneuolentia eadem reipsa est cum amicitia, quamuis paulò latiùs pateat.

Cap. VI.

An concordia sit virtus? & an potiùs in actione quàm in opinione consistat?

SVpersedendum est minùs vtilibus & fructuosis veterum digressionibus in hoc tractatu de concordia, causam iã solũ expẽdere mihi currẽti licet. Perspicuũ est igitur concordiam esse amicorũ vinculum, quo ad idẽ sentiendũ efficiẽdumq; in studio vtilis aut honesti pertrahuntur. Errant ergo q̃ concordiam idem penitus cum consensu in opinione esse existimant: est.n. consensus sæpe inter ignotos, at concordia tantum ad notos pertinet. Præterea non sunt cõcordes secundũ philosophum qui de re quali

Concordia quid.

Concordia differt à consensu.

bet idem sentiũt: vt puta de motu cœlesti, de motu terræ: Siquidem talis consensus nihil aut parum ad amicitiam spectat: sed illi propriè & per se concordes dicuntur, qui circa ea conspirant quæ in actionem cadunt, quiq; id agunt & exequuntur de quo in consultatione consenserunt, veluti, vt vtar verbis Aristot. Ciuitates tum demum concordes sunt, cum placet omnibus magistratus esse diligẽdos, aut ineundam cum Lacedæmonijs societatem, aut Pittacum vnum de septem sapientibus imperatorem esse eligendum. Porrò concordare non est semper idem velle, aut idem intelligere. Hoc probat philosophus ab exemplo. Nam sæpè tàm populus quàm optimates eidem volunt præesse ciuitati, vnde potiùs seditio quàm concordia nascitur. Postremò concordia inter flagitiosos & sceleratos non viget: quippe illi Euripum in leuitate morum imitantur. Ex his constat concordiam esse quasi annexum & adiunctum amicitiæ, adeoq; in actione potiùs quàm in opinione hominum consistere & manere: sed plura de hac re in proxima distinctione vide.

Concordare non est semper idẽ velle aut intelligere.

Scelerati ne queunt esse concordes.

Distin-

Distinctio primæ & secundæ quæstionis.

Cõcordia sumitur, vel
- Fusè, pro quocunq; consensu hominum, siue in actione siue in contemplatione rerum, & sic non est virtus sed affectio quædam, quæ in vnanimi opinione cernitur.
- Cæterùm de hac in textu non agitur.
- Propriè, idq; bifariam, vel vt est
  - Affectus cõsentiendi in rebus agendis, & sic est vt anteà diximus proprium amicitiæ.
  - Habitus mouens & inclinans homines ad idem sentiendum idemq; faciendum in studio vtilis aut honesti: & sic p virtute habetur, quia malis non conuenit.

Opp.

Concordia definitur mutuus hominum consensus ad bona opera exercenda: sed talis consensus est effectus virtutis nempè amicitiæ: ergo non est ipsa virtus.

Resp.

Consensus accipitur, vel pro
- *Actu consentiendi, & sic est effectus virtutis.*
- *Habitu, & sic est virtus, vt anteà docetur.*

Opp. contra secundam quæstionem.

Consensus opinionum in consultatione magnam sæpè amicitiam gignit: ergo concordia quæ est comes amicitiæ in opinione aliquando cernitur.

Resp.

Non negatur quin sit cõcordia in opinione, si communiter sumatur: sed propriè sumpta in rebus agendis potius versatur.

Cap. VII.

An benefici vehementiùs diligant quàm diligantur? An beneficentia rectè definiatur?

TRitum est perire quod facis ingrato, si verò bonis quid beneficiat certè non perit. Qui benè merenti non rependit gratiam, illum (quod satis est) ingratum nomino. Vitam tibi Nero tua mater dedit, cur vitam tollis? cultum animi dedit præceptor, cur occidis? humanum quidem nõ est si accepto beneficio mens & manus obrigescant: canes, tigres, omnesq; immanes & truculentæ feræ agnoscunt beneficium, solus ingratus viperino prognatus semine non agnoscit patronum, Sed hæc obiter: nam de beneficis, nõ de ingratis mouetur quæstio. Petit enim philosophus, An benè merentes magis diligant quàm redamentur. Affirmat quidem eos magis diligere.

Hanc

Hanc assertionem primùm à simili probat: Nam vt creditores sperantes lucrum, suorum debitorum vitam & salutem optant: ita benefici expectantes gratiam suos alumnos vehementiùs diligunt. Huic rationi alia succedit non absimilis: quòd quemadmodum artifices suis ipsorum operibus, & poëtæ suis ipsorum carminibus mirum in modum delectantur: ita benefici incredibili amore prosequuntur illos quibus arcam suæ liberalitatis reserârunt. Prætereà cum is cui datur beneficium sit quasi opus bene merentis viri, quanto hic gaudio afficitur in animato hoc suo opere adornando, facilè quidem dici non potest. Nam quamuis remunerationem quidem non expectat cum dederit, reflexio tamen voluntatis in memoriam benefacti mirificè reficit & consolatur. Beneficium enim dando accipit (vt ait Seneca) qui dignis dedit. Adhuc beneuolentis actio est honesta, acceptio verò beneficij solùm vtilis aut iucunda, sed honestum vir bonus vehementiùs diligit: ergo ardêtius amat quam redamatur. Quid moror? amor benefici est melior,

Beneficium accepit qui dignis dedit.

est longior, est constantior quàm accipientis redamatio. Est ergo melior, quia à virtute fluit: est longior, quia in mente boni viri sedet: est constantior, quia aduersæ fortunæ ictu non cadit. Postremò vt labore acquisita magis diliguntur, sicuti liquidò constat in amore matris erga filios (quos cum dolore peperit) ita quoniam laboriosius est benefacere quàm amari, non mirum est si benè merentes intentiùs diligant: Labor enim & dolor rem dulcem & pretiosam reddunt. Altera quæstio, nempe, An beneficentia rectè definiatur, vno verbo resoluitur. Est ergo beneficentia, vel motus appetentis animi ad benè merendū de illis quos diligimus: vel habitus voluntatis, quo mouemur ad bene faciendum alicui, cuius amore non sine prudentia & deliberatione capimur.

Quæst. 2. Beneficentia quid.

Distinctio primæ quæstionis.

Probatur q beneficus magis diligat, à

- Similitudine creditoris benè optátis suo debitori.
- Comparatione artificis suo multum ascribentis operi.
- Comparatione matris, quæ labore susceptum filium ardentiùs diligit.
- Comparatione benefici qui bonum facit, cum alumno qui bonum accipit.

Effe-

Effectu & fine, quia beneficus intendit bonum solidum quod amatur propter se, accipiens verò intendit bonum vtile aut iucundum quod amatur per accidens.

Distinctio secundæ quæstionis in calce suppositionis liquet.

Opp.

Consumere pecunias non est amabile: sed beneficus consumit: ergo non est amabile, quo concesso magis non diligeret.

Resp.

Non consumit sed vtitur.

Opp.

Omne excellentius est amabilius: sed beneficus est excellentior eo qui beneficio donatur: ergo est amabilior, & proinde magis diligeretur.

Resp.

Conceditur ratio, non tamen sequitur, quòd alumni suos Mecænates per se & primariò vehemẽtiùs diligant.

Opp.

Beneficio cumulatus benè merenti gratiam & honorem (quæ sunt omnium externorum bonorum optima) rependit: ergo magis diligit.

Resp.

Hæc non sunt maiora bona quàm virtus, quam beneficus in dando beneficio respicit: nam hæc propter virtutem tribuuntur, præterea hæc ex occasione per accidens accepto beneficio non primariò & per se persoluuntur.

Cap. VIII.

An philautia vel dilectio sui præ alijs sit licita in bonis & studiosis viris.

PRobatum antè fuit à se charitatem in alium fluere, & in se tandem quasi refluere ac reuocari. Nam vt sphæra in se reuoluitur: ita amicitia veluti per circularem amoris motum in se reflectitur. Otiosa ergo hoc loco non existit quæstio, vtrum vir bonus & studiosus maximè seipsum diligat. Primùm hoc ipsum negare, tum affirmare videtur philosophus. Negat quia amor sui multis probro ducitur: quia delicatulis & flagitiosis solùm obijcitur: quia nemo sibi tãtùm nascitur: quia deniq; amico æqualis amoris pars debetur: quæ sanè omnia nõ ita essent, si in bono viro amor sui maximè probaretur. Sed omissis istis obiectionibus quasi indignis solutione ad affirmantem partem quæstionis accedit Aristo. probatq; virum insigniter bonum seipsum posse maximè sine culpa & vlla offensione diligere. Nam quorsum aliter (inquit) sunt hęc singula prouerbia?

Contra stãtũ quæstionis argumenta philosophi.

Amicus

Amicus sum egomet mihi: Vnusquisq; est nihil aliud quàm mens sua: Amicus est alter ego: Vnus animus: Tibiâ genu propius: Omnino non sapit qui sibi non sapit. Mille sunt alia loca, quæ palàm arguunt maximam dilectionis flammam in ipsis præcordijs naturæ quasi prunam sub cineribus scintillare. Primũ hunc sui amorem cuiuis animanti natura dedit, ratio suasit, Philosophia, quæ est rationis norma, approbauit. Sed an vir studiosus se maximè diligeret, hoc loco quęritur: agè, de illo sit dubitatio. Is alijs vt patriæ, patri, amico magis quàm sibi consulit: fatcor equidem si fluxa & caduca fortunæ aut naturæ bona consideres: imò pro patria vitę discrimen libenter suscipit: quid tum? ergo magis patriam quàm seipsum diligit: rationem nego: quid ita? quia hâc vnâ virtutis actione seipsum maximè dilexit. Itáne se obijciendo morti? quid ni? quomodo quæso id suades? facilè. Quandoquidem quicunque aliquid honestè, piè, ac studiosè agit, mentis suæ causâ idipsum agit. Sed qui mentem suam maximis virtutibus excolit, is quidem teste philosopho

Vir bonus quomodo seipsum patriæ præferre dicitur.

losopho se maximè diligit: ergo vir bonus & studiosus seipsum præ alijs maximè quidem diligit. Quare etsi vir insigniter bonus rempublicam, amicum, principem, aliaque multa suæ ipsius vitæ anteponit, libenterq; mortem ne illa periclitarentur oppetit: non tamen sequitur, si verè de amore philosopheris, vt indè concludas, magis hęc quàm seipsum diligere: cum hæc quidem diligat solum prout sunt glorioſa obiecta, in quibus tutandis immortalitatis nomen & laurum quærit. Sed dices, impius est qui non magis patriam quàm seipsum diligit: verum est, si in hoc sensu capias, vt magis patriam quàm seipsum, id est quàm vitam, quàm honorem, quàm opes fortunæ diligat: sed vt magis patriam aut regem diligeret vir bonus quàm mentem, quæ est ipse sapiens, penitus inficias eo.

Distinctio.

Amor sui est, vel
- Apparens in malis, qui potiùs nimia indulgentia, quàm verus amor dicitur. Mali enim seipsos (vt docet in hoc textu Aristo.) potiùs oderunt quàm diligunt.
- Verus in bonis. Ab optimo principio fluit, nimirum à mente,

nis,

nis, qui ideò maximus dicitur, quia { In optimo obiecto laborat, scilicet in virtute. / In optimo fine quiescit, nempe in fœlicitate.

Opp.

Amor sui vt probrum malis obijcitur, &c. ergo bonis ineſſe non potest.

Resp.

Non est verus amor sed effœminata mollities, quæ malis obijcitur.

Opp.

Si amor sui esset licitus in bonis, tum sibi solùm nasci viderentur boni: sed hoc est absurdum: ergo amor sui in illis non est licitus.

Resp.

Viri boni nati sunt patriæ alijsq; partibus ciuitatis, si vitam, si naturam, si fortunam spectes: at si mentem mentisq; animã id est virtutem spectes: magis eas quàm totam ciuitatem diligere deberet. Nam etsi vitam & opes pro ciuitate effundere oportet, peccare tamen, hoc est (vt docet philosophus) mentem occidere pro patria, nec decet, nec omnino licet.

Virtus mentis anima.

Peccare nõ licet patriæ causâ.

Peccare est mentem occidere.

Opp.

Docet philosophus in hoc capite quòd vir bonus mortem oppeteret pro patria: ergo magis patriam quàm seipsum diligeret.

Resp.

Dat vitam patriæ, vt docet philosophus, sed sibi virtutem (quod est maximum bonum) seruat.

Opp.

Opp.

Amicus verus non minus amicum quàm seipsum diligeret, vt antè probatum est: ergo magis seipsum non diligeret.

Resp.

Id intelligitur in æqualitate consensus, non in æqualitate ordinis: respectu virtutis, non respectu mentis.

Cap. IX.

Vtrum fœlix indigeat amicis?

AMicitia ad viuos & defunctos, ad miseros & beatos pertinet. Alienum (inquit philosophus) est ab amici officio nullam defunctorũ curam habere. Absurdũ est omnium bonorum affluentiam beatis tribuere & tamẽ ipsam amicitiam pernegare. Opportunè ergo hic mouet quæstionem, An fœlix omnino indigeat amicis. Primùm arguit ad oppositum, tum pluribus argumentis institutum probat. Arguit hoc modo: Fœlix omnibus bonis est cumulatus, seque ipso est omnium maximè contentus: ergo amicos non desiderat. Prætereà, fœlix est quem Deus diligit: ergo verum est illud,

Contra statũ quæstionis.

Quid est amicis, cum Deus faueat, opus?

Postre-

Pro statu quæstionis. Fœlix indiget amicis.

Postremò fœlix est nihil aliud quàm mẽs sapiens omnibus virtutis luminibus adornata: ergo perituris amicorum subsidijs non eget. His prælibatis rem ipsam agit, firmisque rationibus affirmantem quæstionis partem defendit: Prima ab incommodo, secunda à comparatis, tertia à difficili, quarta à simili, quinta ab effectu amicitiæ, postrema à natura studiosi viri ducitur. Ab incommodo, quia absurdum est vt fœlix amicis careat, cum omnibus bonis abundare debeat. A comparatis, quia magis beati in rebus secundis, vt de alijs benè mereantur, quàm miseri in rebus aduersis, vt adiuuentur, indigent amicis. Quippe melius est (vt ait Seneca) benè mereri quàm alterius accepto beneficio libertatem perdere. A difficili, quia arduum est fœlici monasticam & solitariam vitam degere, præsertim cum natus sit ad societatem, & (vt ita loquar) ad ciuitatem factus. A simili, quia vt musicorum aures suauibus sonis permulcentur, offenduntur q; contrarijs: ita fœlices honestis amicorum actionibus delectantur, turpemque malorum

vitam

Bonorum consortio efficimur boni.

vitam oderunt & execrantur. Ab effectu amicitiæ, quia ex vita victuque communi inter bonos exercitatio quædam virtutis secũdum Theognidem optimum illum Dei contemplatorẽ oritur: is enim sic ait,

Virtutem ex doctis disces, verumq; laborem:
Improbus inficiet teq; animumq; tuum.

A natura boni & studiosi viri, quia & se conseruari suiq; simile vi naturæ coactus quærit. Sed quid melius te cõseruat quàm amicitia? quid tibi similius esse potest quàm amicus? Est enim amicitia possessio tui. Est amicus tui imago vel potius alter ipse. Caret ergo fœlix seipso si amico careat, hoc est si amicus desit. Nam in amico seipsum quasi videntem videt, loquentem audit, sapientem colit. In hac vita ergo beatus non est, qui non amicis eget. Non nego tamen quin aliqui in hac vitâ sint quasi non essent, ijdemq; in contemplatione virtutis beatissimi: qui sanè excelsius diuiniusque quiddam meditantes naturâ humanâ, non tam homini amicitiâ, quàm Deo charitate adiungi & copulari student. Sed de his in decimo lib. Ethic. pluribus disputabitur.

Contemplatiuus hominum amicitiam non quærit.

Distin-

Distinctio.

Felix est, vel
- Verè contemplatiuus, qui absolutè suis ipsius internis bonis est contentus, perpetuò studens (omnibus istius vitæ curis sepositis) Deo summo & incommutabili bono adhærere.
- Verè actiuus, quem amicis egere probat
- Philosophus in textu sex argumentis,
  - Ab incõmodo
  - A comparatis
  - A difficili,
  - A simili,
  - Ab effectu,
  - A natura boni viri.

  Horũ rationes in suppositione ordine perspicuæ reddũtur.

Opp.

Fœlicitas est sufficiens bonum per se: ergo amicis non indiget.

Resp.

Est sufficiens bonum internè non tamen externè semper. Alij respondent argumentum non tenere, quia amicitia est quoq; internum bonum fœlicis. Est enim amicitia virtus quâ fœlix ornari debet.

Opp.

Arist. in primo politicorum Heremitas & solitarios homines in contemplatione totos defixos omnibus mortalibus videtur anteponere: Nam illic meliores illos cunctis hominibus nominat: sed tales sunt beati & amicis non indigent: ergo verè fœlices amicis non indigent.

Resp.

Respondet Boetius tales vix homines propter rari-

tatem & excellentiam virtutis secundum philosophum appellari: splendor enim & quasi diuinitas virtutis homines diuinos reddit. De his, vt ait, non agit Arist. Sed si placet respondeo quòd duplex sit actio amicitiæ: immanens quæ potest esse in beato erga omnes bonos, quamuis cum illis non versetur: transiens, & sic relictâ externa specie curâq; istius mundi, amico vitæ suæ externo socio non eget.

Opp.

Probat philosophus ab assentia boni viri, quòd fœlix indigeat amicis: sed essentia boni viri ab essentia contemplatiui fœlicis non differt: ergo si secundum essentiam suam vir bonus indigeat amicis, fœlix contemplatiuus indigebit.

Resp.

Et si vis huius argumenti retundatur, si dicam virum bonum actiuè hîc solùm intelligi: Respondeo tamen contemplantem beatum omnes bonos verè diligere, etsi vt obiectis internæ suæ amicitiæ vti ac delectari.

Opp.

Omnes bonos contemplatiuè fœlix non nouit: ergo eos nec vt amicus diligit, nec illorum amicitia delectatur.

Resp.

Non nomine sed animo, non facie sed specie tales esse nouit, & hoc satis est ad internam amicitiam sæpe enim illos charitate amplectimur quos nunquam vidimus.

Opp.

Amicitia est tantum inter duos: ergo non videtur fœlix amicis seu potiùs amico indigere.

Resp.

Resp.

Aliud est de numero & existentia, aliud est de natura & essentia amicitiæ agere. Natura enim eiusdem hoc modo accepta ad plures diffundi potest, ad duos tamen spectare dicitur. Quia etsi myriades inuidorum per forum vbique volent, rarissimè tamen amicorum reperiuntur paria.

Cap. X.

An in quouis genere amicitiæ plurimi sint conciliandi amici.

ACtum agere molestiam, idem sæpius disputare tædium studioso lectori parit: ne ergo nimis multus ac molestus videar, hāc quæstionem, quam antea obiter discussera, nunc paucis attingam. Quæritur, An in quouis genere amicitiæ plurimi sint cōciliandi amici? hoc est, si rectè interpreteris, An inter plures quàm duos amicitia existat? In amicitiâ propter vtile paucos parandos esse docet Arist. & quia damnosum est elargiri multis, & quia laboriosum est plurimis inseruire. In amicitiâ propter voluptatem suscepta idipsum ostendit, quia iucundis amicis rarò nō secus ac cōdimentis in splendidè apparatis epulis & conuiuijs vti oportet. In amicitiâ denique pro-

Probat in omni amicitiæ genere pluribus amicis opus non esse.

pter virtutem fieri inquit non potest vt plurimi simul colantur amici: difficile enim est & rebus prosperis gaudere, & aduersas grauiter cum multis ferre. Hoc probat experientia, quia si magna & excellens sit amicitia, ea vni cum paucis intercedat necesse est: numerosam enim amicorum turbam virtutis excellentia negat, amoris etiam gradus & vehementia negat. Reperiuntur tamen multi qui multis placent. Reperiuntur quidē, sed hi potiùs affabiles & placidi quàm fideles & amici nominantur.

Distinctio huius quæstionis antè traditur libro octauo capite sexto.

Opp.

Antè tractatur hæc quæstio: ergo otiosè hîc iterum de illa agitur.

Resp.

Antè tractatur solùm speciatim quoad amicitiam absolutam & per se, hîc verò generatim quoad omnes species amicitiæ.

Opp.

Concessum est in amicitia vtili & amatoria plurimos esse posse, qui vtile & iucundum quærunt, sunt enim multi parasitorum greges & armenta: ergo malè hoc loco contrarium docet Arist.

Resp.

Resp.

Non docet sed hoc suadet, ne plures propter incommoda sequutura admitterentur.

Opp.

Quo bonum cõmunius eò melius, & vis vnita fortior, vt docet prouerbium: sed si plures sint veri amici bonum est communius, visq; charitatis vnita fortior: ergo in verâ amicitiâ plures sunt conciliandi amici.

Resp.

Quò bonum communius eò melius, si fieri id quidem potest commune: vnita vis fortior in bonis, si talia sint quæ vniantur, at hoc excellens bonum amicitiæ in summo gradu positum, sic plurimis communicari non potest, vt plurimi amici inter se excellentes fiant. Est tamen in verâ amicitiâ boni influentia quædam multis vtilis & fructuosa: nam vt solis splendor multis syderibus: ita fructus amicitiæ multis hominibus communicatur. Sed vt solis splendor tantùm essentialiter soli inest, quamuis eiusdem vis in multa fluat: ita excellens amicitia essentialiter paucis conuenit, quamuis eiusdem fructus in multos tendat: vir enim insigniter bonus vt modò docuimus omnes bonos vehementer diligit.

Bonũ quo cõmunius eo melius. Vis vnita fortior.

Cap. XI.

An magis in aduersis quam secundis rebus desiderentur amici?

An præsentia amici sit semper iucunda in vtraq; fortunâ?

Rectè Terentius, omnes (inquit) cum secundæ res sunt, tũ maximè secum

Amici desiderãtur magis in secun-

dis rebus quàm in aduersis, si virtutẽ spectes: cõtra verò, si necessitatem respicias.

meditari oportet, quo pacto aduersam arumnam ferant. Risus enim fortunę sæpe magis quàm fletus nocet, quippe securitatis crepũdia incautos fallunt, somniantes perdũt. Quæstio ergo haud facilis hoc loco mouetur, An magis in aduersis quã secundis rebus desiderentur amici? cum constet quidem in vtrâq; fortunâ desiderari illos, si necessitatem spectes, magis in miseris; si virtutem ac honestatem, magis in prosperis rebus amicos requiri hic ait philosophus: siquidem cadentes subsidium vitæ, florentes ornamentum virtutis quærunt. Agnosco equidem flebilem statum miseri & deiecti hominis amicis indigere: Nescio tamẽ an in regno voluptatum positus vehementius eisdem egeat. Celsæ grauiore casu decidũt turres: nam alta ruunt præcipitantiùs: inflata fortuna superbiam, humilis prudentiam gignit; magis ergo vt mihi videtur amici in amenitate quàm in procellâ & tempestate fortunæ desiderantur. Cum enim aureus Nilus fluit, cum sol splendet, animus plerumque humanus periculosè dormit: tum quidem opus est fide, opus consilio, ne per

ne per dulcem quasi soporem cum tui obliuione pereas. Quorsum quæso assistunt regibus tot sapientes & vigilantes consules in omni imperio? nonnè vt fidelium amicorum loco, de florente statu & fastigio rerum principes admonerēt? quòd si principes maximè in summâ affluentiâ omnium amicitiâ egeant propter consilium, non est dubitandum, quin omnes & singuli in rebus fortunatis potiùs quàm aduersis amicos peterent propter virtutem; propter virtutem dico, partim vt beneficè agant & delectabiliter viuant cum illis, partim verò vt illorum ingenio, fide, consilio freti suâ ipsorum fœlicitate certiùs perfruantur.

Amici præsentia plurimùm iuuat in vtraque fortuna.

De altera quæstione pauca admodum sunt adijcienda, nempe quòd præsentia amici sit semper in vtraque fortunâ delectabilis: nam cum amicus sit alter ipse, incredibile est quanta vis delectationis à sensu in animum præsente amico fluat. Prætereà cum amicus sit pars tui, & particeps tecum tam boni quàm mali, monstrum esset lugere si verus amicus adsit. Postremò amicus est custos

consilij, animiq; quasi possessor tui, quo an aliquid sit iucundius in hâc vitâ, nemo vt opinor potest definire. At quæris,

Dubitatio. An magis in aduersis quàm prosperis rebus amicus nos consoletur? Stoicè hîc nihil defendam, existimo tamen maiorem in secundis quàm in aduersis consolationē ex præsentia amicorum percipi. Nam etsi amicus certus in re incerta cernitur, & Nullus ad amissas ibit amicus opes, si tamen iucundam virtutis non necessitatis actionem expenderis, inuenies quidem hanc ab illa multis gradibus superari. Nam in afflictis rebus oppressus præsente amico solùm reficitur, idque quia opem sperat: cæterùm in serenâ fortunâ vterque amicorum incredibili voluptate afficitur, idq; solum virtutis causâ. Vt ergo serenior dies est lucente sole, si omnis remoueatur nubes; ita amœnior consolatio est præsente amico, si res ad uersæ dispellantur, ad quas vt in textu docet philosophus rarissimè amicos inuitare oportet.

Ad res aduersas amicos ne inuites.

Distin-

Distinctio primæ quæstionis.

In vitâ amicorum spectantur duo,

- Necessitas rerum, & sic magis in aduersis requiruntur amici,
  - Vt opẽ ferant.
  - Vt consilio iuuent.
  - Vt dolorem leniant.
- Securitas & vitę honestas, & sic magis in secundis rebus indigemus amicis, quia
  - Prosperitas fortunæ plerumq; superbos & incautos facit.
  - Summam rerum affluentiam inuidia sequitur.
  - Actio virtutis magis in secundis, quando vterq; agit, cernitur.

Distinctio secundæ quæstionis.

Præsentia fidelis amici in vtrâque fortunâ iucunda est, vel

- Necessitatis causâ, & sic magis nos consolatur in aduersis.
- Securitatis & virtutis causâ, & sic delectabilior in rebus prosperis habetur, quia vterque amicorum, quanta sit in virtute delectatio, sine vllo dolore & luctu percipit.

Opp.

Magis desiderari amicos docet philosophus in rebus aduersis quàm in rebus secundis: ergo contrarium hoc loco malè defenditur.

Resp.

Intelligit quoad necessitatem non quoad securitatem vitæ: nam minùs tuta & secura est alta quàm humilis, prospera quàm abiecta fortuna.

Opp.

Lugere debet amicus cum oppresso amico: ergo eiusdem præsentia non videtur esse in rebus aduersis iucunda, nisi gaudiũ & luctus simul vni & eidem conueniant.

Resp.

Quamuis luget amicus in rebus asperis cum amico, delectatio tamen ex præsentia vtriusq; magis interè augetur.

Opp.

Non minùs spectatur honestas in asperâ fortunâ quàm in secundâ: ergo illa distinctio necessitatis & honestatis malè in textu excuditur. Antecedens probatur quia in calamitate amicitia maximè probatur.

Resp.

Virtus consideratur, vel quoad
- *Essentiam, & sic non minùs cernitur in rebus asperis quàm secundis.*
- *Existentiam, & sic magis lucet in rebus prosperis.*

quia est
- *Liberior, nam nullam necessitatem habet.*
- *Communior, nam vtriq; conuenit.*

Opp.

Præsentia amici non tollit causam doloris, putà morbum aut mortem patris: ergo non consolatur.

Resp.

Etsi extrinsecus nõ tollit, intrinsecus tamen diminuit. Nam efficit vt amicus minùs de obiecto tristitia cogitet.

Opp.

Opp.

Lachrymis præsentis amici alterius amici vulnera recrudescunt: ergo præsentia amici in calamitate potiùs auget quàm tollit dolorem.

Resp.

Vulnera amici potiùs alterius lachrymis curantur, propter mirificam voluptatem quam ex præsentia amici concipit.

Cap. XII.

An maximè sit expetendum vnà cum amico viuere?

Cum amico vnà viuere, summopere expetẽdum esse.

MAxima vis amicitiæ (vt rerum omnium) in vsu ponitur, hîc verò vsus est vt sereniſſimã amici frõtem (in qua mens pingitur) sępe contẽpleris. Ferunt ex oculis amantẽ; cõcludit hîc philosophus ex aspectu amicũ plurimùm recreari: oculi. n. amicorum sunt quasi fenestræ, per quas apertas omnes animi latebras & recessus non secùs ac si essemus illic intuemur. Absurdum ergo illud non est, quo tanquam epiphonemate concludit hunc librum Arist. nimirum quòd in verâ amicitiâ maximè sit expetendum vnà cum amicis viuere. Nã vt periti gubernato-

natoris præsentia nauem in portum ducit, absentia periculum naufragij facit: ita aspectus & consolatio amici summam animi quietem, distractio verò metum ac obliuionem parit. Hoc probat philosophus primùm ab ipsâ naturâ amicitiæ, tum à proprietate cuiusque hominis, postremò à consuetudine vitę: A natura amicitiæ, quia est quędam vnius cum altero communitas: A proprietate cuiusq;, quia suus cuiq; est in seipso optabilis sensus, ergo etiam in amico qui est alter idē: A consuetudine vitę, quia vt sapientes cum philosophis, vt vinolenti cum bibulis, vt stulti cum otiosis, omnesq; deniq; id genus alij cum sui similibus peroptant totos dies & ætates conterere: ita studiosi amici cum suis amicis discupiunt vitam sine vllo diuortio in perpetuum transigere. Hoc docet Arist. non quòd non possit esse fidelis amicus, loco si absit; sed quòd inter vota omnia & optata hoc vnum vel maximum esse debeat, vt si fieri possit, amicus sub eodem quasi tecto amico perfruatur. Vnum nunc supereſt vt cum philosopho lectorem moneamus nullum malorum con-

Cōsortium malorū non potest esse fida amicitia.

consortium esse amicitiam: vitanda ergo est prauorum consuetudo, nam labem & contagium habet. Aspidem sub lingua, venenum sub hamo dissimulator offert: si tetigeris dormiendũ, si gustaueris pereundum erit. Est enim in tali amicitiâ frons sine corde, fraus sine fide. Quid multis? sit ergo hæc conclusio: malorum amicitia amicitia non est: nam leuis est, fraudulenta est, pernicioſa nunc est & semper erit.

Distinctio.

Duplex delectatio ex amicitiâ nascitur, vel
- Interna, quæ aspectum amici semper non requirit, vt antea probauimus.
- Externa, quæ præsentiam amici maximè desiderat, quia
  - Amicitia quoad existentiam est communicatio vnius cum altero.
  - Amicus est alter idem, in quo est maxima delectatio.
  - Amicus præsens magis quàm absens iuuat & consolatur.

Opp.

Fœlicitas est maximè expetenda: sed viuere cum amico non est fœlicitas; ergo viuere cum amico non est maximè expetendum.

Resp.

Per maximè expetendum, maximè iucundum & delecta-

lectabile hoc loco intelligitur, & sic est maximè expetendum cum amico viuere, si existẽt iam & necessitatem vitæ, non si essentiam & perfectionem virtutis & felicitatis spectes; quæ per se & vi suâ maximè expetuntur.

Opp.

Magis est expetendum habere longè absentem amicum quàm cum amico miserè & infortunatè simul viuere: ergo viuere vnà cum amicis non est maximè delectabile.

Resp.

Argumentum non sequitur, nam fidus amicus necessitatem amici respicit, maximeq; tum cum opus est reficit ac consolatur. Nam quamuis, vt anteà docuimus, præsentia amici sit maximè iucunda in rebus prosperis, si libertatem actionis in vtroq; consideres: premente tamen necessitate medici loco est verus amicus, qui pharmaca consilij & solatij prudenter & opportunè propinet. Sed satis hæc dicta sint de amicitia.

Laus Deo.

LIBER

LIBER DECIMVS.

Cap. I.

An nihil latiùs pateat in humana vita quàm voluptas?

An falsa & periculosa sit oratio veritatis si vita non respondeat?

Summa horum decem librorũ succinctè & præclarè explicata.

SENATVS philosophorum in hoc vno cõsentiunt, quòd sit vnum in moribus summum bonum, cuius intuitu mens humana, vt cœlum motu perficeretur. Hoc bonum in primo libro quasi signum currentibus stadium illius vitæ sapienter propositum fuit, vt omni sudore omniq́ue periculo alacriter suscepto, virtutis tandem palmâ, id est verâ beatitudine perfrueremur. Maior enim virtus est in fine alliciendi hominẽ, quàm in magne-

magnete attrahendi ferrum. Hoc fine propoſito ſubiectum & medium diſcutiuntur. Subiectum homo eſt, medium virtus: Summa ergo omnium Ethicorum in his tribus conſiſtit, nēpe in obiecto, quod eſt fœlicitas: in ſubiecto, quod eſt capax fœlicitatis: in medio, quo hęc demùm fœlicitas comparatur. In obiecto conſiderantur duo: actio de qua in primo, contemplatio de qua in hoc lib. agitur. In ſubiecto præcipuè ſpectantur tres animæ potentiæ: appetitus, qui affectibus: voluntas, quæ virtutibus moris: & intellectus, qui virtutibus mentis ſubijcitur. In medio explicantur ordine ſingulæ virtutes cum illarum oppoſitis & extremis, vt illis vtēdo, hęc fugiendo fœlicitatem de qua nunc agimus perfectiùs contemplemur. Hinc fœlicis memoriæ patres ordinem tractandi ſacra oracula meo iudicio didicerunt, qui primùm de Deo, qui eſt obiectum ſacræ philoſophiæ: tum de ſubiecto, nempe homine lapſo: poſtremò de medio, id eſt, de gratia in Chriſto diſputant: vt in ſententiarum magiſtro & Thoma miraculis certè eius ętatis in qua ſcripſerunt, cōſtat.

Sed

Sed quorsum est hæc digressio? certè si sit digressio, huc tendit: vt intelligas vno verbo & res & rerum ordinem quæ in his libris Ethicorum pertractantur. Sed quæris quid agat philosophus in hoc postremo libro? definit tandem nobilissimam illam beatitudinem, quæ in sola contemplatione rerum diuinarum lucet. Cæterùm antea quam ad illum scopum disputationis venit, fructuosa quædã de voluptate præcepta tradit, de qua agendum esse accuratiùs, in 1. hoc cap. quatuor rationib. cõcludit philosophus: Primùm, quia est cõiunctissima naturæ humanæ: secundò, quia vis maxima in ea est ad virtutem, si honestis rebus lætari instruamur: tertiò, quia latissimè per omnes partes vitæ diffunditur: nam quæ sunt iucunda sequuntur omnes, molesta fugiunt: postremò, quia de re nulla inter philosophos maior aut vehementior est contentio: quippe aliqui crediderunt esse summum bonũ, aliqui verò esse summum malum, aliqui iterum nec bonum nec malum, postremò aliqui diuerso respectu, & bonum & malum esse defendunt. Inter istas opiniones secunda

Argumentum huius decimi libri.

De voluptate cur hic fusius agendũ.

Voluptas non est summum malum.

hoc loco ab Arist. reprehenditur. *Nam si* doceas voluptatē esse summum malum, viuendum est inquit sine voluptate ne vita sermoni non respondeat. Quis enim mortalium est qui voluptatem non sequi tur? Hoc certè si fiat, id est, si facta *tua dictis* non respondeant, rapis imperitā multitudinē ad scelus, cuius ingenium exemplo vitæ potiùs quàm sermone commouetur. Oratio tamen si vera sit, vt ait philosophus, non solùm ad intelligendū, verùm etiam ad viuēdum plurimùm valet: vera autem tum quidem videtur multitudini, cum id facias quod docueris.

Voluptatē omnes sequimur.

Factis potiùs quàm dictis vulgus ducitur.

Oratio quæ vera.

Distinctio primæ quæstionis.

Nihil latiùs patet in humana vita quàm voluptas, quia est
- Insita à natura,
- Per omnes partes diffusa,
- Sine voluptate nec mens virtutem nec corpus affectum habet.

Distinctio secundæ quæstionis.

Falsum & periculosū dicitur aliquid duob. modis, vel
- Opinione multitudinis, & sic oratio veritatis si vita non respōdeat falsa & periculosa videtur: *ratio est, quia* multitudo plerumq; *sensum sequitur, cuius* non est (vt in textu ait Arist.) *de rebus* subtiliùs iudicare.
- Constitutione rei, & sic oratio veritatis non est falsa, *nam sæpe flagitiosi* id voce & lingua docent, quod facto & vita negant.

Opp.

Opp. contra primam quæst.

Multa, vt oratio, sensus, affectus æquè latè patent in vita humana: ergo voluptas quæ sæpè dolore tollitur latissimè non patet.

Resp.

Latissimè patere dicitur non quòd non aliquando minuatur, sed quòd inter affectus naturales ea vna est quæ ipsa maximè natura sequitur.

Opp. contra secundam.

Verum & falsum à rebus quæ sunt in oratione dependent, vt docet philosophus in antepræd icamentis: ergo non à vita vt hoc loco docetur.

Resp.

Patet solutio huius argumenti in distinctione, si diligentiùs expendatur.

Cap. II.

An summum bonum per additionem alterius boni fiat melius?

EVdoxus vir quidem præstanti & singulari temperantia voluptatem summum bonum (vt hîc ait Arist.) constituit, suamq; opinionē quatuor syllogismis sic confirmauit. Quicquid omnia appetunt, idipsum est summum bonum: sed omnia voluptatem appetūt: ergo voluptas est summū bonū. Præterea

Eudoxi rationes pro voluptate, nēpe quòd sit summū bonum.

id ſummum bonū eſt in quo omnia quieſcunt: ſed omnia quieſcunt in voluptate: ergo illa eſt ſummum bonum. Adhuc quicquid opponitur dolori, quod eſt ſummum malū, idipſum eſt ſummū bonum: ſed voluptas opponitur dolori, quod eſt ſummum malum: ergo voluptas eſt ſummum bonum. Poſtremò quicquid perfectum bonum & excellētius reddit per ſui additionem, idipſum eſt ſummum bonū: ſed voluptas perfectum bonum excellentius reddit per ſui additionē: ergo eſt ſummum bonum. Hîc introducit Ariſt. Platonem vires iſtarum ratiocinationum eneruantem. Sed quoniam copioſiùs de ijſdem in ſeptimo libro diſputauerim, lectorem diutius in hac quæſtione non morabor. Vnum tamē eſt in hoc textu quod Eudoxus aſſerit & Plato negat, nimirum ſummum bonum per additionem alterius boni melius fieri. Eudoxus vt probet voluptatem ſuam eſſe ſummum bonum hanc intriuit ſententiam, quòd quicquid faciat tale illud ipſum eſt magis tale: ſed voluptas in omni gradu facit bonum: ergo voluptas eſt magis bonum. Hæc ratio

per

per Platonem inuertitur ab exemplo, quia prudentia est magis expetēda quàm voluptas, etiamsi cum prudentia illa quidem sit copulata. Videas hîc Aristot. ludentem cum vmbra pręceptoris sui: nam potiùs quàm Platoni cederet hoc loco Eudoxi sententiam & paradoxum aliqua ex parte defendit. Siquidem dicit accessione alterius boni summum excellentius fieri, probabiliusque Eudoxum in sua assertione quàm Platonem in negatione posse defendi.

Aristoteles ne Platoni cedat, cū Eudoxo paradoxum affirmat.

Melius fit bonum duobus modis, aut

- Essentialiter, accessione alterius interni boni: & sic summum bonum melius non fit, quia est omnium vltimum & perfectissimum.
- Contingenter, additione alterius externi boni: & sic summum bonum melius, id est ornatius & splendidius redditur per accessionē voluptatis & fortunæ.

Opp.

In primo, secundo, tertio, & septimo libro multa egit philosophus de voluptate: ergo otiosa videtur nunc alia de illa instituì disputatio.

Resp.

In primo probat Aristot. quòd non sit fœlicitas actiua, quia est communis hominib. cum belluis. In secundo pro-

bat quòd sit commune obiectum virtutum, in cuius moderatione versantur omnes virtutes. In tertio materiam temperantiæ esse ostendit. In septimo ad continentiam & incontinentiam comparat. In hoc deniq; ad contemplationem mentis necessariam esse concludit. Non est ergo otiosa eiusdem in tot libris tractatio, cum in singulis locu tractationis habetur distinctio.

Opp.

Si addas prudentiæ in Socrate sapientiam, bonum illud prudentia essentialiter sit melius: ergo accessione alterius boni bonum melius fiat.

Resp.

Summo bono ad existẽtiam multa, ad essentiam nulla addi possunt.

Hæc ratio non concludit propositum. Nam quæritur, An summum bonum additione melius fiat? quod negatur ideo quia est summum, cui ad existentiam multa, ad essentiam verò nulla addi possunt vt fiat melius.

Cap. III.

Vtrum voluptas sit motus?
An dolor sit indigentia eius quod est secundum naturam?
An voluptas sit expletio eiusdem?
An voluptas obscœna sit delectabilis per se?
An voluptates specie differant?

Miraris fortasse & nõ iniuriâ, cum videas ex vno eodemque cap. tot quæstiones moueri: scrupulus

lus autem hic nullus erit, si ex singulis pę-
nè conclusionibus, vnam eximi studiosi-
ùs attenderis. Simul quidem omnes pro-
posui, quia simul tractantur: pauciſſimis
vt vides explicui, quia refutatione, quam
apud philosophum aliquãdo suspicor; nõ
demonstratione, quam semper in illo ad-
miror, discutiuntur. Refellit hîc diuinum
Platonẽ: cui, etiamsi magister fuit, togam
philosophi excellentis inuidet. Prima cõ-
clusio huius cap. est, quòd voluptas non
sit idcirco mala, quia qualitas non est, vt
quidam dixerunt: quippe tum sanè actio-
nes virtutum essent malę, cum inter qua-
litates non numerantur. Secunda est,
quòd ideò voluptas non sit praua quia in-
tentionem capit ac remissionem, tum ę-
nim virtutes ipsæ essent malæ quæ inten-
duntur ac remittuntur. Tertia est, quòd
voluptas non sit motus, quia neque velo-
citas neque tarditas, quæ sunt propriæ af-
fectiones motus voluptati competunt.
Quarta est, quod neq; dolor sit defectio,
nec voluptas sit expletio eius quod est se-
cundum naturã. Ratio est, qa ambo sunt
affectus naturæ conuenientes quãuis vo-

Quòd voluptas non sit motus.

luptas magis quàm dolor eidem conueniat, Quinta est, quòd obscœnæ voluptates non sint per se & vi suâ iucundæ & delectabiles. Nam vt ægrotis amara dulcia, & lippis alba nigra apparent: ita quæ sunt verè delectabilia hominibus deprauatis & corruptis maximè tristia, quæ verò sunt obscœna maximè iucunda esse videntur.

Voluptates specie differunt.

Postrema est, quòd voluptates inter se vt voluptatum obiecta specie differant: alia enim est voluptas temperantis, alia liberalis, alia cuiusque prout quisque rerum studio ac desiderio trahitur. Iuxta illud,

Naturæ sequitur semina quisq; suæ.

Harum omnium quæstionum distinctiones sigillatim ne expectes, nam satis antè in 7. lib. discutiuntur hæc omnia.

Distinctio primæ.

Voluptas considerat̃, vel
- Materialiter, pro obiecto voluptatis.
- Formaliter, idq; vel
  - Pro affectu, & sic non est motus.
  - Pro actione, quæ delectatio dicitur, & sic motus animi in rhetorica Arist. definitur.

Opp. contra primam quæstionem.

Omnis affectus est motus animi: sed voluptas est affectus: ergo est motus.

Resp.

Resp.

Omnis affectus est motus fuse sumptus non strictè, vt hîc in tertio physicorum sumitur, vbi actus entis in potentia definitur.

Opp. contra secundam & tertiam.

Deficiente eo quod naturæ est accommodatum dolemus, præsente autem eo gaudemus: ergo dolor est defectio vel indigentia eius quod est secundum naturam, voluptas verò eiusdem expletio & abundantia.

Resp.

Non cohæret ratio. Nam quamuis dolor indigentiam delectabilis, voluptas copiam eiusdem sequitur: non tamen rectè concluditur quòd sint ipsa indigentia vel expletio. sed potiùs affectus animi sequentes ista.

Opp. contra quartam.

Voluptas obscœna expetitur à multis: ergo est delectabilis. Nam triste & acerbum nemo expetit.

Resp.

Aliquid est delectabile, vel
- *Per se, & sic vera bona animi sunt solùm iucunda.*
- *Per accidens, & sic turpes voluptates apparent delectabiles, quæ tamen propter nigram (vt aiunt) caudam exitumq; miserabilem reuera acerbissimæ habeantur.*

Cap. IIII.

An voluptas mentis sit perfectissima?
An voluptas actionem impediat vel perficiat?

Voluptatē nō esse motum.

IDipsum in fronte huius capitis agit philosophus, quod in calce alterius egerat: probat enim voluptatem non esse motum, idque ab affectione, multipliciq; exemplo motus. Ab affectione, quia omnis motus fit in tempore, quod in voluptate non contingit: à multiplici exemplo motus nempe visionis, structuræ, atq; ambulationis, in quib. successio partium est, quę in voluptate nō cernitur. Sed vt hîc ipse ait multò subtiliùs in libris physicorū quàm hoc loco de motu agitur. Omissa igitur omni cum alijs philosophis cōtentione gradatim ad sublimiora festinandū nunc est. Quæstio ergo hic non inutilis mouetur, An voluptas mētis sit omnium pefectissima? verbo respondetur esse. Probatur verò à diuinitate, vt ita loquar, subiecti, ab excellentia finis, à perpetuitate simplicis, puræ, & immixtæ actionis, in qua pulcherrima hæc voluptas continetur: subiectum est mens ipsa diuinitus data, virtutibus exculta, æter-

Voluptas mentis est omniū perfectissima, idq; probatur varijs argumentis.

ta, æternæ rerum diuinarum contemplationi, vt ita dicam, consecrata: finis est supra quàm dici potest delectabilis illa primę causæ veræq; fœlicitatis cõtemplatio: Actio est non corporis sed mentis, eadẽq; nõ fluens sed constans, non transiens sed immanens, non ad tempus sed æterna & immortalis. O quanta & quam incredibilis est verè contemplantium voluptas? qui relicto hoc gyro fluentis & refluentis fortunæ, se totos in studio tã diuinæ beatitudinis abdiderunt. Sed heu nimis multi sunt hodie qui etsi alas mentis habent, cum domesticis corpulentis & saginatis auibus semper deorsum cadũt, somnientes quidem plus voluptatis percipi in sensu quàm in mente, plus in aureo fortunæ stercore quàm in splẽdido virtutis studio, plus deniq; in veneris palæstra quã in veræ fœlicitatis arce & pallatio. Sed cæcutientes toto cœlo errant: nam vt hic docet philosophus, illa voluptas est perfectissima, quę ad pulcherrimũ obiectum animi refertur: sed mentis probè affectæ talis est voluptas: ergo mentis voluptas est perfectissima. Altera quæstio, quę agitata est, ab

Voluptas quomodo dicatur actionẽ perficere.

haç

hac nunc discussa quodammodo dependet, scilicet, an voluptas perficiat actionem? Si enim voluptas sit quasi pulsus in omni actione humana, eademq; comes & vt ait philosophus aliquo modo finis, necesse est vt actionem perficiat, nam pulsus est vt mouet, comes est vt conseruat, finis denique est vt allicit & consummat actionem: voluptatis enim causâ aguntur omnia. Sed cautè intelligi hîc debet philosophus, cum voluptatem aliquo modo finem esse concludat. Non inquit voluptas perficit actionem vt habitus, sed vt quidam finis. Adde id quod in textu sequitur, nam vt externa pulchritudo quę est quodammodo finis actionem naturæ: ita delectatio actionem humanam perficit: quasi diceret, voluptas est bonum concomitans fœlicitatem: voluptas est finis non per se & vi sua, sed aliquo modo, quia in actione beati hominis aliqua ex parte intenditur, ipsumque fœlicem perpetuò vt lux solem concomitatur. Alij respõdent voluptatem finem quidem esse non autem animi sed naturæ.

Distin-

Distinctio prima quæstionis.

Mens considerat, vel vt est
- Benè affecta, & sic eius voluptas est perfectissima, propter
  - Diuinitatem naturę suæ, quæ ei à Deo conceditur.
  - Excellentiam finis, quam cõtemplatur.
  - Simplicitatem actionis, quæ rerum diuinarum studio innititur.
  - Perpetuitatẽ ipsius delectationis, quâ homo fœlix afficitur.
- Corrupta & deprauata, & sic eius delectatio pessima habetur, vt in peccato & ignorantia.

Distinctio secunda quæstionis.

Voluptas dicitur perficere actionem, quia vt
- Efficiens causa mouet ad agendum.
- Instrumentalis causa actionem continet.
- Finis fortuitus actionem absoluit.

Opp.

Perfectior est ea voluptas quæ in perfectiore subiecto & medio ponitur, sed voluptas voluntatis in perfectiore subiecto & medio ponitur quàm voluptas mentis: ergo voluptas voluntatis est perfectior voluptate mentis, & proinde voluptas mentis non est perfectissima. Minor probatur quia voluptas voluntatis habet ipsam voluntatem pro subiecto, & charitatem pro medio in relatione ad summum bonum.

Resp.

Resp.

Negamus voluntatem esse pefectius subiectum mentè, aut charitatem perfectius medium sapientiâ in relatione ad fœlicitatem contemplatiuam, de qua hic agitur: quippe mens quid sit faciendum in hoc bono acquirendo præscribit, eamq; secundum normam rectæ rationis dirigit.

Opp. contra secundam quæstionem.

Illud quod impedit prudentiam omnium actionum moderatricem, actionem non perficit, sed voluptas impedit prudentiam, vt probatur in 6. Ethic. ergo actionem non perficit.

Resp.

Nihil mouet hæc ratio. Nam Arist. illic de mala, hîc de studiosa voluptate disputat.

Opp.

Actio studiosa est perfectior voluptate: ergo voluptas eam non perficit. Nam sic perfectius ab imperfectiore perficeretur.

Resp.

Perfectio accidentalis.

Non est absurdum vt perfectius ab imperfectiore perficiatur fortuitò & extrinsecus. Nam sic accidentia perficiunt substantiam.

CAP.

Cap. V.

An voluptas vnius virtutis aut potentiæ voluptatem alterius tollat vel impediat?
An voluptates illæ solùm veræ habeantur quæ actionem studiosi & beati perficiunt?

VOluptates hîc distinguit philosophus in bonas, malas, & medias: bonæ sunt quæ virtutem, malæ quę prauitatem naturę, mediæ quę necessitatem ortus & nutritionis spectant. Has specie inter se pro diuersitate rerum & actionum, quibus insunt, differre in principio huius capitis demonstrat. Sed quoniam sæpe de hoc voluptatum discrimine diximus, quæstiones eas solùm discutiemus quæ nunc proponuntur. Prima est, An voluptas vnius potentiæ voluptatem alterius tollat aut diminuat? Vt probet Arist. voluptates specie differre, quia obiecta, actionęs & potentiæ quibus insunt specie distinguuntur, hoc addit; quòd voluptates aliquando inter se adeo pugnent, vt vna alteram sępè excellat: Verbi causâ, qui tibiarũ cantu tenentur nõ possunt verba, quæ interim fiunt, aduertere, maxi-

Voluptas alia aliam tollit vel minuit.

maximè cum tibicinem modulantem audiant: quippe maiorem voluptatem ex numeris capiunt quàm ex præsenti actione: voluptas igitur, quam parit tibiarũ numerus, eam labefactat voluptatem, quæ in oratione versatur. Similiter *nimię* voluptates corporis omnem delectationem virtutis tollunt. Non minùs ergo voluptas voluptatem aliquando quàm dolor delectationem concutit. Hoc tamen tum propriè fit (quod est animaduertendum) cum potentia, in qua concitatur voluptas, sit admodum & vehementer intẽta in rem ex qua voluptatem concipit; quæ sic infixa impedit quo minùs homo ad aliud (quamuis sit illud quidem delectabile & iucundum) se omninò vertat & inclinet. Alteram quæstionem in tertio capite huius libri attigimus, nempe, An voluptates illæ solùm verę habeantur, quæ actionem studiosi & beati perficiunt? Certum est malorum *illecebras* esse insidiosas & fallaces *quasi* meretricu-las, quarum frontes gratæ & serenæ sunt, mentes autem plenæ veneno. Nihil ergo simpliciter & absolutè iucundum, nihil per

Quæstio secunda.

Voluptates quæ veræ, quæ falsæ sint.

per se delectabile præter solam virtutem eiusdemq; constantem actionem. Quare concludit philosophus hominum perditorum voluptates esse tanquam laqueos & aculeos quibus semel capti intus & in conscientia miserrimè torquentur. Sic tamen est corrupta & deprauata natura hominum, vt cum cane vomitum potiùs quàm salutarem cibum, cum Panthere stercus humanum potiùs quàm dulce alimentum, id est vanas delicias corporis potiùs quàm veras diuitias mentis exoptemus.

Distinctio primæ quæstionis.

Voluptas vnius potentiæ diminuit aut tollit voluptatem alterius, propter
- Vehementem intentionem in rem obiectam sibi.
- Distinctionem potentiarum & voluptatum, quæ specie differunt.
- Multitudinem rerũ diuersarum, quibus sollicitè mens occupari non potest.

Distinctio secundæ quæstionis in tertio capite huius libri post tertium argumentum reperitur.

Opp.

Voluptas vnius potentiæ non est contraria voluptati alterius: ergo vna alteram non corrumpit.

Resp.

Corrumpitur
- *Interitu subiecti, vt corrupto igne corrumpitur calor.*

Tt aliquid

aliquid, vel ex
- Conflictu contrarij, vt lucente sole fugatur tenebræ.
- Principatu, sic maior flamma minorem; sic intentior voluptas remissiorem extinguit.

Opp.

Voluptas visus sæpe auget voluptatem tactus, vt patet in libidinosis, voluptas auditus auget voluptatem intellectus, vt patet in bonarũ literarũ studiosis: ergo falsum est quòd voluptas vnius potẽtiæ voluptatẽ tollat alterius.

Resp.

Delectatio siue voluptas diuersarum potentiarum est, vel
- Circa idem obiectum in quo vtraq; perfunditur, & sic vnius voluptas potiùs auget quàm diminuit alterius voluptatem.
- Circa diuersa obiecta, et sic diminuit.

An actio iucunda, concupiscentia, & delectatio reipsa differant?

Definitione differunt, nam
- Concupiscentia est desiderium boni adhuc in possessione non existentis.
- Delectatio est dulcis motus animi fluens in obiectum quod expetitur.
- Actio iucunda est delectabilis alicuius potentiæ operatio circa rem in possessione positam.

An rei dilectio & delectatio naturâ differant?

Voluptas seu delectatio na
- Delectatio dilectionem sequitur.
- Aliquando augetur dilectio cum non augeatur delectatio.

turâ

turà differt à dilectione, quia
- *Odium non est tristitia, & per consequens dilectio non est delectatio.*
- *Dilectio est in nostra potestate, delectatio verò non est.*

Opp. contra postremum dubium.

Omnis complacentia est dilectio, sed omnis delectatio est complacentia: ergo omnis delectatio est dilectio, & proinde dilectio & delectatio re non differunt.

Resp.

Omnis complacentia propriè non est dilectio, neq; omnis delectatio per se est complacentia, sic tamen sæpè dicuntur, non quia ita sunt, sed quia hæc duo nempe dilectio & delectatio cõplacentiam & beneplacitũ naturæ concomitantur. Siquidẽ cõcupiscentiã primũ illum naturæ pulsum cõplacentia, complacentiam dilectio, dilectionẽ delectatio, delectationẽ actio seu operatio sequitur.

Cap. VI.

An in habitu, affectu, aut ludo consistat fælicitas?

An fælicitas humana potiùs in actione voluntatis quàm in actione intellectus consistet?

Anacharsis dictum de vua triplici.

ANacharsis Scythicus ille philosophus, cuius laudabilis hîc mẽtio facta est, olim dixisse fertur vitã humanam tres vuas habere, primã voluptatis, secundã ebrietatis, tertiam mœroris & luctus. Primam ad pueritiam, in qua fomites vitiorum nutriuntur: secundam

ad mediam ætatem, in qua faces libidinis ardent ac inflammantur: tertiam ad senectutem, in qua serò plerumq; adhibentur remedia, retulit. Qui enim ad sepulchrũ beneviuendi studium differunt, rarissimè illi quidem salutis asylum inueniunt. Hic Anacharsis non in vua voluptatis, id est puerilibus ludis & iocis, non in vua ebrietatis, id est voluptatibus corporis, non in vua mœroris, id est luctuosis spectaculis & tragœdijs istius vitæ consistere beatitudinem humanam voluit. Nam sicut edendum vt viuas, non viuendum vt edas: ita inquit ludendum est vt virtuti studeas, non studendum est, vt in delicijs & amænitate per totum vitæ spatium ætatem ducas. Huius opinionem hîc probat Aristot. nam neque in otioso habitu, neque in leui & voluptoso animi affectu, neque in iucundo histrionum theatro & gestu fœlicitatem ponendam esse censet. Non in habitu, quia multi habentes habitum dormiunt, nec non in somnio horribiles vmbras id est miserias huius vitæ sentiunt, quod beatis non contingit: non in affectu, quia nullus affectus propter se expetitur;

Neq; in habitu, neq; in affectu, neq; in ludo consistit fœlicitas.

petitur; sed fœlicitas, quę est virtutis actio, in se versa & reflexa, vi sua expetitur: non denique in histrionico & iocoso theatro, nam etsi principes (qui ludis & nundinationibus deliciarum capiuntur) multis videantur beati, tamen quia plus nocent ista quàm prosunt, quia semper fluunt nō constant, quia solam voluptatem redolent & non virtutem sapiunt, stultum esset in eis fœlicitatem collocare. Nam dic mihi sodes (inquit philosophus) quàm puerile & ridiculum est multum studij curæque in serijs rebus ponere, multumque laborem sustinere, vt ludas tandem & in otio viuas? Quare licet quies & cessatio summis viris Atlantis onere penè confectis sit aliquando necessaria; beata tamen vita, vt est in calce huius capitis, non in otio & ludo, sed in sola virtute consistit: in virtute inquam quæ in diuinissima parte animi id est in mente reponitur. Hæc autem est, si contemplatiuam fœlicitatem de qua nunc agitur consideres, ipsa omnium virtutū augustissima, nempe sapientia, in cuius arce beatitudo lucet. Sed quoniam in prima exordia velu-

Sapientia virtutum augustissima.

ti retexere causas, primaque præcepta, vt antè satis discussa, hîc solùm repetere videtur Aristo. ad alia quæ sequuntur iam properabit oratio.

Distinctio & explicatio primæ quæstionis in primo libro satis patet.

Distinctio secundæ quæstionis.

Fœlicitas contemplatiua in intellectu solo reponitur, propter
- Diuinam & incommutabilem essentiam eiusdem partis, cui diuinum & incommutabile bonum tribuitur.
- Excellentiam sapientiæ in ea parte positę circa quam versatur beatitudo.
- Cohærentiam & proportionem veritatis, quæ proprium obiectum intellectus dicitur.

Opp. contra primam quæstionem.

Fœlicitas contemplatiua non est actio: ergo videtur esse habitus, & proinde fallitur Arist. qui habitum esse negat.

Resp.

Non est actio voluntatis transiens & externa, sed est actio intellectus immanens & interna.

Opp.

Infans nouit fœlicitatem non esse reponendam in ludis: ergo hîc ludit & nugatur Arist.

Resp.

Infans non nouit, imò multi in rebus leuioribus summum bonum posuerunt.

Opp.

Opp.

Videtur hîc Arist. theatrum Histrionum contemnere quod olim laudauit: ergo parum sibi constat.

Resp.

Non contemnit sed in illorum theatro habitare fœlicitatem negat.

Opp. contra secundam quæstionem.

Bonum est obiectum voluntatis. sed fœlicitas est summum bonum: ergo est obiectum voluntatis: quo concesso sequitur quòd non sit in intellectu, vt hîc concluditur.

Resp.

Fœlicitas hoc loco vt summum verum in contemplatione intellectus consideratur.

Cap. VII.

An mẽs sit subiectũ contemplatiuæ fœlicitatis? An beatissima sit vita quæ mente sola & sapientia regitur?

SI solùm hæc vna tractatiuncula esset apud Arist. in qua quodammodo religiosè de sapientiæ immortalitate & excellentia intellectus disserit: satis esset meo iudicio ad minuendam & omnino terendam illorum opinionem, qui æternitatẽ mentis ex Arist. probari non posse somniant. Nam hîc mentem quinquies rem diuinam appellat: hîc æternæ simplicis ac diuinæ beatitudinis

Mentis æternitatem ab Arist. probari.

eam ſubiectam eſſe cõfirmat: hîc immortales & ſapientes nos eam reddere, vitamque beatiſſimam ſecundum eam nos viuere acutè demõſtrat: hîc & in calce octaui c. in ea nos deo ſimilimos, in ea rectè affectos nos deo chariſſimos diſertè docet. Quid, eſtne res diuina, & tamẽ cadit? eſtne ſubiectũ ſimplicis, æternę, ac diuinæ beatitudinis, & tamen ruit? eſtne ſic in ea vita beatiſſima vt tamen concidat? eſtne ſic in ea ſimilitudo & dilectio & dei vt prorſus in nihilum aut puluerem commutetur? nihil hîc ex libro de mundo, nihil ex primo de cœlo, nihil ex tertio de animo, nihil ex metaphyſicorũ libris poſtremis adfero. Tædium eſſet ſi adducerem, vltro eſſet ſi attingerem. Sed quorſum hæc? certè vt intelligas (ſtudioſe lector) ſic agi hoc loco de theorica fœlicitate, vt rectè quid ſit non ſcias, ſi mentem, quæ eſt eiuſdem ſedes & ſubiectum, diuinam & immortalem eſſe nõ præſcias. Concluſiones, vt ſunt apud Ariſtotelem de hac re diſtinctè & ordine recitabo. Prima eſt, quòd fœlicitas contemplatiua ſit actio interna eius partis, quæ cæteris animi par-

Theoricam fœlicitatem ignorat, qui mentẽ eius ſubiectum immortalẽ eſſe neſcit.

Concluſiones Ariſtotelis.

Fœlicitas contemplatiua eſt actio mentis.

partibus & potentijs imperat, quęq; scientiam rerum honestarum ac diuinarum comprehendit: Sed mens quæ diuinitus homini conceditur est certè hęc pars animi: ergo fœlicitas contemplatiua in hac parte reponitur. Secunda conclusio est, quòd fœlicitas verissima sit hæc de qua agitur speculatiua. Hanc cõclusionem sex rationib. confirmat in textu philosophus. Prima est à dignitate subiecti. Secunda est à perpetuitate actionis. Tertia ab adiuncta fœlicitate. Quarta ab essentia eiusdẽ. Quinta à proprietate. Postrema ab effectu seu consequenti. A dignitate subiecti hoc modo, Intellectus est omnium, quæ nobis insunt, diuinissimum: sed contemplatio est propria actio intellectus: ergo fœlicitas in intellectu posita debet esse contẽplatio. A perpetuitate actionis sic; Actio, in qua consistit vera beatitudo, debet esse perpetua: sed contemplatio mentis est solùm perpetua: ergo contemplatio mẽtis est solùm completa beatitudo. Ab adiuncto, ad hanc formam, Simplici ac verę fœlicitati adiungi debet simplex & perpetua delectatio, eademq; secundum perfe-

Contẽplatiua fœlicitas verissimè dicitur fœlicitas.

fectiſſimam virtutem: ſed hæc ſolùm in contemplatione & ſapientia (quæ vt hîc ait admirabiles delectationes parit) reperitur: ergo veriſſima fœlicitas in ſola contemplatione cõſiſtit. Ab eſſentia beatitudinis talis ducitur ſyllogiſmus, Ea veriſſima habenda eſt beatitudo, quæ ſatis ampla in ſe eſt, & vt loquuntur veteres, maximè per ſe ſufficiens: ſed ea quæ in mente ſapientis reperitur eſt ſatis ampla in ſe, maximeque ſufficiens: ergo ea quæ in mente ſapientis reperitur eſt veriſſima habenda beatitudo. A proprietate hæc ratio petitur, Nihil expeti debet in vera fœlicitate præter ipſam fœlicitatem: ſed nihil in vera contemplatione præter ipſam contemplationem expetitur: ergo vera contemplatio eſt fœlicitas. Poſtremò ab effectu hæc ratiocinatio formatur, In quiete & tranquillitate maximè conſiſtit fœlicitas: ſed contemplatio inter omnia opera humana eſt maximè quieta & tranquilla: ergo in ea abſoluta conſiſtit fœlicitas. Aſſumptio huius ſyllogiſmi à ſimilibus & exemplis in textu probatur. Nã ſicut negotia ſuſcipimus

mus vt in otio, & bella gerimus vt in pace viuamus: ita operā nauamus difficili praxi politicæ virtutis vt in portu & quiete theo ricę fœlicitatis triumphemus. Hinc infert philosophus politicā vitam laboriosam semperq; in motu quasi anhelantem esse: quòd si verum sit (vt est verissimum) sequitur id quod in postremo loco tractatur, eam vitam esse beatissimam, quæ solâ mente & sapientiâ regitur. Hæc autem vita, vt hic ait Aristot. melior est quàm vt attribuere eam sibi homo debeat. Eam enim agit, non quia homo est, sed quia in eo diuinum quiddam inclusum est (mentem intelligit) quod quantò præstat ei quod concretum est (puta corpus) tantò eiusdem actio ei, quæ à voluntate proficiscitur, antecellit. Quis hæc legit & non fatetur Aristot. animi immortalitatem sapuisse? Sed addat quæ sequuntur. Sic enim loquitur, Vt ergo diuinum quiddam mens est, sic vita ei congruens diuina est. Omnes ergo debemus quoad poterimus niti ad immortalem gloriam, omniaque perficere vt vitam ex eo, id est, formato in tellectu degamus, quo nihil est in nobis præ-

Politica vita laboriosa est. Quæst. 2.

Beatissima vita est quā regit mens: eā verò nullus homo sibi debet arrogare.

Egregium philosophi dictum de mente, & de vita illi congruente.

præstantius. Indignum enim est, si quis non suam sed alienam vitam agat, quasi diceret, vita hominis ea maximè dicenda est quæ est secundum formam hominis, quæ mens est: ergo is solùm viuere videtur qui secundum mentem viuit. Ovtinam efficaciter audirent hæc præcepta ab Ethnico scripta nostrorum temporum pulones, qui ad communem sensum, ad appetitum & voluntatem suas vitas dirigunt, suas dixi? non. Certè alienas dico. Nam vna vita propria est quæ solâ mente & sapientiâ regitur: quam etsi in hoc breui curriculo perfectè non assequimur: ad eam tamen, vt hîc suadet philosophus, dies noctesque contenderemus, vt per eam homines cum simus non humana sed diuina, non caduca sed æterna contemplemur.

Vita nostra quæ sit dicenda.

Vitam contemplatiuam sequi debemus, licet assequi non possimus in hoc seculo.

Distinctio primæ quæstionis in suppositione satis dilucidè perspicitur.

Distinctio secundæ quæstionis.

Vita mentis beatissima est quia
- Pars illa diuinissima,
- Dirigitur sapientiâ,
- Incommutabilis & æterna est,
- Deus, qui est infinitus, est eiusdem obiectiua materia, vt *in proximo cap.* probabitur.

Opp.

Opp.

Voluntas est nobilior intellectu: ergo fœlicitas, quæ est nobilissimum obiectum, in voluntate non in intellectu reponeretur. Antecedens probatur: quia voluntatem reginam omnium potentiarum in animo definit Arist.

Resp.

Fœlicitas considerat- { *Actiuè sub nomine summi boni, & sic in sola voluntate,* / *vel* / *Contemplatiuè sub nomine summi veri, & sic in sola mente reponitur.*

Opp.

Fœlicitas actiua à contemplatiua secundum essentiam non differt: ergo in diuersis subiectis reponi non debēt. Antecedens probatur, quia vtraq; ex bonis animi constitit quoad essentiam.

Resp.

Vt voluntas, intellectus, & memoria tres animi potentiæ secundum essentiam vnam animam: ita hæ duæ fœlicitates secundum naturam vnam fœlicitatem constituunt, & vt illæ potentiæ distinctæ sunt actione & officio: ita hæ duæ beatitudines disiunctæ sunt ratione & subiecto. Hoc autem fit cum secundum diuersa cōsiderentur.

Fœlicitas actiua & contemplatiua quomodo cōueniant, quomodo discrepent.

Opp. contra secundam.

Hortatur nos Arist. in fine huius cap. vt diuina & immortalia semper contemplemur: sed hoc fieri non potest dum sumus homines: ergo ad impossibile nos mouet, quod est absurdum.

Resp.

Resp.

Hortatur, nõ quòd putet immortalitatem esse in hac vita, sed vt tendentes ad sepulchrum exornemus eam partem animi, quæ edacem temporis aut corruptionis dentem non sentiet. Est enim mens vt ait tertio phys. ingenita, æterna, & separabilis.

Dubium à tertia ratione secundæ cõclusionis decerptum.

Vtrùm delectatio mentis sit perfectissima maximeq; secundũ naturam hominis?

Delectatio mentis est, aut

- *Simplex, & sic est perfectissima, quia eius*
  - *Materia nempe Deus est æterna.*
  - *Actio est incommutabilis & perpetua.*
  - *Virtus est maximè delectabilis, nẽpe sapientia.*
- *Mixta, cum sit circa idẽ obiectum, in quo sensus delectatur, & etiam est perfectior, quia*
  - *Mens est potentia excellentior.*
  - *Modus percipiendi in mẽte est simplicior.*
  - *Cognitio eiusdem est distinctior.*
  - *Ipsa delectatio mentis est diuturnior.*

Opp.

Id magis naturæ consentaneum habetur, quod plurib. secundum naturã conuenit: sed plurib. conuenit voluptas corporis quàm mẽtis: ergo voluptas corporis magis secundum naturã esse videtur quàm voluptas mẽtis; q̃ tamen à philosopho in textu negatur.

Resp.

Resp.

Quamuis pluribus conuenit voluptas corporis quàm mentis, eadem q; videtur esse suauior, illis tamen hoc solùm contingit, qui voluptates mentis non gustarunt. Vt ergo omnes à natura scire desiderant. sciunt tamen pauci, quia difficultatem sciẽdi fugiunt: ita omnes expetunt delectabilem vitam mentis, perpauci tamen consequuntur, quia laboriosam contemplandi rationem in tenera ætate non didicerunt. At verò qui nectar & ambrosiam voluptatum in vera mentis contemplatione semel perceperunt, tãto rapiuntur affectu in bonum, vt semper cum aquilis in altum volantes apertis oculis bonorum solem videant. Quanta autem sit & quàm incredibilis hæc delectatio mentis, mente si possis cogita.

Mentis voluptates nõ gustarunt, qui voluptates corporis illis antepõnunt.

Cap. VIII.

An vita contemplatiua sit melior actiua?
An rerum affluentia impediat verè beatos?
An deus moraliter agat? An res humanas curet?
An studiosis & beatis delectetur?

NImis sollicitus es de tuis reb. Craſſe, quid animi te excrucias? cur nimiùm te maceras, si minùs prosperè succedant omnia? vitam miseram profectò viuis: Nam audi, Crœsi diuitiæ beatum non faciunt. Si credas philosopho hanc vnã sententiam disce. Non in rerum omnium affluentia sufficientia

Diuitiæ beatum non faciunt.

Virtutem exercere potest qui opibus non affluit.

tia posita est, vel iudicium, vel actio: possunt enim ij, qui terrâ mariq; non imperant, res magnas & dignitate plenas gerere. Nam cui adsunt modicæ & moderatæ opes, is potest ea efficere & præstare omnia, quæ virtuti congruunt. Siquidem priuati homines nihilò minùs ac multò etiam magis virtutem colunt quàm hi qui in magistratu viuunt: hactenus Arist.

Vita contemplatiua melior est actiua.

Ex his videas quò tendit vir sapiens, eò mirum, vt te doceat vitam beatissimam nugis & tricis fortunæ contemptis viuere. Hanc vitam in simplici & æterna contemplatione Dei ponens, cum politica hoc loco comparat, eandemq; infinitis gradibus perfectionis anteponit. Punctis agam, & quæ in oceanum orationis hinc fluere & emanare possunt ad summa capita reuocabo. Primùm ergo præfert philosophus vitam theoricam & contemplatiuam, quia ad diuina per sapientiam solùm contendit: politica verò ad humana per prudentiam fertur. Præterea hæc in mente reposita tantum excelsa, interna, & diuina obiecta tractat: illa autem in voluntate sita, humana, externa, & mu-

Rationibus confirmat theoricam actiuæ præstare.

ta-

tationi subiecta discutit. Deinde hæc, de qua nunc agitur, æterna est: illa verò cum vita hac mortali concidit. Porrò delectatio contemplationis omnem actionis vitæque actiuæ voluptatem superat. Adhuc in contemplatiua pauciora quàm in actiua desiderantur. Magis enim hæc vita est sufficiens suoque bonorum cumulo contenta. Adde quòd vita theorica magis per se diligatur, nam ad hanc politica refertur. Insuper hæc vita in maiore animi otio & quiete consistit. Nam vita actiua passionibus subijcitur. Non erras si huc adijcias, quòd vita contemplatiua nos Deo similes & amicos faciat: vita autem practica homines hominibus tantùm conciliat. Postremò vita contemplatiua in homine est (vt habet Aristot. in textu) ipsum exemplar vitæ & actionis in Deo, qui in æternum viuit & agit: non enim vt Endymion in monte Lydiæ dormit, sed vigil & consul ex alto cœlo videt & curat omnia. Deus bone quantum est hoc lumen naturæ in philosopho, qui hæc sapuit, quæ multi lumine gratiæ illustrati non intelligunt? Infinitum esset, si

Diuina Aristot. sapientia.

de singulis huius comparationis gradibus gradatim ac speciatim dicerem. Verùm & altero tamen tuâ veniâ pauca subscribam. Docet enim Aristot. in hac comparatione rerum externarum affluentiam aliqua ex parte impedire theoricè beatos. Sed quid ita quæso? certè quia à vera contemplatione mentem humanam distrahunt: qui enim solliciti sunt de ijs quæ sunt mundi, potiùs centrum deorsum quàm cœlum sursum intuentur. Alterum est quod proposuimus, An Deus moraliter agat? Hoc dubium ideo mouetur, quia Aristot. in textu nec iustitiæ, nec fortitudinis, nec magnificentiæ officia Deo inesse affirmat, quod quidē verissimum est, si habitus acquisitos istos intelligas. Sunt tamen hæc omnia in summo gradu perfectionis & essentiæ Deo attributa: in summo gradu perfectionis & essentiæ dico, quia secundum Aristot. in metaphysicis nihil in Deo est imperfectum, nihil commutabile, nihil non simplex, æternum, & essentiale. Item quæritur, An res humanas curet? curare dicet philosophus, quia diligit. Sed plura de hac re quæstioni-

Quæst. 2. Externorū copia contemplantib. impedimento est.

Quæst. 3.

Quæst. 4. Deus res humanas curat.

hibus metaphysicis Deo adiutore dicemus, cum de prouidentia, quæ est veluti singularis rerum omnium directio, ordo, & cura, disputandum erit. Postremum dubium est, An Deus studiosis, & beatis delectetur? Audi quæso de hac re ipsum loquentem Aristot. Vt (inquit) quisq; rationem vitæ actionisque ducem maximè sequitur & colit, estq; optimo animo constitutus: ita est ille quidem Deo charissimus. Etenim si Deus res curet humanas (sicuti curat profectò) illud quidem est consentaneum, vt illis delectetur qui secundum mentem & sapientiam viuunt, quiq; rectè facta sequuntur.

Quæst. 5. Optimus quisq; Deo charissimus.

Distinctio primæ quæstionis.

Vita contemplatiua est præstantior actiua, propter

- Excellentiam subiecti, nempe intellectus, in quo reponitur.
- Diuinitatē obiecti, nempe Dei, in quo versatur.
- Aeternitatem contemplationis, quâ perficitur.
- Simplicitatem delectationis, quâ conseruatur.
- Præstantiam dilectionis, quâ per se expetitē.
- Constantiam quietis, quâ fruitur.
- Vacuitatem affectuum, quibus liberatur.
- Nobilitatem sapientiæ, quâ dirigitur.
- Similitudinem & charitatem, quâ infinitō Deo adunitur.

Distinctio secundæ quæstionis.

Affluentia rerum verè beatos impedit, quia
- A contemplatione rerum externarum ad res mortales distrahit.
- Affectibus & curis animum humanum distringit.

Distinctio tertiæ quæstionis.

Virtutes considerantur, vel
- Moraliter, vt industriâ acquirantur, & sic deo non insunt.
- Essentialiter, vt natura conueniunt, & sic Deus iustè, fortiter & benignè agere nobiscum dicitur.

Distinctio quartæ quæstionis.

Deus curat res humanas, quia est erga homines
- Infinitâ lenitate, quâ diligit
- Infinitâ sapientiâ, quâ perficit
- Infinitâ prouidentiâ, quâ regit.

} omnia.

Distinctio quintæ quæstionis.

Deus delectari beatis dicitur,
- Quia vitam mentis, quâ similes Deo redduntur, viuunt beati.
- Quia sapientiam, quæ in Deo maximè cernitur, colunt beati.
- Quia ad Deum, qui verũ obiectum mentis dicitur, tendunt beati.

Opp. contra primam quæstionem.

Illa vita est præstantior quâ homo magis vnitur Deo: sed per vitam actiuam homo magis vnitur Deo: ergo vita actiua est præstantior. Minor probatur, quia charitas est virtus voluntatis non intellectus, quâ Deo summo bono adhæremus.

Resp.

Resp.

Charitas seu amor voluntatis inseruit sapientiæ mẽtis: hæc enim præscribit vt Domina, illa vt ancilla sequitur.

Opp.

Vita actiua fertur in obiectum sub ratione melioris quàm vita cõtemplatiua: ergo est melior. Antecedens patet quia fertur ad Deum sub ratione boni, hæc verò fertur sub ratione veri: sed bonum est præstantius vero.

Resp.

Bonum & verum in Deo nullam rationem inæqualitatis habent, nam vtrumq; essentialiter Deo conuenit: vita tamen ea melior dicitur quæ simplicior est adeoq; à cõmercio rerum caducarum liberior, qualis est hæc quæ in contemplatione ponitur.

Bonum & verum in Deo æqualia sunt.

Opp.

Contemplatio sibi solùm prodest, ergo eius vita non est præstantior.

Resp.

Non sibi solùm prodest. Nam est charus Deo, vt ait Aristot. plus ergo theoricè viuens sæpe reipubl. prodest quàm politicè in luce & corona hominum: Deus enim sæpe vnius pauperis oratione vincitur cum mille cohortum manu non flectatur.

Opp.

Vita actiua est magis necessaria ciuitati, quæ sine ea concidit: ergo est excellentior.

Resp.

Ratio non sequitur. Nam non de necessitate sed de

dignitate hoc loco agitur. Philosophari inquit philosophus in tertio top. est melius quàm fortunæ opibus abundare: homini tamen inopia presso melius est ditari, si temporis necessitatem & non rei dignitatem expenderis.

Opp. contra secundam quæst.

Docet philosophus in textu verè beatos indigere bonis fortunæ: ergo affluentia rerum verè beatos non impedit.

Resp.

Docet indigere rebus necessarijs ad vitam, victum, & cultum: affluentiam tamen potiùs impedimento quam subsidio esse affirmat.

Opp. contra vltimam.

Deus est in se omnisufficiens bonum: ergo absurdè videtur Arist. in textu dicere, quòd sit consentaneum vt studiosis & beatis delectetur. Nam hoc est aliquantulum de eius diuina maiestate detrahere.

Resp.

Deus est agens liberrimum.

Cum dicit philosophus consentaneum esse vt Deus secundum mentem & sapientiam viuentes diligat, nullam Deo necessitatem imponit: nam illum in 7. phys. omnium agentium liberrimum appellat. Sed hoc vult quòd Deus, qui res humanas curat, eos maximè diligat qui simplici & purâ mente eius numen maximè venerentur, non tamen coactè sed sponte, nec necessariò quia aliter non potest, sed voluntariò, quia aliter non vellit, quin animi humani ad suum æternum & incommutabile bonum pertrahantur.

Cap.

Cap. IX.

An in morali philosophia satis sit præcepta virtutis scire, aut docere, & non agere?

An educatio legibus præscribi debeat?

POstremum hoc caput est, in quo philosophus pręcedentia cōcludit omnia, viamq́; struit ad noua, quæ de rebus politicis inscribuntur præcepta: hoc ideo agit ni fallor, vt transiens ad alia humaniter valediceret, suumq́ue lectorem de sequentium ordine sapienter præmoneret. In prima parte ca. mouetur hęc quæstio, An in Ethica disciplina satis sit virtutis pręcepta scire? Quanquam in postremis duobus capitibus (quæ omnium in Ethicis maximè Aristotelis diuinum ingenium arguunt) vitam eam ad cœlos extulit, quæ solâ mente & sapientia regitur: hîc tamen, vt in eodem à quo suscepta est, terminetur oratio, hanc vitam laudibus extollit, quæ re id præstat quod voce profitetur. Nam quod medicina est in sinu, id est morum scientia sine virtutis vsu. Omnes enim nō viuunt, qui spirant: sed vt olim Galenus

Præstādum est re, quod voce profitemur.

Vita non est viuere, sed virtutem colere.

dixit vitam non esse viuere, sed valere, ita nunc quidem docet philosophus vitam non esse hâc luce frui sed laude virtutis alijs præluere: Quippe vita sine virtute mors est & viui hominis sepultura: hoc probat Arist. Primò à fine moralis scientiæ: Secundò ab authoritate Theognidis: Tertiò à difficili: & quartò ab enumeratione. A fine moralis scientiæ, qui non in cognitione positus est sed potiùs in actione singulorum: nõ enim satis est habere cognitam virtutem quasi gladium in vagina, aut fructum in semine: sed danda opera est, vt ad exemplum aliorum in lucem prodeat. A testimonio Theognidis, qui solitus est dicere, parum aut nihil virium esse in verbis ad virtutem; nam loqui de virtute pernicioſi possunt, qui tamen (vt Ippi solem) virtutis vim & splendorem fugiunt. Hinc rectè nos admonet Mantuanus;

De virtute loqui minimum est, virtutibus vti
Hic labor, hoc opus est.

A difficili, quia multi sunt ita mancipati sceleribus ac perturbationibus suis, vt sermone (sit idem efficacissimus) à faci-

noro-

Vita virtute vacua mors est.

Moralis scientiæ finis non est nuda cognitio sed ei conjuncta actio.

noroſa vita traduci nō poſſint: Qui enim paſſionibus inſeruiunt, plerumque verbis non credunt. Iſti, vt inquit philoſophus, ſi ſemel verecundiæ fines ſic tranſeant, pœna à turpitudine vitæ flecti & deterreri debent: plerique enim, vt verbis textus vtar, vi potiùs quàm ratione, & pœna magis quàm honeſtate ad officium impelluntur, iuxta illud,

Qui paſsionibus inſeruiunt, verbis monitorum nō mouentur, & proinde pœnâ ad officium præſtandum impellendi ſunt.

Oderunt peccare boni virtutis amore,
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Ab enumeratione, quòd neque oratio (ſit illa melliflua) neq; ſcientia (ſit illa eximia) neque natura (ſit illa diuina) nos bonos faciat: relinquitur ergo, vt cum his adiutricibus cauſis alia cōiungantur media, quæ ſunt, vt hîc docet philoſophus, Conſuetudo vitæ, induſtria, & ſtudioſa educatio: ſed de iſtis in primo libro ſatis: quare ad alteram quæſtionem feſtinabit oratio: quæ eſt, An educatio legibus præſcribi debeat? In educatione iuuentutis eſt ſpes & ſeminarium ciuitatis: nam vt neglecta radice ſterileſcit planta; ita nulla adhibita educationis curâ Reſp. diu florere non poteſt. Oculatius ergo rem nul-

Nō tam efficimur boni oratione, ſcientiâ, naturâ, quàm conſuetudine vitæ, induſtriâ, & educatione.

Quæſtio ſecunda.

Reipub. ſeminarium educatio bona puerorum.

Leges ferendæ ſunt pro educatione puerorum.

lam in ciuitate intueri debet magiſtratus quàm educationem. Nam etſi parentes in id ſtudij maximè incumbant, vt virtutum imagines in ſuorum liberorũ mentibus forment & inſculpant: Eſt tamen maior vis in publico edicto ac lege cogendi nos ad officium, quàm in præcepto patris alliciendi ad virtutem. Paternum enim imperium, (vt ait philoſophus) nec cogit, nec vim aut neceſſitatem affert, ſiquidem natura hoc ipſum non patitur. Lex verò vim habet ad cogendum idoneam, ſuâq; minaci voce improbos & contumaces aut cautius viuere, aut ſuos antiquos mores deponere impellit; quod ſi non fecerint, neq; à peruersâ vitâ detorqueri vllo modo poſſint, ex corpore reipub. omninò exterminare illos iuſtiſſimè præſcribit. Prætereà lex publica non eſt inuiſa, quippe quæ bonum æquumq; decernit, at improbi quidam eos plerumq; oderunt qui ipſorum vlcera *leuiſſimo*, vt aiunt, digito attingunt. *Conſideratis* ergo his circumſtantijs, quòd *in honeſta* educatione ſit fundamentum & ſeminarium reipub. quòd parentes negligentiùs, molliùs

molliùs & effeminatiùs suos filios instruant, quòd multi callum facinorosæ vitæ contrahentes sanũ consilium non audiant, quòd in publicis edictis ac legibus sit vis cogendi malos sine inuidia, vis resecandi sceleratos sine periculo, sequitur consentaneum esse quòd educatio legibus præscribi debeat. Multum hîc laudatur Lacedæmoniorum ciuitas, in quâ hæc prima educationis ac disciplinæ ratio curaque fuit. Postremum quod in hoc capite agit philosophus, est, vt ostendat se proximè de rebus politicis scripturum. Hîc magistratum, hîc legem, hîc experientiam requirit: Magistratum, vt regat; legem, vt præscribat; experientiam, vt moderetur omnia. Sed de his postea dicemus pluribus. Nunc autem hoc vnũ obseruari diligenter velim, quòd eò potissimũ omnia in his libris Ethicorũ tendant præcepta, vt id conemur, quod hîc præscribit philosophus, nempe vitam hanc nostram benè beateque traducere. Et certè (studiose lector) si vita hæc nostra sit nihil aliud quàm ad portum via, vt ait Plato; quàm indefessus labor, vt ait Solon; quàm

Lacedæmonij summã disciplinæ curam habuerunt.

Via struitur ad libros politicorum.

Hortatur autor ad benè viuendum.

Vita noſtra eſt via ad portum, indefeſſus labor breuis hora, trãſiens vmbra.

quàm breuis hora, vt dixit Thales; quàm tranſiens vmbra, vt dixit Cato; eam non in otio & vitijs conſumere, ſed in ſtudio virtutis exercere oportet: Data enim non eſt, vt viuamus ſolùm, nam viuere cuiuſuis eſt, ſed vt viuentes benè tandem moriamur beati: Quippe hoc vnum diſce, qui vixit benè non morietur malè.

Vita nobis ideò conceditur, vt viuentes bene moriamur beati.

Bonam vitam ſequetur mors nõ mala.

Diſtinctio primæ quæſtionis.

Virtutis præcepta ſcire in morali philoſophia ſatis non eſt, quia
- Finis huius ſcientiæ eſt operatio.
- Scientia eſt æquè in malis & bonis.
- Scire benè non ſufficit ad beatam vitam.
- Sermo de virtute non eſt tam efficax, quàm exemplum vitæ.

Diſtinctio ſecundæ quæſtionis.

Educatio legibus præſcribi debet, propter
- Salutem Reipublicæ: quia in ea ſeminarium eſt ciuitatis.
- Incuriam nimiamque indulgentiam parentum in educandis liberis.
- Contumaciam multorum, qui potiùs vi quàm conſilio ad virtutem pertrahuntur.
- Excellentiam legis, quæ bonis præmium ſine inuidia, malis pœnam ſine periculo præſcribit.

Opp. contra primam quæſt.

In præcedentibus capitibus decuit philoſophus beatiſſimam

ſimam vitam in mente & ſapientia conſiſtere: ergo malè hîc negat.

Reſp.

In præcedentibus de beatitudine theorica, hîc verò de politica egit.

Opp.

Scire eſt melius, quià excellentius ſubiectum nempe mentem, & excellentius obiectum nempe deum habet, ergo ſcire eſt ſatis.

Reſp.

Non negatur ſi vitam contemplatiuam ſolamq; virtutem ſpectes, cæterùm ſi vitam actiuam & neceſſitatem ſocietatis humanæ conſideres, agere aliquo modo præfertur.

Opp. contra ſecundam quæſtionem.

Natura facit bonos: ergo non opus eſt lege: Antecedens probatur, quia natura hoc docet, quod fieri tibi non vis alteri ne feceris.

Reſp.

Natura generatim & confuſe docet, lex verò ſcripta definitè ac diſtinctè quid agendum, quid fugiendum ſit demonſtrat.

Opp.

Actio virtutis, vt docet tertio Ethicorum, debet eſſe ſemper voluntaria: ergo nemo lege aut pœnâ ad virtutis ſtudium cogi & impelli debet, vt hîc demonſtratur.

Reſp.

Resp.

Actio virtutis quomodo sit voluntaria vel minùs.

Acquisitæ virtutis actio semper est voluntaria, sed inchoatæ vel contemptæ virtutis actio aut consilio imprimi, aut vi pœnæ insculpi debet. Nam vt pueri nunc leni præcepto, nunc duro flagello docti redduntur: ita pernicioſi aut ſapienti conſilio, aut acri ſupplicio aliquando efficiuntur boni.

Opp.

Id malum est cuius causa est mala, sed legis destinatæ ad educationem causa est mala: ergo lex ipsa educationis est mala, & per consequens, præscribi non debet. Minor patet quia mali mores sunt causæ legum, §. Et horum.

Resp.

Causa legũ ferendarum quæ sit.

Mali mores sunt causæ legum non simpliciter & absolutè: propria enim causa est ordo & conseruatio ciuitatis: hinc lex anima reip. & norma magistratus dicitur.

Opp. contra id quod in postrema parte suppositionis additur.

Morales philosophi fuerunt et hnici & gentiles lumine naturæ solùm illustrati: ergo illorum præcepta efficaciter ad bonos mores vitam q; studiosam non valent. Argumentum probatur, quia ignorantes verum finem media ad finem ignorârunt: sed ignorabant verum finem nempe deum: ergo media ad hunc finem nescierunt. Assumptio probatur, quia hic finis solo lumine naturæ non apprehenditur.

Resp.

Resp.

Vt soluatur hoc argumentum, quod multos infantulos à cognitione & studio huius tam excellentis scientiæ distrahit, animaduertendum in primis est quid sit lumen naturæ. Lumen naturæ est (definiente Thoma) Cognitio recta, quâ homo ex propria industria non sine generali Dei influentia dirigitur: secundum hoc lumen primum didicerunt philosophi vnum esse primum motorem, eundemq; simplicem, infinitum, verum, & incommutabilem, qui omnia ordine disposuit, & per media ad proprios suos fines direxit. Hoc patet in octauo phys. & in metaphysi. duodecimo. Huc addo quòd sic illustrati id quoq; virationis nouerint, huic æterno & incommutabili bono summum honorem tribuendum esse. Hoc etiam constat in primo Ethicorum, vt docet philosophus maiorem honorem Deo quàm homini fœlici deberi, & quoq; in præcedente cap. huius lib. vbi secundum mentem & sapientiam viuentes charissimos Deo esse demonstrat. Et denique in lib. de mundo: vbi Deum expansis manibus in cœlos venerandum esse existimat: ex his ergo concludo, & naturaliter nouisse antiquos philosophos Deum esse, & moraliter illorum nonnullos secundum rectam rationem vixisse: & proinde illos (licet Ethnici fuerint) de virtutibus multa sapienter ad institutionem vitæ humanæ tradidisse. Incredibile ergo non est hunc nostrum Arist. omnium philosophorum principem morientem sentientium commendasse. Sed hîc finem impono, obsecrans te studiose lector, (quoniam tui solius causâ hoc opus suscepi) vt me per charitatem, quâ fratrem diligis, in assiduis tuis precibus Christo commendes.

Lumen naturæ quid fit.

Lumine naturæ quid assequuti fuerint ethnici.

PER.

PERORATIO AD LECTOREM.

Consilium autoris de politicis cur nimirum in aliud tempus eorum tractationem distulerit, secus quàm olim promiserat.

POLLICITVS sum nuper (benigne lector) me de Ethicis & politicis quæstionibus librum in lucem editurum: & sanè iam, vt vides, partem efficy meâ pro viribus absolui: Partem dico, quia politicas quæstiones, vt decreueram, amicorum consilio persuasus non attigerim. Cum enim animaduerterim illi me vigilantiùs & laboriosiùs in singula capita Ethicorum potiùs commentariolos scripsisse quàm breuiter ac perfunctoriè quæstiunculas attigisse, nè pretium grauius, aut volumen maius, aut denique ipsum opus confusius esset, oppidò persuaserunt, vt politica ab Ethicis, sicut Aristo. olim fecit, distinguerem: vtq; illorum editionem in aliud differrem tempus. Rationem mutati consilij videor: vnum nunc superest, vt id etiam intelligas, quos nam authores in hisce meis lucubrationibus sequutus fuerim. Horum nomina recensere non grauabor: In prima ergò classe Thomam, Eustratium & Boëtium nomino. In secunda Fabrum, Buridanum, & Borrenum. In tertia Odonem, Burleum, & suum Donatum: In postremâ Iohannem de Celaia, Iohannem Scotum, & vnum satis amarum fortasse nomine, subtilem tamen ingenio Gilbertum Crab: His ex recentioribus ac neotericis Petrum Martyrem, Danæum & Theodorum Zuingerum addidi. Si mireris, cur tot spinosos, barbaros, & obscuros, qui in primo nominantur loco, perlegerim, respon-

Quos hic noster autores habuerit.

Cur non rejecti fuerint spinosi scriptores.

deo

deo vt olim Lucius Crassus de Ennio (quem semper manibus triuisse dicitur) me in istorum stercore aurum inuenisse. Nam vt sub aurea veste aliquando simiam, ita sub sordido pallio aliquando gemmam sapientiæ videas. Malleim ergò virum carentem voce, quàm vocem carentem arte. Non enim in verborum sono, sed in rerum ipsarum sensu vera consistit sapientia: at sapientiam profectò tenuerunt isti. Quare vt laboriosi artifices non sunt contemnendi, qui non in suum sed in totius reipubl. vsum ex altissimis visceribus terræ aurum adhuc rudius, gemmas q; luto fortasse obsitas effoderunt, ita quidem isti literatissimi viri, qui in studio exhaustis proculdubio virib. effossas nobis gemmas bonarum artium dederint, pro asinus & mancipijs naturæ certissimè non haberentur. Multi hodie cum audiunt nomen Thomæ, supercilia statim cõtrahunt, & distorquent labia, sed si isti seriò vnam vel alteram quæstionem in illo sine præiudicata sententiâ legerint, detracta paleâ purissimum granum, sublata scoria aurum splendidissimum forsan se inuenisse dixerint. Ex illo & alijs quos notaui, vt vides studiose lector, summam omnium quæstionum in Ethicis contraxi, & vt Gemmarius rudiore limâ ne rubigo appareat, perpoliui: Omnes equidem neruos prootio, quod mihi datum fuit, non sine aliquâ valetudinis iacturâ contendi, vt tibi prosim: hoc vnum à te solum iterum atq; iterum peto, vt sicut in hoc opere laborem me non effugisse senseris, ita tuam erga me charitatem languere non patiaris.

Malo artem eloquentiæ, quàm eloquentiam arte indigentem.

Thomas defenditur.

Laudes Deo.

RERVM IN HOC OPERE CONTENTARVM INDEX.

Actio duplex. 168.16
Actio eadem diuerso re spectu inuita dici pōt & spōtanea. 144.6
Actio & effectio ratione differunt. 411.16
Actio fortitudinis: interna, externa. 207.17
Actio mixta magis sequitur voluntatem quàm vim. 154.22
Actio mixta quid sit. 142.21
Actio violenta, voluntaria, mixta. 142.4 & 147.21
Actio violenta quid. 142.13
Actio virtutis: transiens, immanēs. 49.26 externa, interna. ibid.
Actio voluntaria quid. 142.5
Actione in omni quædam circumstantiæ sunt considerandæ. 146. 12
Actionem spontaneam mixta continet, & inuitā violēta. 143.14
Actiones inuoluntarias nō reddunt affectus, ignorantia, fortuna. 150.11
Actionis tria principia: potentia, passio, habitus. 105.20
Actus liberalitatis quot modis fiat. 444.22
Actus prudētiæ sunt quinq;. 433.5
Actus voluntatis: primarius, minùs primarius. 1549
Aditus ad virtutem facilior quomodo reddi possit. 135.20
Adulatio à Thoma describitur. 280.17.
Adulter quadruplici pœna dignus. 354.6
Adulterans aliquis quomodo non tam adulter quàm auarus appellandus sit. 326.2 & ibid.17
Adulterium quid. 224.10
Aequitas considerat modis duobus 382.18
Aequitas emendatio legis. 380.22
Aequitas quid. 380.7
Aequitas quiddam iure præstantius. 381.15
Aequitatis obiectum, actio, finis. ibid.21

Affa-

Affabilis actio sit ne ficta. 281.6
Affabilis actionis obiectum: externum, internum. 282.19
Affabilitas quid. 278.20. quomodo differat ab amicitia. 279.1 eius effecta. 280.5. eius materia est voluptas sermonis. ibidem 20. de affabilitate & ioco. 277.14
Affabilitatis & amicitiæ oppositæ quomodo distinguantur. 283.14
Affectus: acres, mediocres. 77.10
Affectus diuiduntur & definiuntur. 106.15
Affectus: extremi, moderati 87.23
Affectus moderatione virtutis sæpe laudabiles fiunt. 111.7
Affectus: primarij, minus primarij, & hi leniores, acriores. 106. 16. Leniores non auocant à recta ratione. 126. 22. omnes ponuntur in appetitu, eoq; vel cõcupiscibili, vel irascibili. 109.15. quidam cur inter virtutes numerentur. 122.10. superandi homini iusto 316.13.
Agendi principia & genera 141.9
Agendi principium: externum, internum. 147.3
Alea ludus illiberalis. 294.23
Amabile amicitiæ obiectũ duplex est. 503.20
Amanda sunt in quibus est causa cur amentur. 503.28
Amandi tres causæ. 508.17
Amant liberos patres constantius, matres ardentius. 530.4
Amare noli tanquam statim osurus. 561.5
Amari præstat quàm honorari. 527.11. & 528.17
Amici ficti plurimi sunt. 506.23. quomodo deserendi. 561.13. & 563.14
Amici nequeunt esse qui mali sunt 567.9
Amici præsentia plurimum iuuat in vtraq; fortuna. 592.16
Amicis fœlix indiget. 584.2
Amicus optima an optare debeamus. 526.8
de Amicitia. 498.1
Amicitia consistit potiùs in amare quã in amari. 502.19. & 527.17
Amicitia dissecta capitalis fit malitia. 562.4
Amicitia duos vnit. 566.11
Amicitia duplex. 505.2. & 522.1
Amicitia in genere quid. 504.9. specialis & propria quæ ibid.16
Amicitia nõ est obnoxia calumnijs & iniurijs 511.20

Amicitiâ oritur ex ijs quæ ad se quisq; facit. 565.9
Amicitia quæuis gradus quosdam habet. 537.10
Amicitia quæuis paucis amicis contenta est 588.22
Amicitia senum sapientum est amhienda. 514.15
Amicitia sine virtute, & autoritas sine veritate, ambo contemnenda 28.19
Amicitia triplex. 506 20. ficta facilè dissoluitur. 507.11 perfecta quæ, ibid. 23. est tantum inter duos. 517.8 non inter plures. ibi. & 5.19.6
Amicitia vera est tantum inter bonos. 510.4. 511. 13 de ea conclusiones 4. 513.4
Amicitia virtutem hominis respicit, non dignitatem. 518.12
Amicitiæ commoda. 500. 9. dignitas, necessitas, & vsus. 498. 6. 499.22
Amicitiæ dispares, querelis plenæ 534.23
Amicitiæ gradus omnes ad enumeratos ab Arist. reuocari possunt. 539.16
Amicitiæ naturalis quatuor gradus. 537.13
Amicitiæ perfectæ gradus duo. 519. 26. & 520.1.
Amicitiæ quinq; gradus remotiores. 538.4
Amicitiæ veræ tres proprietates, ibi. 565.16. & 570.4
cum Amico vnà viuere summopere est expetendum. 596.11
Amicos ad res aduersas ne inuites. 593.22
Amicos fictos desere, sed non temerè. 561.11
Amicos inter veros nulla rixa oriuntur. 540.11
Amicos secundæ res magis desiderant quàm aduersæ. 590.24
Amicus bono viro ignoto præferri debet. 558.26
Amicus in amicum versus ab eo nõ videtur esse diuersus. 567.4
Amicus non est temerè deserendus. 512.11
Amor quid. 107.11
Anacharsidis dictum de vna triplici. 620.19
Anima quas ob causas à philosopho morali consideranda 75. 7. quomodo bonũ sit. 42.10. quomodo dicatur fœlicitati aduenire. 49.6

Animæ cognitio quatenus philosopho morali necessaria. 71.26. & 72.1
Animæ potentiæ: communes, propriæ. 72.13
Animam esse immortalem doceri ab Aristotele. 61.2 separatam & fœlicem quæ & quanta maneant post hanc vitam 63.3
In Animatis considerantur essentia & vsus. 352.3
Animus agentis non solum factum considerari debet. 100.7
Animus rationis compos absolutè vt spiritus, comparatè vt actus. 235.2
Appetitus consideratur: absolutè, comparatè. 127.3. contingit ex defectu boni desiderati: verùm est de naturali appetitu. 6.10
Appetitus inchoatè, voluntas absolutè virtutem recipit. 72.24
Appetitus quadruplex, naturalis, sensibilis, vegetabilis, rationalis. 3.14
Appetitus: rationis expers, rationi obtemperans. 73.7
Appetitus: sensitiuus, intellectiuus. 75.18. subiectum est quo. 76.26. & 77.1
Aristoteles contra quorundam interpretum calumnias defenditur. 352.21. & 353.6. ne Platoni cedat, cum Eudoxo paradoxon affirmat. 606.4
Aristotelis diuina sapientia, 634.22 præclara de mente, & de vita illi congruente sententia. 628.20
Arma in principem nullo modo sumenda. 69.23
Ars optima cuius finis optimus. 9.4. de ea 406.23. quid sit. 409.15
Artes: mechanicæ, liberales. 409.22
Artifex amat artificem. 550.11
Artis huius ordo, auditor. 13.3
Artis obiectum contingens. 408.18
Assentatio quid. 279.6
Athenodori salutare consilium. 272.5
Auaritia quid. 240.6
Auaro nihil deterius. 240.17
Auarus in se grauius peccat quàm prodigus. 245.13
Auarus prodigo rationi magis repugnat. ibid.20
Audaces & verè fortes opponuntur. 188.22. & 199.23
Audaces iuuat fortuna, sicut fauet fatuis. 189.14
Audax est temerarius. 188.24. & tamen natura infirmus. 193.13

Audire quid. 14.9
Auditio Ethices omnibus vtilis. 15. 20
Auditionis idoneæ impedimenta sex. 16.8
Auditores ineptiuuenis, & delirus senex. 14.13
Autoris iudicium de Aristotele refutante & philosophante. 29.2
Autoritas sine veritate contemnēda est. 31.21. *mutare potest circumstantias.* 34.20

B.

Beneficentia quid. 577.14
Beneficia: externa, interna. 552.3
Beneficia quædam rependi nō possunt. 552.4
Beneficium accepit qui dignis dedit. 576.16
Beneficos magis diligere quàm diligi. 577.23
Beneuolentia differt ab amicitia. 570.16
Bis perit q̄ suis armis perit. 231.7
Bis vincit qui se vincit. ibid.6
Bona adiuuātia, necessaria 46.22
Bona animi, corporis, fortunæ. 45.18.
Bona: externa, interna. 144.21.
externa nō sunt fœlicitas. 24.23
Bono nihil melius quoad essentiam. 27.17
Bonum: absolutum, comparatum. 489.10
Bonum an ab omnibus appetatur. 2.4.
Bonum commune bifariam consideratur. 313.1
Bonum & verum in deo æqualia sunt 638.9
Bonum: naturale, morale. 4.20
Bonum: politicum, theoricū. 361
Bonum quadruplex. 25.14
Bonum quò antiquius, eò melius, quomodo intelligendum. præf.
Bonum quò communius, eò melius. 590.11
Bonum: secundum actum, secundum habitum. 489.22
Bonum sufficiens duplex. 40.4
Bonum summum quid. 2.15
Bonus à malo per somnium non distinguitur: 71.26. & 77.7

C.

Castigatio vtilis. 230.9. *si moderata sit.* 232.25. *si neq; nimium grauis, neq; nimium leuis, ibi. nec hypocritica.* 233.4

Charitas incipit à se 565.6
Cogitur nemo vt beatus sit. 52.1 53.14
Comitas iocorũ moderatrix. 292. 13. naturalis, moralis. 295.8. quid sit. 292.23. cõfertur cum affabilitate. 293.1. de ea. 292.1. eius officiũ duplex. 274.19. eius obiectũ, finis, extrema. 293.23
Cõmutabilium respectus duplex: essentiæ, vsus. 351.16
Commutans iustitia quid. 337.9
Commutationis vsus & vtilitas. 336.17
Comparatio contrariorum par esse debet. 103.3
Compensatio rei, rationis. 554.18
Concordare non semper est idem velle aut intelligere. 573.14
Concordes qui sint. ibid.21
Concordia quid. 572.17. differt à consensu. ibid.20
Cõcupiscentia est volũtaria. 159.8. fomes & fumus peccati. 224. 1. eius filiæ. ibid.8
Connecti cum prudentia virtutes quid sit. 442.25
Consciscens sibi mortem quæ scelera admittat. 190.17
Consciscere sibi mortem cur nemo debeat. 191.24
Consequentia: necessariò, fortuitò 381.26. & 382.1
Consortio bonorum boni efficimur 585.2
Cõsultamus de domo vt de medio. 165.24
Consultatio bona græcè εὐβουλία quid sit. 429.3
Consultatio quomodo differat à scientia, opinione, & coniectura. 428.11. & 429.18
Consultationem bonam duo requiruntur. 430.20
Contemplator nõ dat operam ineundis amicitijs 585.19
Cõtemptor: personæ, vitij. 262.22
Contentio quid. 279.11
Continens est prudens. 461.26
Continens & pertinax quomodo inter se discrepent. 481.21. & 483.3
Cõtinens & temperans differunt. 460.5
Continens quis sit. 477.7
de Continentia. 454.4
Continentia & patientia quomodo eãdem habeant materiam. 168.5

Corpus tractandum vt seruus contumax. 232. 15. eius mole impeditur animus quò minùs verè bonum possit discernere. 137.21
Corruptelæ quatuor causæ. 379.5
Corruptionis tres causæ. 618.26
Credendum est primis principijs. 416.22
Cultus virtutis vitæ conseruationi præponendus est 559.23
Cupiditas: communis, propria. 222.11
Cupiditas: naturalis, moralis 225. 22. naturalis sit ne peccatum, & quæ in ea considerandæ sint. 223.12
Cupiditas quid 224.21
Cupiditas quomodo naturâ insit vel non insit 226.7
de Cupiditate conclusiones quatuor. 223.2

D.

DAmnũ potest fieri vt interim non fiat iniuria. 390.10
Dare & accipere specie non differunt. 239.8
Decimi libri argumentum. 602.4
Declinatio à medio fit multis modis. 88.20
Declinatio leuis. 138.21
Declinatiunculæ multiplicatæ magnitudinem adæquant atrocis flagitij. 139.10
Defectio omnis à medio non est statim vitio vertenda. 136.3
Deliberatio comes electionis. 160. 20
Deliberatio communiter & prius sumpta. 163.9
Deliberatio est inchoatiuè in voluntate, perfectiuè in mente. 164.5
Deliberatio & electio quomodo differant. 162.7
Deliberatio per compositionem & per resolutionem. 166.17
Deliberatio quid. 162.1
In Deliberatione spectantur subiectum & obiectum. 163.2
In Deliberationem quæ res cadant quæ non cadant 161.11
Deliberationi ancillantur prudentia, solertia, prouidẽtia. 162.19
Demonstratio cur in hac scientia nequeat esse. 16.1
Descript. plures vnius rei. 343.23
Desperatio quid. 107.10
Deus est agens liberrimum. 639. 20. est summum bonum theoricum. 36.3 quid Aristoteli visus sit esse. 12.6 semper vult bonum

num.151. 7 eius donum duplex. 152. 11 illi charissimus est optimus quisq;. 636.3 illum esse docuerunt philosophi. 3.8 res humanas curare. 635.26
in Deo bonum & verum æqualia sunt. 638.13.
Dicta præclara tria 565.25
Difficilia quæuis non sunt molesta. 137.10
Dignitas: absoluta, comparata. 329.22
Dignitas virtutis à quibus rebus pendeat 314.8
Diligenda sunt in quibus est causa diligendi 503.17
Directio morum duplex. præf.
Discipuli quales se gerere debeant erga præceptores. 553.1
Discordiæ incommoda. 500.9
Dispares amicitiæ querelis non vacant. 543.16 quomodo reddi possint diuturnæ. 544. 17 seruanda est in illis proportio rationis. 546.4
Dissimulatio respectu materiæ, vel personæ. 289.20
Dissimulator quis. 287.5
Diuinos honores fœlici non asscribit philosophus. 66.20
Diuitiæ beatum non faciunt. 632. 17 non summum bonum. 21. 21 quid sint. 23.20
Doctrina est medicina: educatio medicinæ applicatio. præf.
Dolor difficilius superatur quàm voluptas 205.6
Dolor & voluptas bifariam capiuntur. 95.16
Dolor quid. 107.2
Dubia capitis 9. libr. 5. obiter mouenda 377.18

E.

EDucatio bona reip. seminarium. 642. 22 pro ea leges ferendæ sunt. ibid. 25
Educatio bonũ moris: præf, certior est quàm scientia quoad cõformationem morum: præf. est medicinæ applicatio. præf. plus valet quam doctrina respectu subiecti, obiecti, finis. præf.
Educatio: naturalis, ciuilis, & hæc publica & priuata. præf.
Electio bifariam sumpta. 158.23
Electio: diuina, humana. 157.24
Electio: naturalis, moralis. 119. 15. non est ira aut cupiditas. 156. 14 non est opinio. ibi. 21. non est voluptas. ibid. 7. ordine disci-

næ prior est deliberatione. 158. 6. *Perfectiuè est in voluntate, inchoatiuè in mente.* 164.5
Electio quid. 155.22
Electio: sana, corrupta. 195.26
Eligimus optimum, quomodo intelligi debeat. 159.4
Ethica intellectum informat, voluntatem reformat. 14.1
Excandescentia quid. 107.19
Excessus & defectus: naturales, morales. 87.26. *quatuor modis virtutem corrumpunt.* 88.1
Externa ornant fœlicitatem, non constituunt eam. 41.2
Extrema fortitudinis. 86.2
Extrema iustitiæ duplicia. 340.21
Extrema temperantiæ, luxus & stupor ibidem.

F.

FActis potiùs quàm dictis vulgus ducitur. 603.6
Familia ciuitati similis. 532.11
Fatalis Stoïcorũ necessitas. 174.3
Feritatis origo duplex. 473.19
Filius patrem cur amicum non vocet. 525.9.
Filius patri magis obstrictus est quàm pater filio. 545.15. *ideoq; patrem abdicare nequit, cum pater illum abdicare possit,* ibidem 10.
Filius patrem à Deo deficientem abdicare potest. 547.19
Finem respice. 43
Finem vnum esse. 7.11. & 8.23.
Fines medij complures, vltimus tantum vnus. 10.25
Finis aliquando capitur pro præmio. 25.23
Finis considerandi necessitas & vtilitas. 82
Finis hominis incertus est, fœlicis certus. 59.2
Finis primum in intentione, vltimum in executione. 3.25
Finis quid. ibidem 21.
Finis vnus, sumitur aut Ethicè, aut metaphysicè. 9.21
Flagitium nulla de causa suscipiendum. 144.15
Fœlicitas actio immanens respectu subiecti, transiens respectu obiecti sui. 38.12
Fœlicitas actiua cum contemplatiua quomodo conueniat, quomodo ab ea discrepet. 10.13
Fœlicitas bonum honorabile. 66. 4 *sufficiens.* 37.11

Contem-

Contemplatiua est actio mentis. 625. 26 contemplatiua verissimè dicitur fœlicitas. 626.6
Fœlicitas: diuina, humana. 18.24
Fœlicitas neq; in affectu, neq; in habitu, neq; in ludo consistit. 621.18
Fœlicitas: opus & operatio. 43.10 quid sit. 38.1. quomodo sit quidam diuinissimum. 53.2. summum bonum politicum. 36.10
Fœlicitate actiua præditus semper agere potest, non semper agit. 41.10
Fœlicitatem à Deo donari. 50.5
Fœlicitatem contemplatiuã meliorem esse actiua pluribus confirmatur. 634.20
Fœlicitatem theoricam nescit qui mentis immortalitatem ignorat. 625.18
Fœlicitatem assequi volens industrius esse debet. 51.6 de ea multæ opiniones. 19.20. eam non tollit aduersa fortuna, labefactat fortasse. 39.7.
Fœlix à virtute habitum, à fortuna ornatum habet 40.26. indiget amicis 584. 2 malis bene viitur. 445. nequit esse miser. 57.20. quis fœlix. 93.9
Fœlicem Solon vult neminem haberi ante obitum 55. 8. Arist. contrà 56.6
Fœlicem ærumnæ nõ deijciũt. 39.7
Fœlicis animus semper agit. 43.8
Fornicatio quid. 224.9
Fortem causa facit. 183.12.
Fortes, Aemilius, Leonides, & Dauid. 182..23 & 183.3
Fortes falsò qui dicantur. 196.15
Fortes non fuere Catilina & Aiax. 183.9
Forti honestatis causa pugnandum est. 182. 20. nihil præter scelus est timendum, hoc est fugiendum 186. 20. quomodo liceat hostem fallere. 211.9
Fortis à ferendo dicitur 208.1. aliqua timere debet. 182.7. dolet cum non potest resistere. 187. 12. nemini iniuriam infert. 188.11
Fortis non est sibi mortem consciscere, sed desperantis. 190.11
Fortis officia propria & communia. 206.4
Fortis officia sex. 205.26.
Fortis quando fugã facere, quando mortem oppetere debeat. 209.7

Fortis quis sit dicendus. 188.14
Fortitudinis obiectum: commune, omnia pericula: propriũ, mors bellica. 184.4
Fortitudinis obiectum: internum, externum. 185.17
Fortitudo: absoluta, respectiua. 202.1 ficta quid et quotuplex. 196.2. magu perspicitur in ferendo. 208.1
Fortitudo: naturalis, ciuilis, & cœlestis. 183.15. naturalis, moralis. 191.3. politica, analogica. 198.18. quid sit. 181.16. quomodo dicatur res acerba, & quomodo res delectabilis. 204.4. & 206.8
Fortuna bifariam sumitur. 48.10
Fortunæ effectus ab operante non intenditur. 52.20
Fraude vtitur Aristoteles cum alios refellit. 29.17
Fraus in factis. 286.6.
Fugienda quæ inprimis sint in hac vita. 456.17
Furor quid. 107.18

G.

Gratia quid 361.4
Grati animi est sollicitum esse de rependẽdo beneficio. 551.13
Gulæ, ebrietatis, & Veneris comites. 229.12

H.

Habitus: infusus, acquisitus: et hic cognitionis in mente, electionis in voluntate. 108.8
Habitus pro actu. 202.24
Habitus quid. 106.11
Habitus virtutis genus. ibidem
Habitus virtutis immutabilis. 115. 7
in Habitibus spectantur essentia & circumstantiæ. 234.2
Hieronymus in eremo degens delicias Romæ cogitauit. 230.24
Homo quomodo sit actionum principium. 401.14
Honor bifariam sumptus. 264.10. constans, leuis. 67.23. diuinus, humanus. 68.10. est in honorante subiectiuè, in honorato obiectiuè. 13. 16. humanus honor triplex: seruilis, &c. 69.7
Honor: internus, externus. 256.11. internus fœlicitati, externus virtuti debetur. ibidem. externus obiectum modestiæ. 70.9. non est summum bonum. 21.2 quid sit. 237. trifariam accipitur. 269.5

Hono-

Honorem cupienti affectus superandi sunt. 8. 25. petere quomodo liceat. 270.11
in Humili considerantur habitus internus, & actus externus. 261.20.

I.

IActator quis. 287.3
Iactus aleæ ludus illiberalis. 294. 23.
Idea: coniuncta, separata. 30.11
Idea fœlicitas politica nõ est. 35.13
Ignorantia minimè excusat peccatum. 145.16
Ignorantia: natiua, inuita, crassa. 151.22. crassa oritur ex socordia, philautia, malitia. 152.10
Ignorantia priuatiua. ibidem 16. puræ negationis, malæ dispositionis. 149.4
Ignorantia: scientiæ, iuris, facti. 367.24. facti: natiua, crassa, affectata. ibid. 25
Ignorantia: simplex, supina. 146. 1. & 370.14.
Impedimenta ad virtutem parantiam quæ sint. 134.7. & 135.1
Improbi se oderunt, ideoq; alios diligere non possunt. 567.8
Impudentia quid. 301.2
Incestus quid. 224.13
Incontinens cupiditatum deterior est quàm incontinens iræ. 471. 23
Incontinens deterior est intemperante. 461.6
Incontinens habitu rationis meliora videt, impetu affectionis deteriora sequitur. 5.15. & 98. 6. non est prudẽs. 459.15. quomodo sciat vel non sciat id esse malũ quod agit. 458.20. scientiam habet, sed non vtitur ea. 462.19
Incontinentia est partim vitium, partim affectus. 480. 20. morborum animi longè grauissimus. 454.7
Incurabile duplex. 246.5
Indigentia: necessitatis, decoris. 350.18
Indigentia quid. 347.13. eius origo, & fructus. 346.22. est duplex 350.5. quomodo consideretur. 350.15
Indignatio quid. 107.14
Indulgentia quid. 271.26
Industrius esse debet qui fœlicitatem vult assequi. 51.6
Iniuria fit bifariã. 257.4 et 386.21 de In-

de Iniuria inferenda. 384.16
Iniuria quid. 368.7. & 372.7
Iniuriæ passio: absoluta, comparata. 378.3
Iniuriam inferre quatuor modis possumus. 356.4. & 375.5
Iniuriã sibi neminẽ inferre. 389.6
Iniur. spõte nemo patitur. 374.20
Iniustitia: generalis, particularis. 310.6 (est. 391.20
Iniustum agere quàm pati peius
Iniustum aliquis pati potest quadrifariam. 373.3
Iniustum sit tribus modis. 378.17
Iniustum qui ferunt omnes non patiuntur iniuriam. 375.14.
Instituti ratio in vltimis septem libris explicandis. 236.7
de Intellectu & Vero. 393.9
Intellectus duplex. 395.6
Intellectus possibilis species puræ manent in anima separata. 447.20. practicus & speculatiuus quomodo differant. 395. 10. & 396.13. & 397.20.
Intellectus rectæ rationis subiectum. 494.26.
de Intelligentia. 416.2. quid sit 417.6 est de ijs quæ demonstrari non possunt. 416.16 suadet per effecta ibidem 23.
Intelligentia vel naturaliter vel moraliter accipitur. 418.7
Intemperantia quot modis consideretur. 478.7
Intemperans sitne deterior incontinente: 461.3. 477.15. 479.19
Intentio intellectus, et voluntatis actio. 180.23
Intentio mali. 289.11.
Interni hostes & animo & corpori maius creant periculum quàm externi. 91.20
Inuidia quid. 107.16
Inuiti facimus quod egisse pœnitet. 148.11
Inuitum quid. 143.7
Iocanti quæ obseruanda. 278.12
Ira consideratur vt affectus, & vt habitus. 275.3
cos est veræ fortitudinis. 197.26 moderata scilicet. 201.26. differt ab iracundia. 277.7 materia mansuetudinis, quomodo possit dici. 275.20. species iræ. 272.14
Iracundia quid. 271.20
Iudex animata lex. 337.23
Iudex per quæ corrũpatur. 379.5
Iudicis definitio & descriptiones aliquot. 339.13 & 341.9.

Iudi-

Iudicium: electionis, cognitionis. in 177.1
Iuris duplex acceptio. 309.1
Ius ciuile et naturale propriè sumpta opposita sunt. 363.23. ciuile quid. 359.8. Variè appellatum. 362.1. eius triplex acceptio. 362.11.
Ius, iustum, lex, iustitia, & iusti actio quomodo differant. 317.1
Ius legale: diuinum, humanum. 363.10. legale quid. 359.15. vnde ortum. 361.13. quomodo mutetur. 365.23
Ius naturale quid. 359.13. eius triplex acceptio. 360.2. quomodo dicatur non mutari. 365.18. sex eius species. ibid.
Iustè agendum nō solū iusta. 99.3
Iustè agere & iustum agere quomodo differant. ibidem 19.
Iusti iudicis viua imago. 316.16
Iustitia: ciuilis, naturalis. 34.10
Iustitia commutans specie differt à distribuente. 338.26. 339.1
in Iustitia distribuente quatuor spectanda. 327.19
Iustitia: generalis, particularis. 310.26. & 315.17. &c.
Iustitia legalis quid sit. 307.13. duplicem respectū habet. 383.1
Iustitia legali quatuor obseruanda. 368.3
Iustitia moralis cur æquitas nominetur. 309.23. quid sit. 308.18. eius definitio explicatur. ibid. 20.
Iustitia particularis differt ratione à legali. 323.14
Iustitia quomodo naturalis sit, & quomodo voluntaria. 364.23. quomodo ponatur in voluntate. 316.22. quomodo sit voluntas perpetua: 316.1. rem non personam affectat. 338.16
Iustitiæ cōmutātis materia. 319.21
Iustitiæ definitiones, Aristotelica & iurisperitorum re conspirant. 315.18
Iustitiæ distribuentis et cōmutantis discrimē. 319.1 et quid quæq; sit. ibid. distribuentis mediū à medio cōmutātis quomodo differat. 331.11. eius vsus. 330.16
Iustitiæ extrema duplicia. 340.21
Iustitiæ materia. 309.15. moralis, extrema. ibidem.
Iustitiæ obiectum: formale, materiale. 342.9
Iustitiæ particularis propria actio, materia, passio. ibidem

Iustitia

Iustitiæ plena & præclara diuisio. 321.1
Iustitiæ simulachrum. 306.7
Iustitiæ vnius nomine virtutes omnes intelliguntur. 99.10
Iusto homini affectus superandi. 316.13.
Iustum: commune, particulare. 382.8
Iustum: formaliter, materialiter. 101.19
Iustum: quoad personam, quoad materiam. 102.9
Iuuenis: ætate, moribus. 14.17
Iuuenis moribus quis ibid. 21. *cur minùs idoneus auditor ethicæ quàm theoricæ.* 18.20

L.

Laedi quis à seipso & non lædi quomodo dici possit. 388.1
Læsio trifariam oritur. 368.18
Læsio: voluntaria, inuoluntaria. 369.6
Lapidis eiaculatio & violenta est & voluntaria. 151.17
Laus fœlicitati non negatur 69.1 *virtuti quomodo debeatur, & quomodo etiam nonnullis affectibus.* 302.20
Leges ortæ ex malis hominum moribus optimæ. 354.25
Legum causæ materialis & finalis. 356.10
Lex quæ mala non iubet ea vetat. 392.19.
Lex talionis cur minimè toleranda. 348.4 *sententia iudicis æstimanda.* 345.20
Liberalis officia communia et propria. 238.25
Liberalitas à magnificentia ratione tantùm differt. 242.26, *de ea.* 237.10
Liberalitate spectanda quamque. 241.11
Liberalitatem in dando potius versari quàm in accipiendo. 241.15.
Liberalitatis laus. 237.12 *natura, obiectum, proprietas, & extremorum comparatio.* 237.14. *obiectum duplex.* 241.6 & 243.25
Libertas infinita in Deo. 176.10.
Libertatem voluntatis quomodo philosophus probare conetur. 175.15
Libido animi nascitur ex concupiscentia corporis. 218.4

Lucrum & damnũ rei quid. 337. 16.
Ludi ciuiles. 294. 2. illiberales. ibi. 23. - istis nemo rectè vti potest. ibi. 23
Ludi scenici quinam liciti. 297. 8
Ludorum circumstantiæ. 296. 15
Ludus & iocus quomodo hic intelligi debeant. 295. 24
Lumen naturæ quid. 648. 5
Lumine naturæ quid assecuti fuerint ethnici. ibid. 19

M.

Magistratus alios respicere debet. 356. 14. eius duplex consideratio. 358. 2
Magnanimitas & modestia arctissimè copulantur. 266. 1. quomodo cõueniant & discrepent. 260. 22
Magnanimitas bifariam accipitur. 260. 13. differt à modestia ratione tantum. 257. 12. generatim & speciatim sumitur. 256. 2
Magnanimitatis comes modestia. 265. 3. eius distinctio, definitio, opposita, proprietates 255. 25. eius obiectum externũ honor. 256. 11. internum moderata honoris appetitio. 262. 7. variæ appellationes. 259. 5
Magnificentia cum liberalitate confertur. 249. 15. diuina, humana. 251. 13. nunc friget. 248. 4. quid sit. 249 7. quatuor de causis nobilior liberalitate. 254. 8. eius opposita. 250. 8
Magnificus esse non potest pauper. 250. 1. nempe quoad ornatum virtutis: nam quoad habitum, potest. 254. 4
Magnum duplex. 243. 8
Mali autor est qui irritat. 371. 19
Mali non cõsultant sed conspirant. 165. 14
Mali se oderunt, & propterea alios diligere non possunt. 567. 21
Malitia & voluntatem & intellectum corrumpit. 170. 21
Malorum societas non est amicitia firma. 597. 26
Malum animatum inanimato peius. 473. 2
Malum culpæ nõ adeundum, pœnæ aliquando subeundum. 145. 1. & 149. 19

Malum non est finis, sed priuatio finis. 11. nullo modo est admittendum. 34.15
Mansuetudo à clemẽtia distinguitur. 271. 8. *naturalis, moralis.* 274.6. *quid sit.* 271. 12. *quomodo dici possit defectio.* 275.14
Mansuetudinis extrema. 271.16
Mansuetudinis moralis, essentia, materia, opposita, & officia. 274. 4.
Mansuetudinis obiectum, externum, internum. 276.21. *proprietates.* 271.12.
Materia eadem amicitiæ & iustitiæ. 530.24. (127. 26.
Media opponuntur extremis.
Meditatio bifariã sumpta. 164.15
Medium inuentu difficillimum. 133.5. *ponderis, iustitiæ.* 114.24. *rei, quoad nos.* 114.1. & 117.3. *rei æquè distat ab extremis.* 131.5.
Mediũ iustitiæ distribuentis quomodo differat, à medio commutantis. 331.11
Mendacium an sit licitum. 287.8 & *cur illicitum.* 290.18. *simplex, compositum.* 299.5. & *hoc iocosum, officiosum, malicio-*
sum. ibid. veritati quomodo opponatur. 291.21
Mens cuiusq; is est quisq;. 581.20
speculatiua, practica. 400.1
Mentis æternitatem ab Aristotele probari. 624.23
Mensura rerum duplex. 348.15
Metus doloris & dedecoris. 190.12
Mens quid. 107.8. & 190.4
Miser trifariam dicitur. 58.19.
Misericordia quid. 107.15
Modestia: communis, propria. 266. 21. *naturalis, moralis,* 208.15. *eius opposita.* 266.26
Moriendum potius quàm turpe committendum. 153.18
Mors honesta animi perfectio. 210.4.
Mors optimus fœlicitatis actus. 209.19.
Mors viri fortis vtilior aliquando quàm eius vita. 210.20
Mutus an queat esse affabilis. 281.23.

N.

Naturâ insita non mutantur. 79.21.
Naturâ insitorum primùm potentias actiuas habemus. 80.2. *essentialiter, cõsequenter.* 81.4

Natura

Natura mater benigna etiam seruis.153.1. mortem exhorrescit. 188.2

Naturâ quomodo insint & non insint virtutes. 82.1

Natura quomodo sit actionum domina.318.1. vitam dedit vt conseruemus eam. 194.1

Necessitas:coactionis, inclinationis. 178.4

Ne quid nimis. 278.8

Nemo verè sapiens 419.19

Nescit viuere, qui nouit mentiri. 286.20

Nimium & parum perinde nocet animo ac corpori. 85.20

Non fœlix bifariam dicitur.59.21

Nummus à νόμος 346.26. quid sit & quorsum inuentus.ibi.16

O.

OBiectū amicitiæ duplex.504. 22.& 531.3

Obiectum artis cõtingens 408.17

Obiectum mentis verum, voluntatis bonum. Epist.ad lect.

Obiectum scientiæ quotupliciter consideretur. 406.16

Obiectum virtutis:internum, externum. 49.15

Obiectum voluntatis, internũ vt affectus,externũ vt virtus. 83.18

Obseruantia quid. 361.7

Odium quid. 107.17

Officium iudicis ex Hesiodo 340.6

Officium philosophi moralis.488.2

Omne sumitur vel finitè pro ente rei, vel infinitè pro ente tum rei tum rationis. 4.21

Opera complenda sunt quæ animo percipiuntur: 99.15

Operis huius autor,causa mouens, subiectum,ordo,finis. 4.5

Opposita quomodo per idem possint definiri. 289.1

Optimus quisque deo charissimus. 636.6

Oratio quænam vera sit. 603.10

O Solon,Solon. 55.14

P.

PActorum genera,& eorũ rursus species. 319.19

Pares:dignitate,virtute. 518.1

Partes amicitiæ conferuntur cum partibus Reip. 532.2

Partes reipubl. 533.2

Passio:naturalis,habitualis. 369.22

Pater quomodo amet filium præ-
uum. 509.22
Pati iniuriã caret malitia. 392.7
Patiens quis sit, 477.7
Patientia fœlicis clypeus. 46.4
Patri post Deum, naturam, & pa-
triam obtemperandum est.
558.11
Patria patri præferẽda est. 557.26
Patriæ se præferre quomodo dici
possit vir bonus. 580.11
Patriam diligendo vir bonus sei-
psum multò magis diligit. 580.
13
Patritij dictum. 259.26
Pauor quid. 301.1
Pauper potest virtutem exercere.
633.1
Pauper trifariam distinctus. 251.21
Peccando mentem occidis. 582.19
Peccare non licet patriæ causa. ibi.
Peccati vmbram dedecus time-
mus, non peccatum. 300.15
Pecunia dupliciter sumpta. 243.19
latiùs accepta. 238.9. origo eius
346.25. quid sit. 347.10.
Perfectio accidentalis. 615.24
Pericula quomodo penes nos sint.
186.1
Philautia sit ne licita. 579.23
de Philosophia consulite epistolam
ad lectorem.
Philosophum se Pythagoras nomi-
nauit. 420.26
Pietas quid 361.2
Pietas Cimonis in patrem sepul-
tum. 556.20
Politica vita laboriosa est. 628.3
Posito toto ponũtur partes. 322.4
Posse & velle in deo quomodo sint
idem. 54.26
Potentia, affectus, habitus, quomo
do se habeant ad virtutẽ 106.1
Potentiæ animæ: rationales, ira-
tionales. 388.12
Potentia: perfecta, imperfecta.
82.6
Præstandum est re quod voce pro-
fitemur. 640.20
Pretij æstimationem discipulis suis
permisit Protagoras. 551.4
Princeps percutiens cur non reper
cutiendus. 333.12
Principia agendi quo sensu dican-
tur sensus, appetitus, intelle-
ctus. 110.15. cõmunia, propria.
ibi. 5. & 417.15. constitutionis,
cognitionis. 417.15
Principia aũt per se perspicua sunt
aut admodum obscura. 418.19

Principium agendi: internum, externum, & hoc: completum, incompletum. 119.22
Prodigalitas quid. 239.26
Prodigus melior auaro. 240.20
Proportio Arithmetica. 319.3
Proportio iustitiæ distribuētiua geometrica. 320.13
Proportio nulla est caducorū cum æternis. 552.23
Proportio: rationis, rei. 328.3. & 331.23.
Proportio rationis seruari potest in disparibus amicitijs. 546.1
Proportio virtutis. 521.6
Prudentes pauci. 412.1
de Prudentia. 411.19. & 424.19. 440.18. *quid sit.* 414.20
in Prudentia quæ cōsideranda sint 414.5
Prudentia & ciuilis scientia quomodo differant. 425.12. *generalis, particularis.* 104.20
Prudentia nulla virtus vacat, nec tamen omnis virtus est prudentia. 441.22
Prudentia propriè sumpta triarespicit. 442.17. *quomodo sit de essentia virtutis.* 445.3. *triplex est.* 425.20. & 426.16
Prudentiæ actus sunt quinq; 433.5
Prudentiæ conseruatrix est temperantia. 413.22
Prudentiæ consideratio duplex. 442.10
Prudentiæ inimica duo, stultitia & curiositas. 413.18
Prudentiæ munera. 413.11. & 432.17.
Prudentiæ necessitas. 441.7
ad Prudentiam requiruntur experientia & iudicium. 426.6
Prudētiarum pluriū error. 443.11
Pusillanimitas quid. 257.19

Q.

Quæstiones inutiles. 30.18
Quæstiunculæ complures explicatæ. 555.17
Quot capita, tot sensus. 20.2
Quo iure liceat patri filium abdicare, quo non 546.11

R.

Ratio: innata, acquisita. 395.16
Ratio recta quid. 394.15. *duplex est.* 397.5
in Rege personæ tres: hominis, ciuitatis, Dei. 69.18
Reges soli Deo subijciuntur. 335.20
Regi etiam malo tribuendus est honor. 332.3

Regi violẽtæ manus inferendæ non sunt. 336.1 623.22
Religio quid. 360.23
Repugnantia: absoluta, comparata. 129.6
Repugnantia maior aut minor dicitur respectu rei, respectu nostri. 130.5
Rerumpub. formæ siue status tres. 533.2
Res agendæ, id est, virtutes. 7. 20. absolutæ, respectiuæ. 9.14
Res viuorum quomodo pertineant ad defunctos. 61. 22. pertinere varijs argumentis probat philosophus. 64.8
Rixæ nullæ inter amicos veros oriuntur. 540.16.

S.

SAbbati mutationem quomodo insinuârint Pascha & Pentecoste. 35.2
Sacris literis Philosophus nullo modo præferendus est. 174.21
Sagacitas quid sit. 432.8. de ea. 431.18.
Sapiens verè nemo. 419.19
Sapiens verè quis à Seneca dicatur. ibid. 17
de Sapientia. 419.8
Sapientia considerat bifariam. 423.3
Sapientia virtus est prudentia excellentior. 439.1
de Sapientiæ natura quatuor probabiles opiniones. 422.8 prefertur prudentiæ .438.9. quid sit. 420.7
Sapientiæ duplex ratio. 439.18
Sapientia subiectũ, obiectum, modus probandi, finis. 438.14
Sciẽs aliquis bifariã dicit. 462.15
de Scientia. 403.10
Scientia bonum mentis. præf. certior quoad rerum demonstrationem quàm educatio. præf.
Scientia considerat duobus modis 404.22
Scientia: rerum, circumstantiarum. 104.4
Scientiæ materia, essentia, propriætas, finis. 403.20
Scientiæ omnes diuerso respectu sunt sub dialectica, metaphysica. & Ethica. 11. 4. quæ dicantur certæ. 17.21
Scientiarũ autor Deus, epi. ad lect.
Sciunt malè qui in malũ sciũt. 5.2

Se-

Senem sapientem canities non facit. 14.19
Senes quinam inepti sint ad cõtrahendam amicitiam. 514.11
Senex bis puer. 14.16. quot modis consideretur. 515.15
Sensibus aliquid percipitur: distincte, confusè. 220.22
Sensus externi primùm corrumpuntur, tum interni. 219.2
Sensus omnes continentes habere decet. 214.12
Sensus quomodo sit vel non sit actionum principium. 401.20
de Sententia. 434.23
Sententia comes est æquitatis. ibid.26 (22
Sententia quomodo sumatur. 435.
Senum sapientum ambienda est amicitia. 514.20
Signum quod recta ratio intuetur duplex. 396 3
Societas: inchoata. pfecta. 365.24
Solertia quid sit. 432 3
Solon & Arist. conciliantur. 56.6
Somnia bonorum meliora quàm malorum. 74.12. cuiusq; talia sunt qualis ipse est. ibid.19
Somnũ quid, & qd somnus. 77.19
Species puræ possibiles intellectus manẽt in corpore corrupto 446.21
Species iuris naturalis sunt sex. 360.21
Spes quid. 107.3
Stupor inordinata fuga voluptatum. 226.23
Stupor quid. 224.25
Stuprum quid. ibid.12. & 226.23
Subiectum: prædicationis, inhæsionis. 324.23
Summa decem librorum. 600.7
Summo bono ad essentiam nihil, ad existentiam multa addi possunt. 607.13
Superbia quid. 258.13
Superbiæ comites. ibid.12

T.

Temperantia bifariam sumpta. 216.5
de Tẽperãtia cõclusiones Ar. 213.3
Tẽperantia hostes internos & domesticos superat. 212.15 modum cõcupiscentiæ præscribit. 221.19. p se circa gustũ & tactũ, per accidens circa alios sensus versatur. 214.1. primò & p se versatur in corporis voluptatibus. 217.21
Temperãtiæ laus. 312.23. natura, oppositum, obiectum, partes, species, officium. 216.21. species quinq;. 215.14

Tendit aliquid ad beatitudinem: proximè, remotè. 296.6
Timidus est pusillanimus. 189.21
Timidus: naturâ, vsu. 191.17
Timor bifariam contingit. 302.9
Timor & audacia et affectus sunt & vitia. 185.1
Timor: naturalis, legalis, venerabilis & seruilis. 184 21
Tolerandus est potiùs Phalaridis taurus quàm mors conscisc enda. 194.8
Tormenta quem minùs beatum faciant. 492.2.

V.

VArietas studiorum vt & ciuium in ciuitate esse solet 346. 7.
Velle dupliciter sumitur, pro prima potentia, pro actu. 178. 18.
Verecundia an sit virtus. 299 5 bifariam sumitur. 303.21. cur in sene plerumq; sceleris indicium sit. 305 4. pro affectu sumitur et pro effectu. 263 6. pro dispositione, vel pro actu. 301.19 quid sit. 107.15 299 5. 300.11 quomodo rationem aliquando præcurrat. 304.21
Verecundiæ opposita. 300.24
Verecundiam esse affectum, 300. 11. non esse virtutem. 299.18
in Veri disquisitione quæ consideranda sint. 400.19. & 402.10
Veritas amicitiam, obsequium parit odium. 286.16. amicitiæ & autoritati præferenda 32.7 moralis bifariã sumitur. 285.1 materialiter, formaliter, effectiuè, finaliter. 288. 8. odium quomodo dicatur parere. 35.9 plurimi facienda. 28 5. quid sit. 285.9. & 361. 9. theorica, politica. 287.21
Veritatem quomodo depinxerit Apelles. 286.7
Veritatis extrema. 288.18, necessitas. 284.2. principia sunt tria. 398.23.
Verum: naturale, morale, 84.7. de eo. 393.13.
Verum quis dicens an possit mentiri. 291.10
Verum variè consideratum est obiectum omnium quinq; mentis virtutũ. 423 26. & 424. 1
Vindicta quid 361.11
Violentum duplex. 154.4
Virtus animæ est & splẽdor beatæ vitæ. 78.5. animæ mẽtis 582.15 consistit

consistit in medio. 112. 23. difficilis est inuentu. 131. 17. extremitas quomodo dici possit. 118. 8. immoderatis etiam affectibus opponitur. 185. 4. in actu est & in habitu, 27. 6. in vsu cernitur, 326. 24. medium est, & in medio. 113. 18. & 115. 22. mediũ quoad nos 114. 5. mentis quid respiciat 404. 19. non est summum bonum. 22. 2. non est affectus. 108. 18. nec potentia. 109. 1. quid sit. 116. 10 sola beatos, vitium solum infortunatos, facit. 47. 14.

Virtus: viri, officij. 335 5

Virtus virtute communior duobus modis. 254 21

Virtute quomodo abuti possit nemo. 410. 24

Virtutem & medium esse, & medij indagatricem. 117. 21. medium inter passiones. 111. 19. pluris faciendam quàm vitæ conseruationem. 559. 23

Virtutes acquiruntur industria. 79. 8. an specie differant. 124. 23. artibus quomodo sint firmiores, quomodo minùs firmæ. 17. 5. cur non dicantur inesse completè à natura. 81. 19. diuiduntur. 121. 14. media sunt ad fœlicitatem. 71. 8. & 78. 22.

Virtutes mentis quinq; 403. quæ inre præstent virtutibus moris. 445. 20.

Virtutes moris quomodo connectantur in prudentia. 442. 22. & 444. 3. primariæ: prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia. 121. 14. ad quas reducuntur heroicæ omnes. 125. 15 quomodo dicantur inesse in animo & corpore. 96. 1

Virtutis actio quomodo sit voluntaria, vel minùs. 647. 1

Virtutis ad actionẽ requiruntur tria, voluntas, scientia, constantia. 101. 22.

Virtutis causæ. 79. 19. causa remota potentia, proxima verò vsus. 83. 6. definitio inuestigatur. 105. 17. genus. ibid. differentia. 112. 16. duplex essentia. 450. 16 dignitas pendet vel à subiecto, vel à materia, vel à fine. 312. 21 radix amara. fructus verò suauis. 41. 22. de Virtutum connexione. 440. 20.

Virtutũ materia et forma 446 4

materia non manet in anima separata, forma manet. ibid. & sequentibus.
Virtutum mentis initium, progressus, terminus vnde. 398.17
Virtutum ortus. 79.8
Virtutum singularum duplex consideratio. 311. 20. & 312.8
Virtutum vsus: politicus, theoricus. 452.5
Vis aliqua non illicita, 211.25.
Vis vnita fortior. 590 10
Vita contemplatiua melior est actiua. 632.20
Vita ideò datur, vt viuentes bene moriamur beati. 645.6
Vita mechanica, politica, theorica. 1.18
Vita non est viuere, sed virtutem colere. 641.1
Vita nostra est via ad portum, indefessus labor, breuis hora, transiens vmbra. 644.24.
Vita nostra quæ sit dicenda. 627.6
Vita virtute vacua mors est. 641.3.
Vitam bonam sequetur mors non mala. 645.8
Vitam contemplatiuam sequi debemus, licet in hoc sæculo eam assequi non possimus. 629.10
Vitium est animi monstrum. 68.9
Vmbram peccati timemus, non peccatum ipsum. 300.15
Vnum vni opponitur. 132 23
Voluntarium duplex. 153.9. & 247. 14. *latius patet quam electio.* 156. *1. quid sit.* 366.19
Voluntas: absoluta, conditionata. 496. 22. *appetit malum sub ratione boni.* 170.8. *appetit semper, quomodo intelligendum.* 7.6
Voluntas & intellectus non sunt eadem animi potentia. 179.1
Voluntas finita, & infinita 6.5. *fortitudinis & temperantiæ subiectum.* 217.17. *instrumentum est.* 176. 19. *intellectui præstat.* 176. 22. *mouet & mouetur.* 103.18. & 108. 12. *nec videt, nec viuit nisi ope diuina.* 172.25. *sensitiua, intellectiua.* 73.22.
Voluntate rectè facta definimur. 102.22
Voluntatis obiectū quodnam sit. 167.12 *de eo tres opiniones.* 168.5
Voluptas alia aliam tollit vel minuit. 616.16

Voluptas bonum fortuitum. 489. 16, *cur in libro decimo fusiùs explicetur.* 602. 11. *immodica plus nocet quàm dolor.* 234. 18. *incontinentis varia.* 469. 1. *mentis est omnium perfectissima.* 611. 21. *motus est id est causa mouendi.* 96. 9. *motus non est.* 608. 18. & 611. 4. *naturam inficit.* 138. 7. *omnis non est in bonis.* 499. 7. *perficere actionem quomodo dicatur.* 612. 22. *quid sit* 22, 20. & 106. 23. *sensus omnes inficit.* 214. 9. *simplex, composita.* 490. 1. *summum bonum non est.* 20. 12. *neq; summum malum.* 603. 1. *summum bonum quod sit, Eudoxi rationes.* 604. 19. *dici posit.* 491. 3. & 492. 8. *vehementior adigit ad insaniam.* 234. 21.

Voluptate & dolore omnes affectus continentur. 91, 7. *de voluptate tres opiniones.* 487. 8

Voluptate vna & simplici nemo mortalium capitur. 495. 1. *ea solus Deus perfruitur.* ibid. 9.

Voluptatem omnes sequimur. 603. 4. *voluptatem sequitur vitium vt flamma fumum.* 92. 20.

Voluptates corporis cur magis expetantur quàm animi voluptates. 494. 15. & 495. 1.

Voluptates mentis voluptatibus corporeis longè antecellunt. 632. 2.

Voluptates quæ veræ, quæ falsæ. 617. 20.

Voluptates specie differunt. 609. 9

Voluptati cur difficiliùs resistatur quàm iræ. 94. 19. & 95. 18.

in Voluptatibus modum tenere difficillimum. 494. 5. et 496. 5

Voluptatum initijs obstandum. 493. 23.

Vsura non idcirco licita quia toleratur. 274. 23

Vsus promptos facit. 140. 1

Vulgus factis potiùs ducitur quàm dictis. 603. 6.

FINIS.

IMPRESSVM FRAN-
COFVRTI AD MOENVM
apud Nicolaum Bassæum.



M. D. LXXXIX.



BIBLIOTEKA KÓRNICKA
14063